





2
6
203









ASTRI INEXTINCTI

A

GASPARE SCIOPPIO

&

F. ROMANO HAY BENEDICTINO

In Orbem euulgati.

ECLIPSIS

SEV

DELIQVIVM

Propositis variis Quæstionibus.

DE

COLLEGIIS EORVMQVE TITVLIS, IVRIBVS, DE DOMINIO, POSSESSIONE, Vltimis voluntatibus, & circa eas Pontificis potestate, Donationibus, &c.

Apertè & breuiter Demonstratum.

A R. P. IOANNE CRVSIO BREMENSI

E Societate IESV.





COLONIÆ

Apud hæred. BERNARDI GVALTERI

Excudebat VALENTINVS CLEMENS.

ANNO M.DC.XXXIX.

Cum Priuilegio S. Cæs. Maiest. & Superiorum permissu.



EMINENTISSIMO PRINCIPI FRANCISCO CARD. BARBERINO S. R. E. PRO-CANCELLARIO, ORDINIS S. BENEDICTI PROTECTORI.

QVÆ quantaue, Eminentissime, D. Cardinalis, Ecclesiæ Catholicæ sese non modò tuendæ, sed etiam augendæ atque ornandæ spes ostenderit, cum S.D.N. Papæ Vrbano VIII. patruo Tuo, Tuæq; Eminentiæ, ac fratri Tuo Eminentissimo D. Antonio Cardinali Barberino, tribus velut apum Regibus, quos vestræ mihi gentis repræsentare videntur insignia, tum reliquo Purpuratorum Patrum Concilio constitutum fuit, alienos à fide Catholica ad Ecclesiæ gremium reducere, ac ne deessent operæ, Collegijs, Seminarijs, vacantia Monasteriorum quorundam emortuorum bona attribuere, est, qui hucusq; dubitauerit nemo. verumenimuero iam tandem inuentus, nescio quis, Gaspar Scioppius an F. Romanus Hay Ordine Benedictinus,

qui hanc vestram, Eminentissime Princeps, sapientissimam voluntatem ac dispositionem in consilio habeat, atq; ad suum vnguem castiget, quasi illa Monasteriorum emortuorum in Collegia & seminaria trãslatio, Christo foret inimica, & Iustitiæ; D. Benedicto, sanctisq; alijs iniuria, quin & ipsi Ordini religioso pudenda. Non eæ mellificæ Apis sapientissimo & æquissimo Regi obtẽperãtis voces. Quod sciẽtissimus æquè ac Iustissimus patruus Tuus S. D. N. Vrbanus VIII. Pontifex Maximus, Te Directore cum Tuorum Eminentissimorum Patrum Concilio è Reip. Christianæ vtilitate disponit, non vllius iniustitiæ accusari poterit, nisi qui penitus in prauam se immerserit consue-
1. Off. tudinem, quæ Tullio teste à via deflexit, ac honestum ab vtili secernit. Vberior in Ecclesiâ Catholicâ fructus faciendus, maiorem diuini Numinis, Diuorumq; & S. Benedicti, propagatâ ipsius doctâ è Collegiorum scholis sobole gloriam nequicquam delibat, sed auget, ac nimium quantum amplificat. Vt pientissimus agnouit Imperator Ferdinandus P.M.II. qui dulcissimo Apum Regis Imperio obsequens, aliquorum emortuorum Monasteriorum bona in Collegiorum vsus applicauit, quem periurij ac sacrilegii cum Astro illo (vt vocant) inextincto insimulare, animus auresq; piorum hominum abhorrescunt. Næ illi non sunt

iucun-

iucundi apum bombi, quibus glomeratum ad mel conficiendum cietur agmen, ſed Marti' æris rauci canor, qui diſcordiam ſpectat ac diſſenſionem, quæ vtrum in pacato apum imperio ferenda, Tuum eſt, Eminentiſſime D. Cardinalis S. R. E. Procancellarie diſpicere, Tuum eſt in cauſis Eccleſiaſticis eiuſmodi libellos aſtro præcipiti ſplẽdicantes, reip Chriſtianæ minus commodos cancellare, pernitioſos etiam penitus exterminare. Hunc in finem Tibi, alteri apum Regi, ego primos meorum laborum pro Societate noſtrâ vniuerſa ſuſceptorum flores, ſupplex ad alueare tuum offero. Præter Te quærat, quantumcúnque F. Romanus Imperij Magnates, illisque bipartitò ſi mauult, etiam tripartitò opus ſuum dedicet, Tua mihi ſufficit Eminentia, alium ego Germanus, pro hoc meo labore patronum neſcio ac Regem, cuius iuſto ac pio arbitrio ego, cum P. Laurentio Forero ſto ac viuo. Tuæ Tuorumque Eminentiſſimorum Declarationes ſanctæ nobis ſunt ac firmæ; neque nos remoratur, quidquid oblocutus fuerit F. Romanus Hay, verbis P. Foreri neſcio ad quos peregrinos ſenſus detortis ac melle non ſincero, ſed fucato, procul ab apum cellulis proſcribendo, ad horrida Ponti freta ablegando potius, quàm Imperio Chriſtiano in certam pernitiem propinando.

Accipe igitur hanc meam Eminentissime Princeps S. R. E. Cardinalis ac Procancellarie sinceram ex Hyblæis Panormitani, Cyrnijs Benedicti de Plumbino, atque alijs Doctorum floribus decerpram melliginem, certis quæstionum fauis cohibitam, atque in quæstionum capita ceu cellulas distributam; humillimè, Tuæ Eminentiæ oblatam, quâ Monasteriorum emortuorum translatio in Ecclesiæ Catholicæ vtilitatem ostenditur iustè esse facta. Fateor me flores Tarentum mittere. At Tua me inuitat humanitas, quâ nixus, etiam Tuæ Eminentiæ Societatem nostram omnem, quæ cum alijs Ordinibus Religiosis intimam desiderat coniunctionem atque Te directore concordiam, submississimè commendo. Coloniæ. IV. Non. Septemb. Ann. M. DC. XXXIX.

TVÆ EMINENTIÆ

Humillimus Seruus.

IOANNES CRVSIVS
Soc. IESV.



AD BENEVOLVM LECTOREM.

SCripsi nuper pro defensione non Societatis solùm nostræ, sed & iustißimæ causæ libellum, qui etsi non paucis videatur saltem non malè adductis variorum Doctorum authoritatibus causæ fundamenta iàcere; à nonnemine tamen, vt intelligo, quasi vimineas poneret substructiones, obtortoque, vt aiunt, collo inuitos authores in suam raperet sententiam, ita calamo luceque indignus fuit iudicatus. Haud dißimili antehac modo grauißimæ R. P. Pauli Laymanni p. m. in Astrum inextinctum censuræ ab eodem fuêre exceptæ; quippe eas velut plumeâ leuitate leuiores, nullâ dignas arbitrabatur responsione. Quæ num ita se habeant, tuum erit, beneuole Lector, ex ijsdem Censuris altero in lucem prælo editis æstimare. Illud ego tantùm

§ tùm

tùm adijcio, quod si istiusmodi obtineret refutandi ratio, non vllum fore quantumuis excellentissimum librum, qui non eâdem viâ à quouis refutari posset. Vt autem omnibus constet, quanti sit faciendum aduersarij de meo libello iudicium, quamque hoc ab aliorum doctissimorum virorum sententia discrepet, voluerunt illi, quorum sanctum est mihi semper imperium, vt Virorum quà nominis celebritate, quà librorum monimentis in Academiâ Duacenâ præstantissimorum suffragia seorsim excusa, omnibus legenda proponerentur, quæ alioqui maluissem tacitus præterire. Quare ne Superiorum voluntati videar refragari, tu ea, Beneuole Lector, vt ad me transmissa sunt, accipe.

APPRO-

EXIMIORVM CLARISSIMORVMQVE DOCTORVM ALMÆ VNIVERSITATIS DVACENÆ.



VANDOQVIDEM constet bona priuata publicis debere cedere, & certũ sit ad Summum Pontificem omnium bonorum Ecclesię dispositionem pertinere, quod hæc Eclipsis, à R. P. Ioanne Crusio Societatis IESV Theologo in lucem edita, liquidò & manifestè declarat, nihil in eâ asseritur, quod iniustum sit, & à Summi Patris-familias potestate alienum, si bona Monasteriorum emortuorum, quæ iam carent hærede, ad pium, & pro tempore magis necessarium vsum Sua Sanctitas applicet. Duaci 17. Mart. 1640.

GEORGIVS COLVENERIVS *S. Theol. Doctor, & eiusdem Regius, Ordinarius ac primarius Professor, Collegiatæ Ecclesiæ S. Petri Præpositus, Duacensis Vniuersitatis Cancellarius, & librorum Censor.*

ECLIPSIS hæc seu deliquium à R. P. Ioanne Crusio Societatis IESV Theologo demonstratum, nihil fidei aut bonis moribus aduersum continet, sed Summi Pontificis auctoritatem circa Monasteriorum emortuorum bona eorumque dispositionem bene tuetur. Duaci 28. Decemb. 1639.

FRANCISCVS SYLVIVS *S. Theol. Doctor, eiusdemq; Regius ac Ordinarius Professor, ad S. Amati Decanus, Vniuersitatisq; Vice-Cancellarius.*

HÆc *Astri inextincti* Eclipsis, Authore R. P. Ioanne Crusio Bremensi è Societate IESV, nullatenus obscurat bonos mores, nec vllam habet oppositionem contra fidem Orthodoxam, sed potius solidè, clarè ac doctè ostendit Summi Pontificis potestatem circa dispositionem bonorum Ecclesiasticorum, præsertim Monasteriorum emortuorum: Vnde eandem dignam reperi ac iudicaui, quæ typis mandata sit, vt hac ratione non tantum in nostro Horizonte, sed etiam in alio Orbe apud Antipodas cum admiratione ab omnibus videatur & consideretur. Ita censui Duaci 22. Febr. 1640.

THEODORVS van COVVERDEN *S. Theol. Doctor, eiusdemq; Regius ac Ordinarius Professor, Insignisq; Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri Canonicus.*

SI cuius mentis oculos *Astri inextincti* obtutus obnubilauit, en opportunam & præstantem Eclipsim, quæ instar collyrij, quidquid noxium ab illo astro est, abstergat, & mentem meliore luce collustret. Duaci 11. Mart. 1640.

NICOLAVS LE LONG *S. Theol. Doctor ac Regius Professor.*

EMori, vt humana cuncta, ita etiam Monasteria eorumq; iura, clamat Germania Orbisque vniuersus: sibi autem meritò gratulatur illa, quod spectatâ Catholicæ Religionis calamitate, in spem assurgat meliorem, per Paternam VRBANI VIII. Pontif. O. M. prouidentiam, quâ nihil opportunius laboranti Ecclesiæ accidit, cùm de bonis eorum olim Monasteriorum prospexerit disposueritque optimo modo: Declarat id amplius fidelibus oculis res ipsa, quàm possit demonstrare Eclipsis à R. P. Ioanne Crusio elaborata, quantumuis à luculento Auctore publicaque luce dignissima. Ita censeo Duaci 15. Mart. 1640.

PHILIPPVS VANDERMADE *S. Theol. Doctor & Semin. Moular. Præses.*

Astri

ASTRI *inextincti* apparentes argumentorum ſcintillas ita diſcutit hæc Eclipſis, eique adeo validas ac neruoſas ex vniuerſo iure petitas rationes opponit, vt deliquium pati atque intermori ipſum neceſſe ſit: & quia egregiè Summi Pontificis auctoritatem tuetur, non violenta, non contorta, ſed ſecundùm regularē clariſſimi Iuris curſum, hominum prorſus digna eſt conſpectu. Duaci 12. Mart. 1640.

VALENTINVS RANDOVR *S. Theol. Doctor, eiuſdemq; Regius & Ordinarius Profeſſor.*

ECLIPSIS hæc clarè ac dilucidè Summi Pontificis auctoritatem circa Monaſteriorum emortuorum bona demonſtrat, adeo vt omne *Aſtri inextincti* apparens lumen non tantum obſcuret, ſed prorſus etiam extinguat. Ita cenſui Duaci 19. Mart. 1640.

MARTINVS DENYS *S. Theol. Doctor, & Hiſtoriarum Regius Ordinariusq; Profeſſor.*

MONASTERIA emortua cum Religione Orthodoxâ, tunc feliciter reuiuiſcere experitur magno ſuo bono Germania, quando eorū olim bona, ex hæreſeos vnguibus nunc extorta, ad erigendas Academias Catholicorum, Collegia & Seminaria ſupremâ Pontificis poteſtate applicantur: idque per *Aſtri inextincti Eclipſim* neruosè, clarè ac piè oſtendit R. P. Ioannes Cruſius Societatis IESV Theologus. Ita cenſeo Duaci 21. Mart. 1640.

THEODORVS vanden BROECK *S. Theol. Doctor & Semin. Regij Præſes.*

HOc *Astri inextincti deliquium* ita ratione, vt iudicio, nec non indefesso studio, improbo labore, diligentiâ maximâ, summâ fide bellè beneque demonstratum à R. P. Ioanne Crusio Societatis IESV, & à me non sine admiratione voluptateque lectum & perlustratum, admodum vtiliter & fructuosè typis impressum est & euulgatum. Ita censeo Duaci 15. Ianuar. 1640.

EPO BOETIVS *I. V. Doctor & Canonum Professor primarius in Vniuersitate Duacenâ.*

HOc libelli iubare exorto Astrum illud inextinctũ certè eclipsim patitur ac deliquium, ob præfulgidos nimirum solidæ doctrinæ & veritatis radios, quibus hoc illi supereminet ac tenebras offundit. Duaci 1. Mart. 1640.

SIMON NEPVEV *I. V. Doctor ac Ciuilis Regius primariusq; Professor.*

HIc liber Sanctissimæ Sedis Apostolicæ potestatis, Sacrorum Canonum, Ciuilium Legum, Nouellarum, Iustiniani Imperatoris Constitutionum, Feudalis vsus, diuersorum exemplorum, solidarum rationum, subtilium argumentorum, sententiarum Authoris aliorumq; Vtriusque Iuris-Peritorum conspicuo lumine mirificoque splendore plurimùm illustratus, ac per eum aduersarius liber eclipsim patitur. Duaci 6. Mart. 1640.

HVGO HANEDOVCHE *I. V. Doctor ac Regius Ordinariusq; Professor.*

Astri

Astri inextincti Eclipsim à R. P. Ioanne Crusio Bremensi è Societate IESV demonstratam, quâ potui diligentiâ perlegi; opus certè clarissimum, Auctore dignum iudico: in quo quid maximè excellat vix video, perspicuitásne doctrinæ, dispositio rerum, eruditio multa, an maturum iudicium? omnia inter se pari contentione certantia. Publico igitur bono typis excusum debet in lucem abire. Duaci 12. Ianuar. 1640.

GEORGIVS DE SPIRA *I. V. Doctor ac Pandect. Regius Ordinariusq; Professor.*

Catholicæ Religioni per Germaniam restituendæ, Sacroque Imperio, Diuinâ ratione consuluisse Pontificem Maximum & Sanctam de propaganda fide Congregationẽ, quando Monasteriorum vacantium bona iuraque, ad Apostolicam Sedem deuoluta procul dubio, ad Collegia & Seminaria dotanda transtulit, præclarè demonstrat hoc libro R. P. Ioannes Crusius primæ eruditionis Theologus ac Iuris Diuini peritissimus: vt de illis bonis dici possit tritum illud: *Perierant, ni periissent.* Ita censeo Duaci 18. Mart. 1640.

PETRVS HONORE *I. V. Doctor, eiusdemq; Regius Ordinariusq; Professor.*

Liber hic conformiter rationi ac pietati demonstrat Monasteria emori, bona eorum ac iura ad Dei Vicarium recidere, eumque meliori modo de ijs disposuisse: Auctor proinde illius, de Apostolicâ Sede & Catholicâ fide ex æquo bene meritus est. Ita censeo Duaci 21. Mart. 1640.

PHILIPPVS CRAMETIVS *Iuris Vtriusq; Doctor.*

Astri

ASTRI inextincti Eclipsis à R. P. Crusio Bremensi Societatis IESV, acutè, grauiter & eruditè demonstrata, in qua clarè ac neruosè argumenta Aduersarij refutat, & demonstrat, Summum Pontificem esse legitimum dispensatorem bonorum Ecclesiasticorum, præsertim Monasteriorum emortuorum, eaque posse in Seminaria & Collegia conuertere, nihil Orthodoxæ fidei, Ecclesiæ Romanæ, bonisque moribus contrarium continet, sed potiùs amplam pietatis, eruditionis & doctrinæ supellectilem complectitur: ideoque vt liber typis mandetur multorumq; manibus conteratur, ad maius Reipub. bonum, Ecclesiæ augmentum & vtilitatem, Catholica fides suadet. Ita censeo Duaci 20. Mart. 1640.

HVBERTVS TOSSANVS I. V. *Doctor ac Professor Regius Extraordinarius.*



APPROBATIO
Serenissimi Ordinarij.



Erenissima sua Celsitudo FERDINANDVS ArchiEpiscopus Coloniensis, S. R. I. Princeps Elector &c. Dominus noster Clementissimus, Visis sententijs specialiter deputatorum Censorum, dat & concedit facultatem, vt tractatus Patris IOANNIS CRVSII Societatis IESV, inscriptus, ASTRI INEXSTINCTI à GASPARE SCIOPPIO & FRATRE ROMANO HAY BENEDICTINO in Orbem euulgati ECLIPSIS SEV DELIQVIVM, Propositis varijs quæstionibus, de Collegijs eorumque titulis, Iuribus, de dominio, possessione, vltimis voluntatibus, & circa eas Pontificis potestate, donationibus &c. typis mandari possit, cum contra fidem Catholicam, aut bonos mores nihil contineat. Signatæ Bonnæ. 22. Mensis Septembris Anno M. DC. XXXIX.

FERDINANDVS.

Locus Sigilli.

Ioannes Schoenheim
Secret.

APPROBATIO

Multum illustris atque admodum Reuerendi
DOMINI HYERONIMI LAMPVGNANI
in S. Theologia Philosophia Magistri. I. V. D. Subdiaconi
Apostolici, atque Iuris professoris Romani.

LIber hic, quo Monasteriorum quorundam vacantium bona à S. D. N. *Vrbano* VIII. & S. C. M. *Ferdinandi* II. Collegijs, Seminarijs &c. in Germania fundandis, iustè & piè applicari posse & applicata esse defenditur, non solùm nihil continet sanæ doctrinæ & moribus pugnans, Verùm ad Catholicæ fidei & religionis, ex præscripto Sacrorum Conciliorum propagandæ emolumentum, ad tuendam præterea supremam summi Pontificis authoritatem, & Ferdinandi Cæsaris immortalitate digni pietatem, ingens momentum addit. Vt hoc propter authorem eius A. R. P. *Ioannem Crusium è Societate Iesu* non minus doctrinâ & eruditione præstantem, quàm pietate & zelo commendabilem, nihil non de Republicâ Catholicâ mereri fidenter pronunciem, dignum cuius nomen cum opere suo, quam primum iuri publico datum, in posterorum vtilitatem & religionem augendam transmittatur. Ita censeo ego Hieronymus Lampugnanus Infrascriptus. *Romæ* die vltimâ Septemb. Ann. 1639.

Ita censeo ego HIERONYMVS LAMPVGNANVS
in Sac. THEOLOGIA ac Philosophia MAGISTER
L. S. *I. V. D. & Subdiaconus Apostolicus, nec*
non Iuris Professor.

APPROBATIO

ADMODVM REVERENDI D. GASPARIS
ESTRIX S. THEOLOG LICENTIATI,
Canonici & Plebani Antuerpiensis, ac
Librorum Censoris.

SOlidè & eruditè ASTRI INEXTINCTI asserti *Deliquium* demonstrat R. P. IOANNES CRVSIVS Bremensis *è Societate* Iesu Theologus, cuius eâ de re Commentarium ideo publica luce dignum censemus.

Antuerpiæ 15. Octob. 1639.

Gaspar Estriex Plebanus ac
Librorum Censor

APPROBATIO
R. P.
PRAEPOSITI PROVINCIALIS PROVINCIÆ
Rhenanæ Inferioris.

EGo GOSWINVS NICKEL Societatis IESV in Prouinciâ Rhenanâ Inferiore Præpositus Prouincialis, potestate ad id mihi factá ab Admodum Reuerendo P. N. MVTIO VITELLESCO Præposito Generali, ASTRI INEXTINCTI DELIQVIVM à P. IOANNE CRVSIO SOCIETATIS NOSTRÆ demonstratum, atq; à deputatis ad id Societatis eiusdem Theologis lectum & approbatum, typis mandari permitto. In cuius fidem has literas manu propriâ subscripsi, consuetoque officij sigillo munitas dedi.
Coloniæ V. Septemb. Anno
M.DC.XXXIX.



GOSVVINVS NICKEL
MPP.

POTESTAS
TYPOGRAPHIS FACTA
A
R. P. PROVINCIALI PROVINCIAE RHENANÆ INFERIORIS, SOCIEtatis IESV.



Vm SACRæ CæSAREæ MAIESTATIS Decreto omnibus & singulis Typographis & Bibliopolis, ac alijs quamcunq; librariam negotiationem exercentibus serio firmiterque inhibeatur, ne quisquam vllos Libros à nostris Patribus hactenus editos, vel in posterum edendos, intra S. R. Imperij, Regnorum & Dominiorum suæ Cæsareæ Maiestatis hæreditariorum fines, simili vel alio characteris genere aut formâ, siue in toto, siue in parte recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi etiam impressos adducere, vendere & distrahere clam seu palam, citra iudicium ac testimonium supradictorum Patrum audeat vel præsumat. Concedo ego GOSVVINVS NICKEL, Societatis IESV per Rheni Inferioris Prouinciam Præpositus Prouincialis (potestate mihi ad id factâ à Reuerendo admodum P. N. Generali MVTIO VITELLESCO) Bernardi Gualteri hæredibus Typographis Coloniensibus facultatem excudendi ASTRI INEXTINCTI DELIQVIVM à P. IOANNE CRVSIO SOCIETATIS NOSTRæ demonstratum. In cuius rei fidem hoc eis testimonium dari curaui. Coloniæ 5. Septemb. 1639.



Gosvvinus Nickel

MPP.

INDEX
Authorum in hoc opusculo citatorum.

Ioannes

Index Authorum in hoc opusculo citatorum.

PRAEFA-



PRAEFATIO
DE ASTRO INEXTINCTO EIVSQVE DELIQVIO.

NEmini non notum est, plurimorum in manibus esse libellum de Iure Monasteriorum emortuorum repetundorum conscriptum, typis Sangeorgianis, an in Aphannis, anno 1634. expressum, quē mutuatis aliūde plumis Gaspar Scioppius, velut altera cornicula, æternùm cœlo tanquam astrum inextinctum (quod Ordini Religioso facilè concessero) suffixurus erat, iamq; in aëra sursum ferebatur; sed ecce illico, quibus induebatur, pennis alienis nudatus, agitur præceps, retentâ sibi quiduis in Societatem effutiendi, eamque criminandi libertate, quod ne sine auctore confingere videar, laudo eam in rem Eminentissimum Dominum Antonium Cardinalem Barberinum, cuius hæc est ad Illustrissimum D. Nuncium Apostolicum apud Heluetos degentem Epistola. 1.

Per-Illustris & Reuerendissime Domine tanquam Frater.

Gasparis Scioppij Spiritus nimis quā inquieti sunt, & videtur obstinasse ad lacerandū Scriptis suis, quæ sub fictis nominib⁹ euulgat, Patrum Iesuitarum famam. Eorum proinde, quæ in hodiernum diem studet imprimere titulos, à Dominatione vestra huc transmissos, Sanctissimus D.N. cum sensu displicentiæ vidit, & ex meorum Eminentissimorum sententia mandauit, vt in lucem edita, tanquam supposititij authoris opera à S. Congregatione Indicis prohiberentur. Deus Dominationem Vestram prosperet semper & conseruet. Romæ. 8. Decembris 1635. 2.

Dominat. Vestræ
Tanquam Frater addictissimus.
A.C. Barberinus.

** Lu-

3. LVculentissimum Sciopianæ malignitatis argumentum! Verùm misso Scioppio, ipsum libellum, prout à F. Rom. ann. 1636. typis est mandatus, examinemus; vtrum debitâ cum approbatione & consensu Ordinarij prodierit, ac de Iure permissus sit, an verò prohibitus, Deinde quomodo idem, vt inscribitur astrum, patiatur deliquium, & nihilominus dici queat *astrum inexstinctum*; Denique quâ ratione ipsius astri inextincti deliquium sit lectitandum.

4. Ac principiò quidem F. Romanus damnatâ *in sua præfatione* Scioppij editione, suisque recuperatis pennis, aliam curauit libelli sui editionem, sed sine Typographi ac loci designatione, vnde non leuis suspicio est, ipsum inscio loci Ordinario, adeoq; non consentiente, contra Concil. Trident. *sess. 4.* & Lateranense *sess. 10.* in lucem e-
5. ditum esse, cũ de approbatione & consensu Ordinarij aliũde (prout in ijs, quæ in facto consistunt, requiritur) nõ doceatur. Imago libelli Titulo præfixa; locum quidem Coloniam designat, sed sculpturæ, non impressionis. Ait enim *Coloniæ sculpsit Abraham Hogenbergh.* At Imagines sæpe ijs in locis, vbi libri inprimuntur, non sculpuntur. Igitur ex sculpta imagine, locus impressionis libri non colligitur. Quin etiam negant Colon. Typographi, librum istũ à se impressum. Vnde cum
6. de *consensu* Ordinarij, ne quidem *præsumptiue*, vt loquuntur Iurisconsulti, ex loco, doceatur, *illũ* non interuenisse, præsumendum est, *arg. l. quæcunq; §. fi. ff. de publ. in rem act.* Et ratio est, quia solennitas extrinseca, vtpote in facto cõsistẽs, nõ præsumitur interuenisse, nisi probetur. Menoch, *3. præs. 132. n. 28. & seqq. per d. leg. quæcunq; §. final.*

7. Fortè inquies; Libellus iste, Louaniensium Doctorum præfert approbationem. Ita est; sed Louanij non fuit impressus, vt attestãtur,
8. quotquot Louanij habitant Typographi. Deinde illa Doctorum approbatio. F. Rom. circũscriptionis arguit. Nã ipsa approbatio vel verè, vti eã refert Fr. Romanus, ab ijs emanauit, vel non verè; Si hoc, Lectori imponit Fr. Romanus, eam tanquam verè ab ijs profectam referẽs: Sin illud; circũscriptionis arguitur F. Rom. quod asserat, libellũ suum, prout ann. 1636. est impressus, fuisse iam ann. 1633. in Octobri ac Nouembri approbatum; Cum ille ne quidem ab ijs tunc fuerit plenè lectus aut perfectè cognitus, imò nec potuerit. Quomodo igitur ab illis potuit approbari? Num aliquis prudens de re plenè non cognitâ & perspectâ iudicabit? Quod verò liber ipsius, tunc plene nõ fuerit cog-
9.

nitus

nitus, imò nec potuerit, palam est. Nam Iudicium Collegij facultatum vtriusq; Iuris in vniuersitate Louaniensi datum fuit Louanij 14. Kalend. Nou. *seu* 19. Octob. ann. 1633. Illiq; subiectæ approbationes Lib. Fromondi librorum Censoris Archiepiscopalis Louanij 8. Kal. Decemb. seu 24. Nouembris, & Guilielmi Merceri, SS. Theologiæ Doctorum 8. Nouemb. eiusdem anni 1633. Atqui eo anno libellus F. 10.
Romani needum perfectus fuit & absolutus. Hic siquidem inuehitur sæpius in P. Laurentij Foreri Antimelandrum, *& quidem in præfatione suâ pag. 18. 19. quæst. 1. n. 65. in fine. quæst. 2. n. 25. à pag.* 112. *vsq; 114. qu. 3. n. 5. pag. 158. n. 18. pag.* 170. *quæst. 4 n. 50. pag. 195. n 51. pag. 206. cum seqq. qu. 7. n. 5. pag. 251. & pag. 254.* In eiusdem Patris Foreri Antanatomiam *in præfat. pag. 20. qu. 2. n. 50. pag. 140. qu. 7. n. 5. pag.* 251. *252.* Ac demum in censuram Patris Laymanni *in præfat. pag. 24.* Quorum tractatus primus, *Antimelander* inscriptus, circa illud tempus, quo Iudicia & Censuræ Louaniensium datæ, vno ferè Mense antè fuit absolutus. Fieri 11.
autem moraliter non potuit, vt intra vnius Mensis spatium, præsertim bello Suecico per Germaniam omnia itinera infestante, Antimelander ad F. Romanum deueniret, atque ab ipso scriptis oppugnaretur, oppugnatus Louaniẽsibus daretur censendus, Nedũ ab eorũ Censura intra eundẽ Mensem absolueretur. *Deinde* alter Patris Foreri liber Antanatomiæ, non anno 1633. sed sub finem an. 1634. typis Oenipontanis editus, adeoq; vno integro anno, post datũ Louaniensiũ iudiciũ & Censurã publico donatus fuit. *Demq;* Censura P. Laymãni an. 1635. absoluta vidit lucẽ. Vnde cum in hosce tractatus inuehatur F. Rom. libellus ann. 1636. euulgatus; colligitur, hũc à facultatibus vtriusq; Iuris & Censore ann. 1633. non fuisse examinatũ & approbatum: Imo nec potuisse; Nisi quis fortè modo nominatos tractatus in præscientia velit extitisse F. Romani, vt quæ post vnum alterumue annũ P. Forerus ac P. Laymannus essent concepturi & scripturi, Ipse F. Rõ. scripto anteoccupata Louaniensibus exhiberet examinanda. Somnia ea forent Scioppiana. Ex hactenus dictis relinquitur, vehementem fraudis à se commissæ suspicionem mouere F. Romanum, quod vel perfecto libro à Louaniensibus censo (de imperfecto enim ipsi non iudicassent *ex l. inciuile ff. de leg. cap. iudicantem* 11. 30. *quæst.* 5) supposuerit alium anno 1633. adhuc imperfectum nec censum tanquam censum: vel certè posterioribus annis perfectum ac censum, ita ac si priorum annorum aliquo suam sustinuisset censuram, ediderit,

(Right-margin numbers beside lines: 12., 13., 14., 15., 16.)

adeoque tempus approbationis veræ anticipauerit.

17. Si fortè dixeris, chartam libelli astriferi prius ab Academiâ Louaniensi sigillatam, quàm ipsamet conscriberetur. At tunc Academia Louaniensis non censebitur librum ipsum confirmasse, ex defectu cognitionis necessariò prærequisitæ, & ex Menoch, *3. præsumpt. 57. n. 12.* Hinc quid de F. Romani astro censendum, Vtrum Iure permissum

18. sit, facile est æstimare. Profectò cum liber iste sine Ordinarij consensu atq; Doctorum Louaniensium approbatione editus sit, vel certè huius respectu sit suppositititus, ex Concilio Lateranensi & Tridentino videtur esse prohibitus, maximè cum Supremorum Orbis Christiani Capitum, virorumq; Religiosorum honori non ita bene consulere videatur. Nam vbiq; inculcat, Monasteria Monachorum

19. Solitariorũ emortua, non posse sine læsione Diuini, naturalis ac Canonici Iuris in alios alterius Ordinis Religiosos transferri; Cum tamen constet à SS. Pontificibus, quin & à Sanctissimo Domno nostro Vrbano VIII. Cardinalibus, Episcopis, aliquando eiusmodi Monasteria in alios alterius Ordinis Religiosos translata, quos omnes ex ipsius doctrinâ, sequeretur Ius Diuinum, Naturale ac Canonicũ læ-

20. sisse. Adhæc ipse *quæst. 3. n. 5. §. quocirca. & qu. 1. n. 60.* tradit, Emortuorũ Monasteriorũ in alios alterius Ordinis Religiosos translatione, ipsũ Pontificem, Cardinales, Episcopos persequi Christum, quod scandalosum à pijs Catholicorum auribus abhorret; Et nũ hoc est Põtificẽ, Cardinales, Episcopos honorare ac defendete, quos *q. 3. 5,* 6. susceperat defendendos? Quorsum spectat, quod, *q. 7. n. 27. §. quapropter & seq.*

21. *pag. 288. 289.* Monachorum exemptionem, absolutè ascribit intolerabili Episcoporum Dominij Iugo! Num hoc est Episcoporum Iu-

22. risdictionẽ propugnare ac vindicare? Et quid sibi vult, quando *q. 4. n. 10. 50.* contendi, Imperatorem Ferdinandum II. piæ memoriæ, sine sacrilegio & periurio non potuisse permittere, vllius emortui Monasterij in alios alterius Ordinis Religiosos translationem? An nõ hoc ipso S.C. Maiestatẽ de violato Iuramento, atq; admisso sacrilegio accusat, quòd plures eiusmodi translationes Monasteriorum partim per se ipsa magno studio procurarit, partim procuratas ab alijs ratas habuerit, neq; vnquam reuocauerit, sed vt firmæ manerent, etiam ad extremum vitæ voluerit. Profectò quisquis contra Sacramentũ dictum ac datam fidem deliberatè quem asserit agere, periurij illũ incusat

incusat ac Sacrilegij. Hæccine verò pulchra illa defensio, quā F. Romanus Hay. *qu. 4.* in grati scilicet animi signum & Reuerentiæ, quam debet S.C. Maiestati, suscipit! Num idem Societati honorem deferre 23.
credendus est, quando *qu. 2. n. 25.* Societati Monasteriorum emortuorum sibi à Superioribus collatorū acceptrici, decalogi impingit mutilationem, quasi decimum abolitum vellet præceptum? Nū P. Lau- 24.
rentij Foreri honori existimandus est velificari, quando in suâ dedicatione ad Eminentissimum Dominum Franciscum Card. Barberinum ac *qu. 2. n. 38. pag.* 130, tradit, mellificæ apis (insigne Summo Pontifici gentilitium) mel fastidire Patrem Forerum, ipsique amarū esse, eo quòd *thesi 9. de Abbate* proposuerit, plures ESSE DECISIONES vel DECLARATIONES CARDINALIVM, QVÆ PLACEANT VRBI NŌ ORBI, perinde ac si Sapientissimos Patres in Scholas Societa- 25.
tis mitteret, atq; ad suum vnguem asperrimè castigaret. Verùm, quâ ratione adductus statuit Fr. Romanus: P. Forero mel illud amarū esse! Non certè vllam thesis modò allata suppeditat. Hęc enim præterquā quòd non à P. Forero, sed à duobus Religiosis Roggenbruggensibus cum Domni Sui Abbatis consensu & Domni Visitatoris Rothensis voluntate, ad Lauream Doctoralē cursus Theologici absoluti aspirantibus conscripta, & Præside solùm P. Forero defensa, nihil in rem præsentem facit; Cū illic proponatur quęstio, Vtrū *facultas absoluē-* 26.
di ab hæresi & alijs occultis casibus Papæ reseruatis, concessa Episcopis, in "
Concilio Tridentino sit reuocata per bullam Cœnæ, Negant defendētes, "
eò quòd ad derogandum Concilio Tridentino requiratur specialis "
mentio, nec sufficiat generalis: *Et pergunt*; si quæ verò declarationes "
Cardinalium in contrarium allegentur, eas vel solùm loqui de locis "
Romæ vicinis (*nam plures eiusmodi sunt decisiones, quæ placent vr-* "
bi non Orbi) vel solùm derogare potestati priuatorum, qui ex pri- "
uilegio poterant ab omnibus casibus & censuris Papæ reseruatis absoluere & absolui. *Hæc illi.* At hinc, quî ostendit F. Rom. Patri Forero mel amarescere? aut ab ipso Patres Purpuratos in Scholas Societatis mitti, atq; ad vnguem suū asperrime castigari? Calumniæ eæ sūt scripto quidē euulgatæ, sed nunquam vel probatæ vel probandæ. An 27.
nescit F. Rom. ex communi Doctorum Theologorum & cōmuniori Iure consultorum, apud Bonacinam D. Mediolanensem laudatissimum *de leg. disp. 1. q. 1. punct. 4 n.* 27. doctrinâ; Ad quamcunq; legē
 huma-

humanam inter alias ipsius conditiones requiri, vt ipsa sit vsu recepta, seu acceptata, nec abrogata *ex leg. de quib. 32. ff. de leg.* Vbi ita habetur, *leges nulla alia de causa nos tenent, quam quod Iudicio populi receptæ sunt.* Et hoc videtur conforme benignæ legislatorum voluntati,
28. ne nimis onerosi suis subditis videantur; Atqui quod vsu ab aliquibus receptum est, dicitur etiam illis placere. Rebuff. *in leg. liberti nomine 172. ff. de verbor. signific. per leg. in lege censoria, 203. §. Quid autem*
„ *esset.* Ibi, & magis placet *ff. de V. S.* Hinc quibus populis aut communitatibus, vel etiam maiori earum parti lex aliqua placebit, seu ab ijs recepta erit, ipsa perfectæ legis rationem obtinebit; à quibus verò populis non recepta erit, nec eorum respectu, legis habebit rationem. Hocque est, quod *thesi* 9. dicti Religiosi inculcabant, *inquientes*, Nam
29. „ plures eiusmodi sunt decisiones, quæ placent Vrbi & non Orbi, id est
„ plures sunt decisiones Eminentissimorum Dd. Cardinalium, quæ in
„ vrbe Romana vel eius vicinitate sint receptæ, non tamen vbique in
„ Orbe Christiano, vt expresse docet Nauarr. *li. 5. consil. tit. de sent. excō.*
30. *cons. 15. sub finem.* Ex dictis quis deducet, Patres Purpuratos à P Forero
31. in Scholas mitti, atq; ad vnguē suū asperrimè castigari? An quia passim docent DD. Concilium Tridentinū nō vbiq; terrarū receptū, seu non omnibus placere; ideo ipsi SS. Concilij Tridentini Patres in Scholas mittunt, atq; ad suos vngues asperrimè castigant? Annon,
32. Frater Romane, si æquus velis esse Iudex, ex modo recitata thesi concluderes, pluris ab ipso P. Forero fieri Cardinaliū declarationes, quā à multis alijs Theologię Doctoribus. Siquidē ipse *in dicta thes. 9.* Cardinaliū declarationes, tanquam decisiones legales, licet non pro omnibus saltem pro aliquibus locis, supponit; quas alij Theologiæ Do-
33. ctores vim negant habere decidendi. Sentiūt Religiosi illi, imò esto, etiam P. Forerus, cum compluribus Dd. qui declarationes Cardinaliū non solùm doctrinales, sed etiā auctoritatiuas esse, seu nō habere tātū vim dirigendi sed etiam obligandi, tradūt; eò quòd Xystus Quintus *in const. incip. Immensa æterni Dei.* maiorem tribuat Cardinalibus, explicandi Concilij auctoritatem, quā reliqui Doctores habeāt. *Atqui* reliqui Dd. possunt quidem obiter per modū doctrinæ, non verò auctoritatiuè interpretari Conciliū, &c. Igitur Cardinalium declara-
34. tiones erunt & auctoritatiuæ. Et horū Doctorū doctrina confirmatur ex eo, quòd Rota Romana in decidendis & definiendis litibus sequa-

tur

tur Cardinaliũ declarationes, vt patet ex decisionibus Rotæ nouiss. 1.*part.dec*,482.*&* 743.*& secunda parte dec*.325.328.& expressius in vna Trid.*die mercurij* 28 *Nouemb.an*.1607.*à Salas de leg.disp*.21.*sect*.12. allatâ. Vnde colligitur, declarationes Cardinalium, vim legis habere, Nã Iudex secundum leges iudicare debet, *leg.Nemo.Cod.de sent.& inter-loc. om.Iud.&c*. Ita Emanuel Rodriquez *tom*.1.*quæst.regul.qu*. 11. *art*. 2.6. Garcias *de benef.in præfa.colum*.1, & alij apud Bonacinam *tract. de leg.disp*.1.*q*.1.*punct*.8.*propos*.1 *n*.4. Barbos.*li*.1.*de Iure vniuers.Eccl. cap*.4. *de dignit.priuileg.& officijs Cardinalium.n*.81. vbi plurimorum eam in rem affert auctoritates.

His, vt ante insinuaui, contradicunt alij, ac negant, Cardinaliũ de- 35.
clarationes, vim legis habere, eò quod non sufficienter sint promul-
gatæ, quos refert & sequitur Bonacina *citato loco*. At ijs respõdet Bar- 36.
bosa *dicto li*.1.*de Iure vniuers.Eccl.cap*.4.*n*.83. promulgationem eiusmodi requiri in legibus, quæ nouum ius condunt; non autem quę ius antiquum declarãt. Declarationes enim ipsis legibus à principio in-
sunt, ipsisq; sunt quasi connaturales, Ideoq; declarationes legum, vir- 37.
tualiter simul cum legibus promulgatæ censebuntur? Hæc tamen nõ de omnibus omnino declarationibus Cardinalium, quæ circumferuntur, intelligenda, sed ea cautio est, vt ex constitutione Sanctissimi Domni Nostri Vrbani 2, *August.an*. 1636. eæ vim quasi legis obtineãt, quæ in authenticâ formâ, solito sigillo & subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præfecti ac Secretarij eiusdẽ Congregationis pro tẽpore existentium munitæ fuerint; Cæteræ verò nequaquã, sed ad indicẽ librorũ prohibitorum pertineant, ex decreto Congregationis Cardinalium ad Indicem deputatorum edito 29. *Aprilis al. Sexto Iunij ann*.1621. quod inhæret constitutioni fœlicis recordationis Pij IV. *quæ incip.Benedictus Deus,&c*. Ita *citat.loc*. Barbosa *n*. 83. & Rodriquez.

His positis. Quæro ego à F. Romano, quâ ratione ij, qui legitimas
Cardinalium declarationes defendunt vim legis habere, possint dici, 38.
Cardinales ipsos in Scholã mittere, atq; ad vnguem asperrimè castigare? Num aliquem defendere, & cum ipso facere, est ipsum in Scholas mittere & asperrimè castigare! Profectò quisquis ita senserit, Archigenis indigebit vel opus habebit, vt Cyclaminũ effodiat ad Halenta Fluuium. Adhæc, qui cautione duorum Summorũ Pontificũ ac Cardinaliũ modò Citatorũ vtitur, num iure reprehendendus?

Ex

39. Ex hactenus traditis relinquitur, F. Romani libellum, seu Astrum honori Summi Pontificis D. Nostri Vrbani VIII. Cardinalium, Episcoporum, Religiosorumque Virorum minus bene consulere; Ideoq; ijs tanquam iniurium, reijciendum esse.

40. II. Porrò quas affert libellus iste rationes contra Monasteriorum translationes, nos sufficienter *in Tractatu nostro* ex ipsis iuris principijs propriè acceptis, *imò concessis etiam secundùm nonnullos eminem impropriis quibusdam locutionibus ac aliquot Dd. citatorũ authoritatibus,* ostẽdimus, nihil luminis à Iure Diuino, Naturali, Canonico ac Ciuili participare, ideoq; Eclipsin pati; quamuis Astrum, vt à Gasparis Scioppij exacuitur stylo, ac tortuosis criminationum aculeis armatur, nunquam quoad ipse viuet, videatur exstinguendum, prout literæ
41. Eminentissimi Domini Cardinalis supra allatæ videntur insinuare, ideoque nec ijs iudicaui occurrendum.

Vnde videre licet, quare ego libellum meum, Astri inextincti nuncupauerim Eclipsin seu deliquium. In ipso ita materiam omnem digessi, vt Ordo seruaretur, quem rerum postulabat necessitas & connexio, non quem perturbata Fratris Romani tenebat confusio. Ali-
42. qua quoque perperam ab eo congesta, nec ad rem præsentem facientia præteri, præcipua tamen ex ijs quoque attigi.

III. Denique beneuolum lectorem admonitum cupio, vt quando permultum ad rectum oculorum vsum interest, nullo imbutos humore maligno esse; medium item spatium, quo rerum simulachra deferri necesse est, ab omni esse colore alio purgatum, rectaque insuper ad videndi sensum lineâ, ferri rem videndam, punctoque suo terminatam repræsentari, vt inquam, oculos afferat ad hoc deliquium examinandum ab omni affectu puros sincerosque, neque ambiguitatis vllius fascino, aut fuco (quo sæpius hoc astrum vtitur) Vnde illius mihi persæpe inculcanda fuit vocum Significatio, patiatur sibi illudi, neque ab eo, quod directò singulis capitibus seu singulis punctis considerandum proponitur, diuersùm per secantes aliarum propositionum lineas intellectui repræsentari. Quod vbi fuero consecutus, secundùm Deum, cui hunc laborem meum imprimis consecro, Totidem causæ huius meæ fautores Patronosque, quot lecturi erunt, nactum me arbitrabor. Tu interim lector fruere & Vale.



ASTRI INEXTINCTI ECLIPSEOS SIVE DELIQVII INGRESſus & paritio.



PRoximis ſuperioribus annis SS^mi. D. N. Papæ ac S. C. M. Ferdinandi II. defenſio à R. P. N. Laymanno ſuſcepta, lucem aſpexerat, quæ iuſtam eorum voluntatem à quorundam impugnatione, fœlicibus certè auibus vindicabat, inflammatosque tum Pontificis, tum Cæſaris animos, in transferendis ex Reipublicæ Chriſtianæ vtilitate, atque vniuerſi Imperij bono, ad pios, cum Societatis, tum aliorum Collegiorum, Seminariorum &c. Vſus, aliquorum emortuorum ſeu extinctorum Collegiorum, vacantibus bonis, tuebatur. Aegrè nonnulli id accipiebant, ſuis obſtrui luminibus arbitrati; Ideoque prælucente Gaſpare Scioppio, mox ſuccedente fratre Romano Hay, nouum affinxêre emortuis monaſterijs Aſtrum, cuius fulgore haud vnquam deſtituta fuerint

monasteria, quin & ipsorum bona, ostendat nō vacantia esse, sed ab ordine perpetuò occupari ac possideri. Vnde quisquis sine grauissimâ ac maximè necessariâ causâ, ipsorum bona in alios aliorum Ordinum vsus destinauerit, grauiter iura, & naturale & diuinum, tum etiam Canonicū est violaturus. Verùm hic fulgor ad puram rationis rectæ lucem collatus, ita hebetatur, vt ipsum Astrum omnino destituat, maximamque ei pariat eclipsin. Quod vt facilius ab omnibus intelligatur, astri vniuersi partes, quarum decem omnino dantur, examinabimus.

Primâ quidem, Vtrum emortuis alicuius loci monachis omnibus, monasteria sint extincta, eorumque bona vacantia?

Secundâ An vero occupata adhuc & possessa ab Ordine, Vnione?

Tertiâ Vel si ab ijs nec occupata nec possessa, sperentur tamen occupatum iri?

Quartâ, Vel si nec spes bonorum ab Ordine occupandorum, ad quem illa bona spectent, an ad Superiorem & quo modo?

Quintâ Quibus Superior ea bona conferre possit?

Sextâ si ea alijs alterius Ordinis Religiosis conferret, vtrum violaret ius naturale, diuinum?

Septimâ Vtrum violaret ius Canonicum? *Quibus addentur* parerga quæstione

Octauâ de monasterio Woltigerodensi.

Nonâ de promissione Societati ab Abbatibus facta.

Decimâ de P. Deckerio, Vtrum scripturas sacras corruperit?

ASTRI INEXTINCTI DELIQVII

QVÆSTIO I.

Vtrum Monasteria omnibus alicuius loci monachis mortuis sint extincta eorumque bona vacent?

1. *Ambigua vocis significatio vnde determinanda?*
2. *Vox Monasterium quomodo accipiatur. & n.3.*

I. CVm in ambiguis nullum absolutũ aut possit aut debeat ferri iudicium, *c. fin. 33. distinct.* & quæstio proposita teste ipsomet F. Romano Hay *q. 1. n. 35.* ambiguitate vocis *Monasterij* laboret; ideo priusquam ad quæstionem Respondeatur, aut de ea feratur plenum & absolutum iudicium, Varia vocis *Monasterij* significatio est inculcanda; nam vnum idemque vocabulum ex diuersâ re, cui adhibetur, diuersas sæpè sortitur significationes. *Gœd. in l. 215. n. 6. per illum text. ff. d. V.S.* vnde pro variâ vocis *Monasterij* rei subiectæ applicatione, varia danda est responsio, vt ipsemet Frater Romanus agnoscit *q. 1. n. 35.*

2. Vocabulum autem *Monasterij* accipit Frater Romanus *d.loc.* 1. pro ipsis habitatoribus Religiosis. 2. pro habitatione claustralium, titulis affectâ. Vtrumque male, nec sufficienter explicat genuinam ipsius hac in materia nostra significationem. Nam primò, Monasterium seu conuentus seu collegium Religiosum, non dicit tantum personas Religiosas, sed etiam vnionem & ordinem inter personas vno loco, vnumque in finem congregatas, vt mox *ex Bart.* ostendetur; cum Collegium sit compositum quoddam artificiale, morale ex personis tanquam materiali, & dicta vnione, tanquam formali suo; nec contrarium ex allegatis à Fr. Rom. locis ostenditur. *Deinde* in alterâ *Monasterij* significatione, F. Romanus vel habitationem accipit pro-

Vocis Monasterij significatio à F. Romano accepta.

Refutatur.

ut est ius vtendi domo &c. iam ius illud cum personâ vtentis extinguitur *l. si habitatio §. 3. ff. d. vsu & hab.* Adeoque nulli plus obest ea significatio, quàm ipsi F. Romano statuenti, Monasteria quoad habitationem, mortuis eorum habitatoribus, non esse extincta; si *impropriè* pro *habitaculo*; iterum malè; quia hoc posito, Tituli, (quibus habitaculum, ipse dicit affectum) forent reales; quod falsum est de omnibus Titulis. Nã aliàs tituli saltẽ aliqui cũ Monachis ipsis nõ extinguerẽtur, nec cum alijs personis recrearentur, quod est contra ipsũ F. Rom. *q. 1. n. 32.* Quod verò nec sufficiens sit illa vocis Monasterij acceptio, ex sequentibus patebit.

§. 3. Quare vt iuridicè loquamur vocabulo *Monasterij*, significatur. 1. collegium seu conuentus religiosus 2. Tituli. 3. Iura specialia, ac Priuilegia. 4. locus, & bona Monastica, vt ex sequentibus manifestum fiet, atque aliquo modo insinuat F. Rom. *q. 1. n. 63.* Nos, quia de singulis moueri potest quæstio, ordine respondebimus. *Vera vocis Monasterij acceptio.*

CAPVT PRIMVM.

An Monasteria, vt Collegia Religiosa, sint extincta.

1. *Monasteria sunt Collegia Religiosa.*
2. *Monasterium vt Collegium Religiosum morte omnium illius loci Collegarum Religiosorum extinguitur. & n. seqq.* *Collegium dissolui ac desinere esse, æquipollent.*
3. *Collegij dissoluendi quot sint modi.*
4. *Collegium desinit esse vel quoad essentiam, vel quoad effectum, vel quoad vtrumque.*
5. *Extinctum esse, quid sit, item quid extinctum de iure, de facto. & n. 6. 7.*
7. *Ad Collegij esse, & conseruari quid requiratur & n. 5.* *Quid dicatur fieri de iure, quid de facto.*
8. *Collegium mortuum Religiosum an habitu adhuc maneat.*
9. *Totum destructum, quod facile ad primæuum suum statum reduci potest, an dicatur extingui vel dormire. & n. 10. 11.*
12. *Spes iuridica quæ sit, quæ non sit.*
13. *Quæ materia, quæ forma Collegij.*
14. *Quando dicatur Collegium emortuum dormire & 15.*
16. *Quomodo Collegium seruetur in vno.*

SVpponendum est, quòd singula Monasteria, sint Collegia & quidẽ Religiosa. *Pars prior* patet; nam quando plures simul congregati, & in vnum *Supposito.*

num finem legitimè vniti, habitant vel in vno loco vel in vna ciuitate, dicitur Collegium vel conuetus *Bart. in l. 26. de coll. illic.* Atqui singula Monasteria sunt, in quibus plures congregati simul, atque in vnum finem legitime vniti habitant, & quidem in vno loco, vt manifestum est. Igitur Monasteria singula sunt collegia; *Pars posterior* quoque patet. Nam Monasteriâ sunt congregata sub vnâ aliquâ Regulâ Ordinum Religiosorum, à summo Pontifice approbatâ in ordine ad cultum diuinum. Igitur monasteria sunt collegia religiosa. *h. 7.*

Conclusio. 2. Mortuis omnibus fratribus Collegis nullo omnino superstite, Monasterium vt Collegium dicitur extingui, & esse extinctũ, Ita sentiunt tum *Canonistæ*, tum *legistæ*, quando tradunt mortuis omnibus collegis, nullo remanente collegium dissolui, ac desinere esse; Quæ hoc in casu æquipollent, vt à *priori* per causam collegij intrinsecam formalẽ demonstro. Quando non amplius est nec conseruatur vnio, quæ fuit antea inter plures in ordine ad vnum finem (nimirum cultũ Dei) congregatos, tunc dicitur collegium extingui. At quando omnibus mortuis collegis dicitur dissolui collegiũ, vel desinere esse, tunc non amplius est, nec conseruatur vnio, quæ fuit antea inter plures, alicubi in vnum finẽ congregatos. Igitur quando mortuis omnibus collegis dicitur dissolui collegiũ vel desinere esse, tunc dicitur collegium extinctum esse. *Maior* probatur, quia vnio plurium, in ordine ad vnum finem vno in loco congregatorum, est causa formalis intrinsece collegium constituens, vt patet ex definitione Bartoli; Igitur vnio eiusmodi quando amplius non est, collegium dicetur extinctum. *Minor* eiusdem syllogismi est euidens ex terminis. quia dissolutio vnionis, & vnionis conseruatio opponuntur. Proinde vbi vnionis est dissolutio, non potest amplius esse vnionis conseruatio, sed extinctio.

3. Quibus iactis fundamentis 1. probatur ex Iure Consultis, quod mortuis omnibus alicuius loci religiosi collegis, collegium illud dicatur dissolui; Ita ex Canonistis Ant. de But. *in c. dilecta n. 16. d. exceß. prælat. v. Item* quæro, inquit, qualiter collegia dissoluantur. Dic quod quædam est dissolutio, quæ fit omnibus de collegio volentibus, *vt in l. 1. in fin. ff. de Coll illic.* illic, VEL MORTVIS OMNIB' NVLLO REMANENTE; quędã est dissolutio inuita, quæ fit de mandato Superioris, propter aliquod delictum collegiatorum, vt sub prætextu collegij liciti committant illicita *vt l. collegia ff. de Coll. illic. Vltimus* hic casus non est ad rem nostram præsentem, sed *secundus*, quia vltimus ponit collegas delinquentes, adeoque superstites; nos autem agimus de non superstitibus, qui casus est secundus Butrij, quo ipse ait collegium

Dissolutio Collegij &c. Probatur ex Canonistis.

ex Legistis.

esse dissolutum. Idem ex Legist. confirmat gloss. *in l. sicut. §. in decurionibus ff. quod cuiusque vniuers. nom.* Eidem subscribit Bart. *in l. sodales vlt. n. 22. ff. de. coll. illic.* quærens, qualiter collegia dissoluantur? Respondet, quædam est dissolutio, quæ fit omnibus de Collegio volentibus, *vt supra eodem, in l. 1. in fin.* VEL OMNIBVS MORTVIS NVLLO REMANENTE. *vt in l. sicut municip. ff. quod cuiusque vniuers. nom. & quod notat in fin. ff. ad municip.* quædam est dissolutio inuita, quæ fit mandato Superioris propter aliquod delictum collegiatorum, vtputa, si prætextu collegij liciti committant illicita *vt l. prox. in princ. & l. 1. & 2. ff. eod. & de Extraord. Crim. l. sub prætextu.* Vnde constat, mortuis omnibus alicuius loci collegis, nullo remanente, dissolutum illic esse collegium, adeoque esse extinctum.

Quod desinat esse prob. ex Canonist.

4. SEcundo probatur ex I. C. (quod mortuis omnibus alicuius loci collegis, dicatur illic collegium desinere esse) ita ait 1. gloss. *in c. statutũ verb. collegiatas de elect. in 6.* Dico breuiter quod si collegiũ DESINAT IBI ESSE, puta CANONICORŨ MORTE, locũ habet decretalis, quia alij habent substitui. Ita Chockier. *l. 3. d. Iurisd. ord. q. 19. n. 2.* Deinde Card. Zabarell. *Clẽ. in plerisq; 2. quæst. d. elect. l. 3. ff. d. coll. illic.* Collegium, ait, ESSE DESINIT SVBLATIS PERSONIS ILLIVS. Videatur & Bertachin *in repert. in v. Collegij.* Eisdẽ adstipulãtur ex Legistis. Bald. *in d. l. sicut § in decurionibus ff. quod cuiusq. vniuers. nom.* immò inquiens, quæro, quid si nullus remansit in collegio, vtrum per hoc dicatur collegium dissolutũ, & hæc est *opinio Ioan.* tamen si postea autoritate Superioris, collegium restituatur, videtur idem collegium cum priore; tamẽ reuera nõ est idem collegiũ, sed est nouum collegiũ. ista est opinio Ioan, pro quo facit *supra de leg. 3. l. pater filium § Tusculanus.* sed Inno. dicit aliter *in cap. cum ex iniuncto d. nou. op. nunt.* vbi sic distinguit, aut collegium est destructum autoritate Superioris, aut casu, puta mortalitate: Primo casu essẽtialiter, & effectualiter desinit esse collegiũ, & perdit priuilegia. SECVNDO CASV DESINIT ESSE COLLEGIVM, QVANTŨ AD IVRIS INTELLECTŨ. *Ita Bald.* Vnde colligitur nõ tantũ de facto, vt vult Haius *q. 1. n. 37. cir fin.* sed etiã de iure seu quoad iuris intellectũ MORTALITATE DESTRVCTVM COLLEGIŨ, vel si omnes collegæ sint mortui, collegiũ DESINERE ESSE, nimirum essentialiter, vt nos supra probauimus, non verò quoad effectum, vt perdat priuilegia realia, de quo infra. Nec *hoc*, sed *illud* ad præsentem spectat quæstionem; Attulimus tamen, quò duo distinctionis membra à Baldo allata sibi inuicem ostenderentur esse opposita.

Ex Legistis.

Conclusionis Collectio.

5. Cum igitur ex allatis DD. autoritatibus, Morte omnium ALICVIVS COLLEGII COLLEGARŨ, Collegiũ

illic

illic desinat esse, etiam illis dicetur collegium extingui, vel esse extinctum, vt declaratur ex ipsius *extincti* definitione allata à F. Rom. *q. 1.*
" *in respons. ad 2. n. 47.* Vbi extinctum
" esse ait quod ante fuit & nũc amplius non est seu desijt esse. Et quidem ipsum Collegium emortuum, non *de facto* tantum, sed & *de iure* erit extinctum; Nam de iure collegium ad sui constitutionem, tres personas in vnum finem eodem loco congregatas, *l. Naratius 85. ff. d. V. S.* ad sui conseruationem vero, vnam minimũ personam cum spe tamen restituendæ congregationis, requirit *l. sicut 7. § fin. ff. quod cuiusque vniuers. nom.*

F. Romani responsio duplex refutatur.

Quare *à contrario sensu*, quod est argumentum in iure fortissimum *Euerh. in loc. à cont. sen. n. 1.* vel potius *ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis*, argumentando, si ne vna quidem amplius persona cum eiusmodi spe reparandi eiusdem omnino
" collegij superfit, (vt hîc accidit) ip-
" sum Collegium non poterit *de Iure* dici esse, ac cõseruari, sed extinctũ esse.

6. F. Romanus RESPONDET, nõ de Collegio, vt est totum quoddam artificiale, morale, ex materia & forma artificiali morali compositum, sed solum de eius materiali, seu personis
" ipsis, & ait: *q. 1. in respons. ad 1. n. 35. circ.*
" *fin.* Iam ergo mortuis omnibus de
" Collegio, verum est dicere, Monaste-
" rium esse extinctum, sumpto nomine
" *Monasterij* pro habitatoribus siue
" Monachis ipsis. Omnes enim monachi mortui sunt & extincti, & ibidem in margine ait: Germani dicunt, Dies Closter ist außgestorben; de Collegio autem ipse secundum auctores à se citatos *Respondet*, illud mortuis omnibus, *1.* habitu manere *q. 1 n. 37. circa fin.* vel non extingui, *q. 1. n. 29.* vel certè 2. dici extinctum *de facto*, non *de iure q. 1. n. 37 circ. fin.* in interpolatione sua ad Socini verba, *in c dilecta n. 9. q. 2. d. excess. prælator.*

7. Verùm *hæc posterior* responsio hîc nullo modo locum habet, vt ante ostensum est, & *probatur* vlterius. Quia de facto dicitur tantum quid fieri, quando ipsum fit nec lege nec ratione legis approbante; *de iure* verò quando vel lege vel legis ratione, approbante aliquid fit, *l. 38. §. hi qui sunt ff. de V. O. & l. 41. ff. d. peculio l. 24. ff. d. R. I. c. inter alia de sent. excom. Vide late Rebuff. ad l. verbis legis. 120. ff. de V. S.* cũ ius & factum sibi opponantur *dd. ll. vbi id Dd. notant*, Atqui naturali morte defunctis omnibus Religiosis alicuius cœtus, in vnum finem vno loco congregatis, vbi nulla certa Iuridica, & proxima spes est reparandi similis collegij, dicitur ipsum collegium iure approbante, secũdum iuris intellectũ, dissolui, desinere esse; cũ collegiũ *de iure* non nisi tribus minimum constituatur personis, in finem vnum vno loco vnitis; atque in vna persona, cum spe reparandæ eo in loco congregationis iuridicâ, conseruetur, non vero in nulla sine eiusmodi spe iuridica, vt *sup. ex IC. & Dd. ab ipsomet F. Romano citatis* ostendi. Igitur naturali morte defunctis omnibus Religiosis, ali-

cuius cœtus, in finem vnum, vno loco vnitis, vbi nulla certa iuridica ac proxima subest spes similis reparandi illic loci Collegij, dicetur ipsum Collegium de iure, & non de facto tantum, esse extinctum.

F. Romani Responsio in syllogismo proponitur.

8. Quod supra respondit *priori loco* F. Romanus, hoc proponi potest syllogismo. Quod *habitu* manet, licet *actu* trãsierit, non potest dici extinctũ. Atqui Monasterium vt Collegium mortuis omnibus alicuius loci Collegis, licet *actu* desierit esse, *habitu* tamen manet quamdiu est spes similis collegij eo loco reparandi, *Bal. in c. nullus. n. 4. d. elect. Socin. in c. dilecta, n. 9. q 2. de excess. prælat. Haius q. 1. n. 37. circ. fin ex Soc. Laym. in censura sua.* Igitur Monasterium vt Collegium, mortuis omnibus alicuius loci Collegis, quamdiu spes est similis illic reparandi Collegij, non poterit illud ipsum dici extinctũ.

Confir. 1.

9. CONF. 1. ex August. Beroio *in c. quoniam de Iure patron.* vnde tale conficitur argumentum. Quod potest reduci ad sua initia seu ad primæuum suum statum; illud non omnino seu penitus dicitur extinctum, *l. quæsitum §. illud & ibi not. ff. d. leg. 3.* Atqui Collegium, quod semel est erectum, postea mortuis personis, potest reduci ad sua initia seu ad primæuum statum suum; *Haius d. q. 1. n. 37. ex Socin. in c. dilecta, n. 9. q 2. d. excess. prælat.* Igitur &c. Et licet pro tempore sit sublatum, tamen, quia deinde reassumitur; dicitur idem Collegium; sicut statua aurea vel argentea destructa, sed priori dein formâ redonata; intelligitur eadem *d. §. illud.*

10. Conf. 2. & 3. ex d. authoritatibus.

10. CONFIRM. 2. quia, quod collegiũ mortuis omnibus collegis, potest sæpe reduci ad primæuum suum statum, dicitur potius dormire & sopitum esse, quàm extinctum & suppressum vel exspirasse *per not. Bald. in c. cum accessissent n. 15. d. const. per l. sicuti §. non sexus C. d. præscript. 30. ann.*

Conf. 3.

11. Conf. 3 Huc accedit autoritas, Zecchi *de repub. Eccles. c. 26 sub n 2. Allegato Felin. in c. statutum, de elect. in 6.* Collegium, inquientis, non esse extinctum, vel suppressum, vbi solum personæ deficiunt morte vel extinctione, *Haius d. q. 1. n 39.* Verum hæc argumenta nihil contra nos.

Refutatio Argumẽti.

12. Ad *primi* enim *minorem*, RESPONDEO, vel illic Collegiũ accipitur pro conceptu nominis, id est, prout denominatio quædam est seu Titulus vniuersalis; vel pro ipsa reali congregatione plurium in vno loco simul habitantium atque in eundem finem vnitorum; si *prius*, concedi potest totum argumentum; cum sæpe nomina seu denominationes, rebus etiam destructis, remaneant. Ita nomina ciuitatum Hierusalem, Sodomæ & Gomorræ manent; cum tamen ipsæ sint funditus destructæ, & extinctæ, nisi quis sacrarum literarum testimonio velit reclamare. Vnde patet ex eo contra nos nihil concludi posse; sin *posterius*; RESPONDEO distinguendo *minorẽ*, Collegium mortuis omnibus collegis, licet actu desierit, habitu tamen manere, quando subest spes Iuridica probabilis & propinqua illius similis reparandi; concedo, *ex Petro*

Anton.

Anton.d.pètra.de iure quæsit. non tollend. c 30.n.35.36.37.38.& c.32.in princ.n.74. secus quando subest spes non iuridica & remota, qualis est quæ directò pendet ab alterius voluntate. Hæc enim cum sit causa libera indeterminata, facit vt & incerta sit omnino spes in ipsâ fundata, eò quod aliter se habere possit pro alterius voluntate, ideoque nec est considerabilis, nec alicuius æstimationis. *Ita Petrus Ant. de Petra.d.l.Aretin.cons.7. incip. procedendum est breuiter col.2. in fin. Rom.cons.256.incip. approbo sententias, per l. si ita scripsisset, ff.d. leg. 2.* hæcque est communis DD. & approbata à Rota *decis.25.de rescript. in nou. Aegid. decis.749.in fi.relata à Feli.in c.in nostra in 7.cor.de rescrip.Vide nos inq.3.* Atqui emortuis ante multos annos Collegis, spes collegij similis, de quo disputamus, reparandi est non iuridica, & remota: cum reparatio illa, fatente ipsomet F.Roma.*q.1.n.6.& seqq.* directò pendeat â Superioris voluntate, *vt q.3.& 5.* ostendetur. Igitur emortuis ante multos annos collegis vno loco vnitis &c. collegium non dicetur habitu manere, ac consequenter esse extinctum.

13. *Ad Confirm.1.* RESPONDEO illam prorsus â scopo aberrare: nam Beroius agit de toto artificiali composito, quod ipsum formâ destructâ, saluâ tamen manente Materiâ, non dicitur omnino extinctum, cum possit suam recipere formã, vt arguit lex *de conflata auri Massa* agens, ab ipso *Beroio* allegata. Atqui vt hoc principium collegio Religioso accommodem, sciendum est, collegium religiosum esse totum quoddam compositum artificiale, cuius materia sunt ipsæ personę, ex quibus constituitur collegium; forma verò est ipsa vnio congregationis personarum in vno loco ad eundem finem sub vnâ regulâ religiosâ approbatâ legitimè conspirantiũ, sicut corpus domesticum est quoddam totum artificiale compositum, cuius materia sunt personæ, ex quibus constituitur materialiter corpus; forma verò est ipsa vnio plurium personarum sub vno Patrefamilias constitutarũ; vel sicut in artificiato materia est res ipsa, *v.g. aurum, argentum*, in quam introducitur forma, vel quæ recipit formam: forma vero est ipsa ratio artificij materiæ impressa. Nũc si vel ob mortalitatem, vel hostilitatem, Religiosi alicuius coetus vel omnes pręter vnum vitâ defungerentur, vel in varia distraherentur loca, diceretur collegij ratio & forma dissipata, materia tamen ipsa vel tota (vt si omnes vel tres minimum personæ illius congregationis essent superstites,) vel pro parte (vt si vna duntaxat relinqueretur persona superstes) manere, vnde iuridica spes affulgeret facilè collegium ad pristinam formam reducendi. At nos de eo agimus casu, in quo nulla persona cum eiusmodi spe, idque à longissimo tempore relicta superstes, adeoque vbi ipsum collegium de iure exspirauit, vt supra probatum est.

Refut. Confir. 1.

14. Ad *Confirm.2.* RESPOND. Nõ probè argumẽtum adferri ex Bald. Hic.n. *in c.cum accessissent n.15.de constit.* positis duobus extremis vniformibus, nimirum

Refutatio Confir.1.

mirum quod & Collegium aliquando extiterit; & destructum, nunc sit immutatâ facie pristinâ, aut naturâ, ibidem reparatum; asserit collegium illud intermedio tempore potius dormisse, quàm exspirasse. *l. sicuti §. non sexus C.d. præscrip. 30. an.* propter coniunctionem extremorum & essétiæ. Nam aliàs si extrema essét separata, vel alterum eorum non esset positum; nihil saltem verosimiliter inferretur de medio, *Menoch. 6. præsump. 36.n.1. & 13.* Eo quod quando plura coniunctim requiruntur ad esse rei vel probationis, non sufficiat alterum esse vel probari, *Euerb in loc. ab effectis n.1. & seqq. per text. in l. vnde etiam §. hoc autem. vers. itaque & ibi gloss. ff. d. Itinere actuque priuato, in l. Fulcinius §. cum hoc & ibi Bart. quibus ex causis in poss. eatur.* Atqui in nostro casu emortuis collegis, alterum tantum extremorum ponitur, nimirum collegium illic fuisse, non verò & alterum, nimirum illud secundum pristinam facié ibidem reparatum, *igitur* in casu nostro non potest dici collegium, emortuis collegis, dormire tantum, & non exspirasse. *Nota* tamen, quod si spes Iuridica certa & proxima adesset collegij similis priori, illic reparãdi, perinde haberetur ac si collegium ibi fuisset resuscitatum; cum paria sint aliquid iam esse vel saltem de proximo sperari *l. penult. ff. de milit. test.* Hoc verò in casu nostro, nõ adest spes certa, iuridica ac proxima Collegij similis priori illic reparãdi: cũ illius reparatio directè à superioris pendeat voluntate teste *F. Roma. Hay. q.1.n.6. & seqq. ac Petro de Perus. tract. de mut. stat. eccles. c.3.n.9.* vide nos *in q.3. & 5. cont.6. Roman. q.1.n.53.* latè disputantes.

15. Ad *Conf.3.* RESPOND. L. Zecchiũ aliosque autores intelligendos esse de collegio numerato; vel etiam non numerato, vbi spes illius reparandi certa & iuridica adest: Nos autem agimus de collegio non numerato & vbi nulla similis spes iuridica adest. Igitur, &c. *Refutatio Confir.3.*

16. *Instabis* Collegium seruatur in vno. Ergo & collegia emortua in vno S. Benedicto. Instantia præclara! Hæc *consequentia* si quippiam valeret, sequeretur nunquam collegium aliquod Ecclesiasticum, qualecunque demum sit, extinctum iri, cum semper illud alicuius sit Sancti, cuius in honorem illud secundariò ab initio dicatum, cuiusq; anima apud Christũ viuat. Deinde resp. ad Antecedés; collegium, de quo nos loquimur, est visibile ac conseruari debet, minimum in vna persona visibili, hic in terris existente, cum spe iuridica similis congregationis reparandæ, vt nemini non notum est. Atqui S. Benedictus modò nec est persona, nec visibilis hîc in terris existens; cum anima eius in cœlum sit translata, & corpus in monte Cassino asseruetur. *Igitur* non potest dici collegium emortuum, in vno S. Benedicto conseruari. Relinquitur ergo, emortuis omnibus alicuius loci collegis, in finem vnum vno loco congregatis, collegium illic esse extinctum. *Instantia Respons.*

CA-

CAPVT SECVNDVM.

An Monasteria vt Tituli, sint Extincta?

1. Iura Collegij quæ & quot sint.
2. Titulus quot modis accipiatur.
2. Tituli etiam magistratibus aßignantur, per quos eorum dignitas, & imperium designantur.
3. Titulus hic quomodo accipiatur.
Quid Canonia,
Præbenda,
Dignitas,
Personatus? ibid. 3.
4. In Conuentibus monachorum solitariam vitam agentium non dantur propriè canoniæ, & præbendæ, sed analogicè & impropriè, & 5.
Canonici olim Regulares fuerunt, post etiam aliqui Canonici absolutè dicti & quinam? ibid. 4.
Non omnes Clerici Regulares sunt etiam Canonici Regulares. ibid.
Societas Iesu est Clericorum Regularium, ibid.
5. Canonia propriè quid? est duplex, absoluta & Regularis; præbenda propriè dicit aliquod proprium.
6. Morte omnium alicuius loci conuentualium vtrum tituli eorum extinguantur.
F. Romani Responsio & distinctio refutatur, ibid.
Titulus numeratus quis ibid.
7. Vera Responsio affirmans probatur.
8. Dignitas dicit relationem & qualem vers. part. 3.
9. Substitutio quomodo facienda vide remißiue.
10. Succeßio hæreditaria in Monasterijs non datur.
11. Iura quando perpetua.
12. Iura quando dicantur dormire, ibid.
13. Dignitas an aliquando poßit perire.
Quando dicatur dormire, ibid.
In recreatione dignitatis secundum priorem formam, non requiritur Papæ authoritas. n. 13.
14. Dignitas quando dicatur vacare.
15. Iura realia per se non pereunt, pereunt tamen subinde per accidens morte vel culpa omnium.
Dignitas quæ complectatur. n. 15.
16. Titulus vniuersalis seu nomen alicuius loci morte omnium non extinguitur.
Dicitur authoritate superioris supprimi, ibid.

POst Collegium veniunt IVRA ipsius Examinanda, Vtrum hæc sint extincta?
1. F. Romanus. *q. 1. num. 37. 40.* Indefinitè & indistinctè negat, iura Collegij omnibus ipsius Col-

legis defunctis, esse extincta & *n.38*, ea dormire ait, non perijsse.

Per *Iura* verò *Collegij* intelligit *n. 40. 47. 50.* Titulos, *Deinde n.37.38.* Iura specialia & priuilegia, *tum n. 20. 38. 40. 48.* Iura quæ sunt in re seu dominium & possessionem. *Denique q. 1. n. 49. 59.* intelligit ea, quæ sunt ad rem, vt ius electionis passiuæ *n. 2. 12. 13. 58.* ius hæreditariæ succesionis *n. 51. 58.* De singulis ordine agetur & quidem hoc capite de titulis.

2. Notandum est autem ex gloss. *in c. dudum 54. de elect. verb. intitulatam*, & lexicographis, quod titulus variè accipiatur. 1. quandoque enim libri aut operis alicuius, aut pressius capitis libri denotat inscriptionem, quæ nunc titulus, nunc rubrica appellatur. *l. 1. ff. si cert. pet. l. 2. § penult ff. d. Interd. 2.* Aliquando significat causam, vel dominij vel possessionis, vt sunt *tituli pro donato*, *pro dote, pro legato, pro derelicto*, *pro soluto*; *pro translato*, &c. Vnde in præscriptionibus Ecclesiasticis dicitur requiri bona fides & iustus titulus &c. In hac significatione tituli distinguuntur *in lucratiuos*, qualis est pro donato, &c. & *onerosos*, qualis est pro empto &c. *de quibus ICti & Oldendorp. in prim. class. 3. action. &c.*

3. Titulus alias est signum aliquod externũ, vnumq; aliquod, ab alio distinguens, aut est appellatio & denominatio quædam extrinseca vel à certis sedibus, ecclesijs, collegijs, totalibus (*vt 1. feud. tit. 6. c. neminem 70. dist.*) vel à singulis ipsorum officijs, dignitatibus, gradibus, beneficijs (*vt Nouell. de mandat. princ. §. Titulos. c. 3. dist. 70.*) desumpta, *Prior* denominatio est quasi vniuersalis; *Posterior* particularis vel potius singularis. Ratione *prioris* Ecclesia vocatur Episcopalis, Archiepiscopalis, Cathedralis, Collegiata sæcularium, Monasterium talis vel talis ordinis; In hac significatione dicuntur, *c. Episcopi dist. 80.* presbyteri per castella & modicas ciuitates atque villas debere ab Episcopis ordinari & poni, singuli tamen per singulos titulos suos, id est per singulas Ecclesias suis signis externis distinctas. Ratione *posterioris* venit appellatio alicuius certi in Ecclesia beneficij, officij, dignitatis, vt nimirum vocetur *Canonia*, *præbenda*, *Decanatus*, *personatus*, *Archidiaconatus*, *Prioratus* &c. *d. c. dudum ibi 2. vel 54. & ibi gloss. verb. intitulatam, de elect.* Ita & titulos magistratibus assignamus, per quos eorum gradus dignitas & imperium designantur; licet hi pro varijs sæculis varient. *d. Nouell. 12. §. titulos.* Quod verò titulus etiam denotet signum externum rebus ac bonis impositum vel impressum, probat *c. consuetudo 16: q. 6. & lib. 11. Cod. tit. vt nemo priuatos titulos prædijs suis vel alienis imponat, vel vela regia suspendat. Item de his qui potentiorum nomine titulos prædijs affigunt, vt eorum nomina in litem prætendant. &c.*

De Titulo, prout in prima significatione accipitur, clarum est, nos de eo hic non agere: prout in secũda significatione consideratur, non huc, sed inferius *ad qu. 3.* vbi de dominij

causa

causa agitur, spectat, In tertia verò significatione acceptus titulus duplicem hic fundit quæstionem. Prior est, vtrum singuli Monasticorum conuentuum tituli (vt sunt Monachatus & similes) mortuis omnibus collegis vnum in finem vno loco congregatis sint extincti. *Posterior* vtrum titulus Monastici conuentus vniuersalis, id est, nomen ipsum & appellatio totius Conuentus, (hæc enim vox ex vsu Monachis est accommodata. *Suar. tom. 3. de relig. tract. 9. lib. 1. cap. 9. numero 11.*) Mortuis omnibus collegis, vno loco, eundem in finem congregatis, sit extinctus. Pro *priori quæstione* F. Romanus assignat Canoniam Monachalem, præbendas, dignitates ac personatus, hosque non formaliter, sed potius fundamentaliter considerat, vt ex allatis à nobis fideliter Hostiẽsis aliorumq; Dd. descriptionibus, quas F Romanus nonnihil interpolauerat, patebit.

„ §. Canonia est ius quoddam,
„ quod ex electione seu collatione,
„ vel institutione & receptione a-
„ licuius in Canonicum & fratrem
„ oritur siue acquiritur, vbi certus
„ est Canonicorum numerus: vel de
„ nouo creatur, vbi certus numerus
„ non habetur *c. dilecto de præb.* tribuit-
„ que ius ad ea, quæ ad Canonicatum
„ pertinent, cum stallo in choro, & lo-
„ co ac voce in Capitulo. *Host. in*
„ *summ. de præb. nu. 1. Honor. ibid n. 40.*
„ Præbenda est ius percipiendi pro-
„ uentus in Ecclesia, competens per-
„ cipienti tanquam vni ex Collegio, &
nascitur ex Canoniâ, sicut filia ex „
matre. *Host. d. l. & in 6. relatum. c.* „
dilecto. de præb. „
Dignitas *strictè sumpta*, est præemi- „
nentia cum administratione & iuris- „
dictione, vt Archidiaconatus, &c. „
Honor. 3. summ. decret. tit. 5. de præb. „
n. 37. Rebuff. de pacif. possess. n. 69. A- „
lias *generatim* est quælibet prærroga- „
tiua in Ecclesiâ. *Tholosan. de instit. rei* „
benef. cap. 10. n 18. „
Personatus est præeminẽtia sine iu- „
risdictione. *Thol. d. l. Barbos. in collectan.* „
de offic. primicerij. in c. vn. n. 7. Honor. d. l. „
n. 38. vt quia habet stallum in choro „
honorificum præ alijs. *Honor. d. l.* „
aut quando aliquis in capitulo, in „
processionibus prærogatiuam maio- „
rem habet, quam alij Canonici eti- „
am ante recepti. *Rebuff. de pacif. poss. n.* „
70. Hæc authores citati. „

§. 4. Hos omnes & singulos Titulos in Monachorum solitariam vitam agentium Conuentibus dari asserit F. Romanus *q 1. n. 34. At malè.* Nam Canoniæ & Præbendæ si propriè accipiantur, Ecclesiæ Monachorum solitariam vitam agentium non conueniunt. Pro maiore illius intelligentiâ.

Adnimaduertendum 1. quod primis sæculis Canonici fuerint Regulares, qui sub communi vitâ proximè ab Episcopis assumebantur ad principalia ministeria & consilia Ecclesiastica, administranda Sacramenta, verbum Dei prædicandum, ac in communibus Clericorum consessibus digniora loca obtinebant.

Postea qui communi relictâ vitâ, proprias Canonias & Præbendas inter se diuidebant, absolutè Canonici; qui verò communem retinebant vitam, *Canonici Regulares* appellabantur. *Suar. tom. 3. de relig. tract. 9. lib. 1. cap. 9. n. VI.*

Animaduertendum 2. Quod non omnes Clerici Regulares sint etiam Canonici Regulares; quia Societas nostra est Clericorum Regularium, non verò Canonicorum Regularium *Suar. d. l. num. VIII. in fin.* eo quod Societas nostra deputetur quidem ad diuina ministeria, in ordine etiam ad salutem proximi, non vero ad stallum in choro &c. neque vt participet aliquam dignitatem, quam Canonici Regulares videntur participare *Suar. d. l. nu.* VIII. X. XI. XIII.

Animaduertendum 3. quod nomen Monachorum non generatim hîc nos accipiamus, prout sub eo comprehenduntur etiam quicunq; Regulares sed strictè & propriè *ex Barbos. dè iur. vniv. Eccles. c. 41. n. 15. 16. 17.* prout per illud designantur tantum Monachi solitariam vitam agentes, nec præterea in actione aliqua circa diuina ministeria proximis impendenda per se versantur.

His positis, ostendo in Conuentualibus monachorum solitariam vitam agentium, Ecclesijs non dari propriè dictam Canoniam, aut Monachatum non esse Canoniam.

Nam 1. Canonia supponit per se Clericatum *c. vn. 15. q. 2. & ibi Gratian. 6. in omnibus. de consecrat. dist. 5. c. decimas 16. q. 1. iunct. inscript.* & ordinatur per se ad diuina ministeria peragenda, ad verbum Dei prædicandum, ad sacramenta administranda *Barbos. lib. 1. de iur. vniuers. Eccles. cap. 42. nu. 98. 99. ex S. Thoma. 2. 2. q. 189. a. 8. ad 2. & ibi. Sylui.* Atqui Monachatus solitarius per se non supponit clericatũ *c. generaliter 16. q. 1.* nec per se ordinatur ad diuina ministeria peragenda, ad verbum Dei prædicandum, ad sacramenta administranda *S. Thom. 2. 2. q 189. art. 8. ad 2. & ibid. Syluius. Barbos. d. l. c. 42. n. 98. 99. & q. 41. n. 16. 17. ex c. placuit, c. nemo c. Monachus. c. alia 16. q. 1.* Atque ita pro Canonicis Regularibus Ordinis S. Augustini Congregationis Lateranensis contra Monachos S. Benedicti congregationis Cassinensis responsum est *apud Barbos. d. l. 1. c. 42.* Proinde Monachatus per se non est Canonia, &c.

§. 4. *Deinde* si in Monasterijs conuentualibus & quidem eorum, qui contemplationi vacant, solitariâ contenti vitâ, nec per se aut vi sui instituti ad peragenda diuina mysteria ordinantur, (quales sunt Cassinenses, Cistertienses & similes, *Barbos. lib. 1. de iur. vniv. Eccl. c. 41. n. 16.*) dantur propriè dictæ Canoniæ, vtique illorum conuentuum monachi compellandi essent canonici; tum quia Canonicus hic accipitur, non vt nuda tantum grammaticâ deriuatione significatur is, qui viuit sub aliquo canone & regulâ, sed etiam vt logicâ & iuridicâ notatione indigitatur is, qui ex vsu receptâ significatione

tione habet Canoniam. *Suar.d.l. n. 16.in fine.* tum quia canonia & canonicus sunt coniugata. Cum quo vero vnum coniugatorum cohæret, cum eo cohæret & alterum. *Euerard. ab Etymol. n. 15. per l. 1. § pactum ff. de pact.iunct. c. pactum. de V. S.* Proinde si cum Monachis conuentuum vitam solitariam agentium cohærent Canoniæ, cum iisdem & canonicorũ nomẽ cohærebit. At quis vnquã Dd. probè sentientium Monachos solitariâ contẽtos vitâ appellarit propriè Canonicos? Profectò si quis Monachorum Cassinensiũ, Cistertiensiũ & similium, se propriè Canonicũ velit nuncupari, ostendet se humilis Monachatus nomen erubescere, atque in posterum honorificum Canonici nomen ambire. *Denique* ex quo textu iuris ostendet F. Romanus, monachatum esse propriè dictam Canoniam? Annon de Monachatu & Canonicatu tanquam de diuersis & separatis, interpositâ particulâ disiunctiua (VEL) agunt iura & Dd. Nauarr. *de Regular. comm.4.n.25.* Barbos. *lib. 1. de iur. vniu. Eccles. c.42.n. 98. 99. 100.* quin & ipse F. Romanus *q.1.n 34. vers. Item titulus dicitur Clericatus, Monachatus VEL Canonicatus in aliqua Ecclesia, &c.* Pro quibus & militat hic antiquus Canon, ne Canonici Regulares fiant Monachi *c.1.cum seqq.19.q.3.c.sane,c. licet in princ. de regular.*

Neque his contrariatur Hostiensis *num.1.de præb.* à F. Romano citatus. Nam ipse ne vel vllo apice Canoniã Monachalem insinuat. Agit ille quidem isthic de Canonia, sed ex qua oritur præbenda, tanquam ex matre filia, vt ipsemet F. Romanus *cit.loc.* testatur. Atqui non ex Monachatu, sed ex Canoniâ absolutè sumptâ oritur præbenda. Igitur &c. Pars *prior* Minoris patet, quia præbenda ne quidem ex Canonia regulari oritur *Innoc. in c. dilectus 19.n.6. Card. in Clem.2.§.1.not.1. de æt. & qual. per c. ex parte de præb. Ioan. Andr. in reg. non est obligatorium. in Mercur.* Cum prębenda dicat aliquod proprium *Innoc. in d.c. dilectus 19.n.6. Card. in Clem.2.§.1.not.1.de æt. & qual. per c. ex parte de concess. præb.* Quod repugnat statui non tantum Clericorum Regularium, sed & Canonicorum Regularium *Innoc. d. l.* Ergo multò minus prębenda orietur ex Monachatu, cum huic proprium, multò magis repugnet, & quod hic status illo sit arctior. *S. Thom.2.2.q.187 a.8 ad 2. ibidemq; Syluius.* Pars *posterior* Minoris probatur, quia præbenda, quæ oritur ex aliqua Canonia, tanquam ex matre filia, orietur vel ex Canonia regulari, vel absolute dicta. Nec enim tertia species Canoniæ propriè dictæ ostendi potest. Atqui præbenda, de qua Host. *cit.loc.* non oritur ex præbenda regulari, vt paulò ante ostensum fuit. Igitur ipsa orietur ex Canonia absolutè dicta.

Inquies, Canonia est ius spirituale, ratione cuius aliquis habet statum vel stallum in Choro Ecclesiæ, & locum in Capitulo, vt colligitur ex *c. dilecto de præb. & not. Innoc. & Dd. in c. cum M. de constit.* Atqui Monachatus est etiam

ſpirituale ius, ratione cuius habet Monachus ſtallum in Choro ſuæ Eccleſiæ,& locum in Capitulo. Igitur &c.

Reſpondeo I.ad *Maiorem*, ſi ea ita accipiatur,à F.Romano,vt Canoniam velit eſſe ius ſpirituale, ratione cuius aliquis & quidē quicunq; habet ſtatū vel ſtallum in Choro Eccleſiæ, cuiuſcunq;,& locum in Capitulo,tūc haud dubiè eſt falſa, vt ex hactenus traditis apparet;ſin vero velit Canoniam definiri ius ſpirituale,ratione cuius aliquis ſed Clericus habeat ſtatum vel ſtallum in choro Eccleſiæ & quidem dignioris ordinatæ per ſe,ſeu vi inſtituti ſui ad diuina tractanda myſteria, ſacramenta adminiſtranda, verbum Dei prædicandum, vtique eſt vera *ex Suar.d.l.c.9.n.X.Barboſ. cit. loc.c. 41.n. 16.17.&c.*

Hic bene Notandum,quod quando dicitur, Canonicis Regularibus *per ſe* aut vi ſui inſtituti competere vt ſint Clerici,non ſic intelligendum quaſi Ordini iſtorum Canonicorum ipſe Clericatus ſit eſſentialis,vt contra ſentiebat Barboſa. *lib.1.de iur. vniuerſ. Eccleſ.c.42.n.98.* Ideoque ſine Clericatu ipſorum profeſsio futura ſit inualida,ſed tantum vt ipſius Clericatus exigentia ſeu debitum ſit illi eſſentiale,quia Canonici Regulares ex conditione ſui ſtatus, ſeu hoc ipſo, quo tales ſunt,habent,vt ſint vel debeant eſſe in gradu Clericorū; Quod Monachis ſolitarijs, quatenus Monachi ſolitarij ſunt,non competit, vt patet ex *c.placuit.c,nemo,c.Monachus,c. alia.16.q.1.* quamuis per accidens etiam ipſi Monachi deputari nunc ſoleant ad Eccleſiaſtica miniſteria. *Syluius in 2. 2.q.189. a.8.ad 2.Barboſ. d.l.1.de iur.vni. Eccleſ.c.42.n.98.*

Atqui hinc 2. RESPONDETVR negando *minorem*; tum quia Monachatus per ſe aut vi ſui inſtituti non requirit Clericatum, *c.generaliter 16.q.1.* tum quia ius, quod fortè habet Monachus ad ſtallum in choro, non eſt Eccleſiæ per ſe ordinatæ ad Diuina peragēda miniſteria &c. Igitur,&c.

Interea tamen, quia Monachatus videtur aliqua ſimilia Canoniæ in ſe complecti, vt ex vtriuſque apparet collatione, ideo non abſurdè quis dixerit,Monachatum eſſe analogicè analogia proportionis Canoniam, indeque appellari Canoniam monachalem.

Verùm hæc Canoniæ ſignificatio valde impropria eſt, proinde ab hac impropria ad propriam eius ſignificationem velle argumentari, foret in iure valde abſurdum. Cum illud eſſet à ſeparatis argumentari, quod in iure eſt per quam abſurdum. Et nihilominus F. Romano ita lubet ratiocinari.

Alter quoque titulus Præbendæ propriè dictæ in Eccleſia Conuentuali ſolitariam agentium vitam, locum non obtinet.Quia ne in Regulari quidem Eccleſia dantur eiuſmodi præbendæ. *Innoc.in d.c.dilectus 19. n.6. de præb.* aut portiones diſtinctæ, ſed indiſtinctæ. Cum præbendæ dicant aliquod proprium *Innoc. d. l.Card.in*

Clem.

Clem. 2. not. 1. de æt. & qual. per c. ex parte de concess. præb. cuius Regulares Clerici non sunt capaces *Innoc. d. l. per c. quia tua fraternitas. cum seq. vsque c. non dicatis 12. q. 1.* Ergo multò minus præbendæ dabuntur in Conuentuali monachorum solitariam vitam agentium Ecclesia, quæ vtpotè strictior & arctior, *S. Th. 2. 2. q. 189. art. 8. ad 2.* multò magis proprium horret, &c. Igitur, &c.

Attamen quia in Ecclesia eiusmodi conuentuali aliqua proportio & similitudo reperitur quoad victum & vestitum, quem à Monasterio habent Monachi, ideo fortè nonnemo dixerit, etiam illic dari quandam analogicè præbendam.

Ex hactenus traditis apparet, quam procul P. Romanus ab ipsa quæstionis ianua aberrarit, vnde porrò colligere licet, quam ab ipsius adytis & penetralib. remotũ ipsum esse oporteat. Nos diuina prælucente gratia aberrantem F. Romanum insequemur, si fortè sincera à nobis allatæ rationis rectæ luce illustratus in viam rediret. Ita verò F. Romanum persequemur, vt retentis ipsius terminis, ostendamus nihil inde contra nos, sed potius contra ipsum semper concludi. Atq; ex ipsis titulis fundamentaliter *vt supra monui*, cõsideratis colligetur, quid de titulis *formaliter* acceptis sit sentiendum. Posita igitur *analogicè* Canonia & præbenda, *quæritur*, Vtrum mortuis omnibus alicuius Monasterij Collegis dicto modo cõgregatis singuli hi tituli sint extincti? F. Romanus *q. 1. n. 35. & seqq.* videtur distinguere inter titulos numeratos & non numeratos, vt hi extinguantur, non illi; Inter hos censet Canonias Monachales, *q. 1. n. 42.* inter illos dignitatem referre videtur *q. 1. n. 43.* licet hîc indefinite vocet titulos Monasteriorũ numeratos. At hæc distinctio in Ecclesiâ nõ numeratâ non habet locũ, quia posito, *vt paulò post demonstrabitur*, ꝙ Canoniæ Monachales sint tituli non numerati, certè dignitas quæ vna & sola est in Abbatijs (cũ prioratus claustralis non sit dignitas *Barbos. lib. 1. iur. vniuers. Eccles. c. 30.*) non erit titulus numeratus. Nam vt Titulus dicatur propriè in iure *numeratus*, requiritur vt concurrant plures tituli, ijque certi ac habiles, neque ex accidẽti facilè mutabiles. *Bald. in princ. & But. in c. cum Ecclesia d. Elect. Butr. in c. cum M. Ferrariens. d. constit.* Atqui cum dignitate Abbatiali in Monasterio non concurrunt tituli alij certi & habiles, quia prioratus claustralis non est certus *Barb. 1. iure vn. eccl. c. 30. de prior.* Nec certi & stabiles aliarum Canoniarum Monachalium tituli, *vt statim probabitur*, Igitur Abbatialis dignitas in Eclesia non numerata, non est titulus numeratus, cum hic supponat numerum certum eumque stabilem; & vnitas tituli Abbatialis nõ sit numerus. Deinde quare F. Rom. *d. n. 40.* dicit titulos numeratos esse iura Collegij? An non tituli non numerati etiam sunt iura Collegij? si negauerit, veniet contra allatas iam definitiones.

Quæstio vtrũ morte omnium alicuius

loci Conuentualiũ tituli simul extinguantur.

F. Romani responsio & distinctio. Refutatur.

Vera Responsio seu Concl. I. 7. His positis RESPONDETVR I. Mortuis omnibus alicuius Monasterij Collegis dicto modo congregatis, eorum Monachatus, Canonias & præbendas Monachales, dignitates item, & personatus, adeoque singulos & omnes omnino titulos esse extinctos

Pars I. & P. prob. authoritatibus. *Pars* I. De Monachatib. Canonijs & 2. de præbendis Monachalib. Probatur ab Ant. d. Butr. *in d. c. cũ M. Ferr. n. 1. & 8. d. const. n 6. & in c. ex parte n. 1. d. concess. præb. Anchar. in c. Vacante n. 8. de præbend. Bald. in c. cum Ecclesia, 31. in princ. d. elect. & in c. constitutus d. rescrip. Panorm. in c. dilecto nu. 9. d. præbend. per illum text. & per c. fin. d. conc. præb.*

Hæcque propositio & responsio, tam certa est in iure Canonico, vt ipsum etiam aduersarium F. Romanum *q. 1. n. 42. & 44.* habeat adstipulatorem.

Ratio duplex. §. RATIO assertionis nostræ duplex adfertur. Altera quasi à *priori.* altera quasi à *posteriori.*

A priori. *A Priori* hæc asignatur à Dd. quam etiam F. Romanus *d. l. q. 1. n. 44.* insinuat; In Ecclesiam non numeratam (id est in ecclesiam, quæ non habet certum numerum Canoniarum & præbendarum stabilem & perpetuum, vel si numerum quidem habeat, tamen facilè ex accidenti mutabilem, *Bald. in prin. & Butri. in c. cum Ecclesia d. Elect. Butr. in c. cum M. Ferrari d. const.*) quando quis cooptatus vel receptus tanquam frater & præbendarius moritur, cum ipso extinguitur titulus Canoniæ & præbendæ monachalis, *per text. exp. in c. dilecto de præbend. & ibi Dd. not. frater Romanus d. q. 1. n. 44.* Adeoque si in Ecclesia non numerata cum singulis personis vnitis fato concedentibus, singuli canoniarum, & præbendarum tituli extinguuntur, certè omnibus Ecclesiæ eiusdem non numeratæ, canonicis & præbendarijs vnitis exspirantibus omnes etiam eorum tituli canoniarum, & præbendarum, extinguentur & erunt extincti. Nã idem est iudiciũ de toto respectu totius, quod est de parte respectu partis *l. quæ de toto ff. d. R. v. l. 1. ff. d. Euict. l. qui scit. ff. de vsu. §. nihil interest, Inst. d. fideicom. hæred.* maximè cum eadem vtrobique militet ratio; ideoque idem vtrobique ius obtinebit *l. 1. §. Interdum ff. d. fonte l. si postulauerit, §. 2. ff. d. adult. l. quædam §. nummularios ff. de edendo, cum similibus.* Atqui Monasteria Religiosa sunt Ecclesia non numerata *Fr. Roma. d. q. 1. numero 44.* Cum Monasteria non habeant certum numerum Canoniarum & præbendarum stabilem & perpetuum, vt manifestum est experientia & vsu quotidiano (experimur enim tantum in Collegiatis Canonicorum sæcularium Ecclesijs certum Canoniarum & præbendarum numerum, stabilem ac perpetuum esse, vnde & in ipsis datur earundem vacatio Dd. d. l.)

Quod si darentur Monasteria, quæ *Ante occupatio.*

quæ numerum quidem haberent; hic tamen in ijs non foret certus ac distinctus *Bald. in d. c. cum Ecclesia in Princ. d. Elect.* Vel si certum etiam haberent; Ast hic nec stabilis esset nec perpetuus, sed facilè ex accidenti pro annuorum prouentuum casuumque ratione mutabilis, vt iterum Experientiâ patet *Bald. in d. c. cum Ecclesia in Princ. d. Elect.* Vnde efficitur in Monasterijs religiosis, quando omnes personæ collegiales vnitæ moriuntur aut mortuæ sunt, nulla remanente, nec etiam spe iuridicâ similis collegij reparandi superstite, simul cum ipsis canonias & præbendas monachales extingui vel esse extinctas.

A posteriori. §. *Altera ratio*, quasi à *posteriori* petita hæc à Dd. assignatur: quod in Ecclesia non numerata, qualia sunt Monasteria Religiosa, quando in defuncti Regularis fratris locum substituitur alius, dicitur Canonia monachalis & præbenda de nouo temporaliter & non in perpetuum recreari *Anton. d. Butr. in d. c. cum M. Ferr. n. 1. d. const. Ancharan. d. c. vacante n. 8. d. præb. Panorm. in d. c. dilecto n. 9. per illum text. F. Rom. d. q. 1. n. 44.* Vnde tale cõficitur argumẽtum; quod de nouo opus habet vt recreetur, debuit ante desinere esse seu fuisse extinctum *Bald. in d. c. cum Ecclesia in Pr. Butr. Panor. cit. loc.* cum de nouo recreatio sit entis ex nihilo reproductio. At in Ecclesia non numerata seu monasterio Religioso, quando in defunctorum collegarum vnitorum locum substituendi sunt alij, opus est vt & Canoniæ & præbendæ illorum de nouo recreentur *d. c. dilecto & ibi Dd.* Igitur in Ecclesia non numerata seu monasterio Religioso, quando in defunctorum collegarum vnitorum locum substituendi sunt alij, debuerunt illic ante canoniæ & & præbendæ defunctorum, desinere esse vel fuisse extinctæ.

Pars Tertia de dignitatibus in Ecclesia non numerata probatur. *Pars Tertia* de dignitatibus in Ecclesia non numerata probatur *ab Anchar. gloss. Panorm. Ioan. Cardi. Zabarella. Anton. & Bald. n. 15. in c. cum accessissent. d. const.* Et ratio est, quia dignitas in monasterijs prout propriè in iure accipitur, dicit relationem transcendentalem, vt patet ex definitione eius suprà allata. Atqui relatio sublato subiecto, fundamento & termino correlatiuo perit & extinguitur. Igitur & dignitas in monasterijs, sublato ipsius primo subiecto (personis) 2. fundamento (collegio tali, nimirum quatenus dicit corpus politicum) 3. & termino correlatiuo (subditis) peribit & extinguetur. Subiectum autem dignitatis in Monasterijs; ipsius quoque fundamentum & terminus correlatiuus sunt sublata, quando omnes omnino Monachi vniti vno loco, mortui sunt, nullo superstite, nec dicta spe iuridica reliqua; Nam primò nulla illic persona religiosa vnita superest, igitur nullum illic subiectum dignitatis est *2.* nec illic collegium Monachale Abbatiale, (quod quatenus dicit corpus politicum ad sui esse requirit caput aliquod iurisdictionem

në habens) superest. Proinde nec isthic fundamentum dignitatis adest. 3. nec subditi ibidem supersunt; igitur nec ibidem dignitatis Abbatialis terminus correlatiuus; Consequenter omnibus vno loco vnitis Religiosis omnino mortuis, dignitas etiam Abbatialis illic perijt ac extincta est.

Pars: quarta de personatu probatur. *Pars quarta* de personatu eodem modo probatur, quo pars 1. & 2. Vnde relinquitur, extinctis collegis vno loco in Ecclesia non numerata vnitis; singulos & omnes collegij illius titulos particulares esse extinctos.

Obi. 1. 8. Obijcit aduersarius primo Defunctis collegis alij eiusdem Ordinis sunt substituendi *q. 1. à n. 1. fere per tot.* Igitur eorum Monachatus, Canoniæ Monachales & præbendæ seu tituli non erunt extincti. &

Confir. Confir. *n. 41.* quia (substitutis alijs) neque creatur aut innouatur ius nouum, sed Antiquum reassumitur, eo quod in successionibus hæreditarijs successor secundus in iure primi succedat, continuando ius primi ad secundum, sine innouatione iuris; & idem est in iure proprietario reali seu personali, quamuis Ecclesiastico *gloss. in c. suscepti extraua. ne sed. vac.*

Obi. 2. 2. Iura & priuilegia Monasteriorum casu vel facto destructorum, dicuntur Dd. manere, vt colligit F. Romanus *q. 1. n. 37. & seqq.* At Canoniæ & præbendæ monachales sunt iura Monasteriorum, F. *Roma. q. 1. n. 40.* vt patet ex earundem definitione. Igitur Canoniæ & præbendæ, monachales Monasteriorum casu vel facto destructorum, non erunt extinctæ.

Confir. §. Et *confir. n. 41.* quia concessa olim iura vel priuilegia (reassumpto conuentu) reassumuntur & perdurant, nec est necesse nouiter impetrare titulum Abbatis, vbi fuit; vel vsum mitræ, sandaliorum &c. substituta n. re in pristinum statum, omnia iura restituuntur *gloß. in c. pastoralis. 7. q. 1.*

Obi. 3. 3. Dignitas nunquam perit nec moritur; indiuidua verò quotidiè pereunt. F. *Romanus q. 1. n. 40.* ex gloss. *in c. quoniam de off. & pot. iud. delegati. verb. substitutum.* quæ in terminis ibi loquitur de dignitate Abbatiali, *& c. gratiose. de rescriptis in 6. Abb. in c. quia d. iud. n. 70.* Ergo aliquis saltem titulus morte huius vel illius indiuiduæ personæ in Ecclesia non numerata, non erit extinctus. Vlterius argumentatur F. Romanus *d. q. 1. n. 42.* Abbatiæ vel prioratus, morte Abbatis vel Prioris non extinguuntur, sed vacant tantum *c. Messana. c. ne pro defectu d. Elect. Abbas in c. quia propter. & in d. c. ne pro defectu n. 2. ibid.* Igitur nec si monachi moriãtur, eorũ tituli erunt extincti *Probatur consequẽtia.* Quia Abbatia & Prioratus Benedicti ex vna, & Monachi S. Bened. ex altera parte sunt correlatiua, & Ecclesia monastica seu titulus ipsius habet se respectu intitulati monachi, sicut vxor respectu viri seu sponsi. *secundum gloß. & Can.*

facit

Facit *c. sicut alterius 7. q. 1.* CONFIRMATVR. Quia iura realia alicuius corporis vel Collegij, hoc mortuo non extinguuntur. *Dd. in l. in omnibus causis 68. & in l. priuilegia quædam causæ 196. ff. d. R. Iuris. Ioannes Andre. in Mercur. in reg. 7. de R. I.* At dignitas est ius reale, quia priuilegia concessa dignitati censentur realia *Dd. cit. loc.* Igitur & ipsa dignitas erit ius aliquod reale.

Nam propter quod vnumquodque est tale, illud magis est tale *auth. multo magis C. d. SS. Ecclesiis. Schneid. in §. sacræ n. 3. Inst. de acq. rer. dom.* Hæc F. Romani sunt argumenta, & radij ab astro diffusi; sed stupidi vel hebetes vt ex respõsionib' apparebit.

Resp. ad Obi. 1. 9. AD I. RESPONDEO, *Antecedens*, prout à F. Romano astruitur, nimirum quod alij eiusdem Ordinis religiosi ex Dd. mente in defunctorũ locũ sint substituendi, esse falsũ. cũ Dd. tantũ generatim asserãt, defunctis alios esse substituendos (sed de hoc antecedente eiusque confirmatione ex *Conc. Trid. sess. 14. d. reform. c. 14. &c.* in quæstione nostra *3. & 7.* vt suo quæq; Ordine & non confuse cum aduersario tractentur, erit agendi locus proprius.) Vnde negatur *consequentia.* Quia ex eo præcise. quod defunctis Collegis dicantur generatim alij substituendi, non sequitur titulos non esse extinctos. nam alias quia ipso F. Romano auctore *q. 1. n. 16. ex c relatum. ne cleri vel mona.* personis alicuius Ordinis certi deficientibus, substituendi veniunt alij, alterius Ordinis, vel etiam deficientibus Regularibus, sæculares clerici *c. inter quatuor. de Religios. domib.* sequeretur, titulos illius Ordinis primi vel Regularium nõ esse extinctos; quod esset absurdum. *Deinde* posito sed non concesso, defunctis monachis alicuius monasterij, alios eiusdem Ordinis Religiosos substituendos, inde minimè conficitur, titulos canoniarum & præbendarum monachalium non esse extinctos, quia in ecclesia non numerata extinctis personis aliquibus licet aliæ sint substituendæ, *argumento c. cum Ecclesia. d. elect. & ibi. Bald.* non ideo tamen negabuntur in Ecclesia non numerata cum personis istis defunctis, tituli quoque canoniarum & præbendarum ipsarum esse extincti? Certe quisquis hoc negauerit, veniet *primò* contra expressum text. *in d. c. dilecto d. præbend. §. præterea*; ibi in ecclesia, in qua non est certus numerus præbendarum &c. cum intelligatur ad quoddam ius eligi; quod ex electorum consensu, De nouo creatur & cum electo in Canonicum nascitur & desinit cum defuncto &c. Deinde contra Dd. superius allatorũ autoritatẽ. Deniq; contra rationes supra ex iuribus deductas. Quare meritò exploderetur.

10. Quæ in confirmatione de successione hæreditariâ subijciuntur, ab hac materiâ Canoniarũ præbẽdarũ monachaliũ sunt aliena; cum & sanctuariũ Dei hęreditario iure teneri nõ pos- *Respond. ad Confi. obi. 1.*

possit *c. consuluit. de iur. pat. c. ad decorē. d. inst.* & in ecclesia Dei prohibeatur successio *c. apostolica 8. q. I. c. cū. præsentiū, d. fil. presbyt.* quin & successionis hæreditariæ exspectatio, *c. 2. de conces. præb.*

Nec CONTRARIVM *in Extrau. com. suscep. ne sed. vac. aut eius glo.* definitur; Et quia hæc glossa satis prolixa, videtur F. Romanus lectorem, fallere voluisse, vt tædio prolixioris glossæ peruolutandæ affectus, ipsi F. Romano crederet, quasi aliquot illic pro astro reperirentur radij, sed nec vllum eorum vestigium comparet; agitur n. illic de fructibus beneficij in collegiata ecclesia numerata vacantis, cuinam vacationis tempore sint ij applicandi, At quid hæc ad astrū? Næ ficti radij disparent.

Denique quod in confirmatione asseritur, substitutis alijs, eiusdem videlicet Ordinis Religiosis ius antiquū reassumi, verū est duobus positis extremis sibi similibus *vt supra c. 1. ad conf. 2.* Responsū est; at hic duo extrema sibi similia non sunt posita. igitur, &c.

11. Ad secundum F. Romani Argum. *Resp.* illius maiorem veram esse in iuribus & priuilegijs realibus per se consideratis, secus consideratis per accidēs, vt ex Responsione ad tertij Confirmationem patebit. Deinde eam falsam esse in iuribus & priuilegijs personalibus, maxime singulariter concessis, hæc n. cum persona creantur & extinguuntur. *Host. in summ. decret. de priuilegijs. n. 3. Ioa. And. in Mercurial. in reg. 7. de reg. Iur. &* Dd. *in l. in omnibus causis 68. & in l. priuilegia quadam causæ 196. ff. d. R. I. & in l. sicut §. in decurioribus ff. quod cuiusq. vniuers. nom. Lagus tit. de priuileg. Goff. in summ. decret. d. priuileg.* Hinc ad argumenti *minorem* Respond. Canonias & præbendas Monachales esse iura personalia singulariter Fratribus collegis cōcessa, eò quod cum eorū singulis creentur & desinant esse *d. c. dilecto de præbend. & ibi Dd.* igitur extinctis vel mortuis collegis, ipsorum quoque canoniæ & præbendæ monachales erunt extinctæ F. *Romanus q. I. n. 44.*

12. Ad Confirmationem obiectionis secundæ *Respond.* posito etiam altero extremo, quod congregatio reparetur secundum antiquam formā, & personę eiusdem qualitatis reponātur, cuius fuerunt priores, vel si spes subsit iuridica certa & proxima dictā congregationem ita Reparandi, Iuris fictione & impropriè dicentur iura potius dormisse quàm exspirasse *ita Lazarus Ioan. 11. dicebatur dormire nō obijsse*; sed de hac significatione vide nos sup. *c. 1. in resp. ad confir. argum. 1.* ita accipiendus locus à fratre Romano *q. I. n. 40. cit. ex Pan. in c. quia Monasterium n. 3. de Relig. dom* Ita & cœteri Dd. ab ipso citati *q. 1. n. 38. §. vlt. Chokier. in tract. d Iurisd. ord. in exemp. part. 3. q. 2. n. 6. Brunus de Interitu & perempt. conclusione 5. p. tot.* sentiunt quod prædicto

Ad conf. obi. secunda Resp.

dicto casu titulus ac iura innouata iuris fictione non dicantur perijsse, secus tamen rei veritate inspecta, vt probare ab ipsis allegata videtur *l. seruitutes §. si sublatum ff. d. seruit. vrb. prad.* vbi dicitur, si sublatum sit ædificium, ex quo stillicidium cadit, vt eadem specie & qualitate reponatur: vtilitas exigit, vt idem intelligatur: nam alioqui si quid strictius interpretetur, aliud est quod sequenti loco ponitur & ideo sublato ædificio vsus interit, quamuis area pars est ædificij. Hinc vides reposita re in pristinum statum, ius & nomen ex quadam benigniori interpretatione non dici auferri, idque propter vtilitatem in seruitutibus vrbanis, licet alias istud attento iure stricto esset amissum. vnde etiam destructo ædificio fructuario perit vsufructus, dixi *ex d. l. seruitutes* probare videtur, quiâ verè non probatur. Nam *d. l. seruitutes* agit de iuribus realibus, at nos agimus hic de personalibus. Sed demus gratis, à re ad personam posse duci argumentum idque in materia Ecclesiastica fauorabili; Attamen tunc ita accommodabitur, vt iura personalia dicantur sequi conditionem personæ, sicut realia conditionem rei, *ex Dd. supra cit.* proinde quemadmodum reparato Collegio ex personis eiusdem qualitatis, cuius fuerunt priores, vel si certa subsit spes iuridica & proxima illius ex personis similibus reparandi, harum congregatio dicitur potius dormisse quàm extincta fuisse, *vt supra c. 1. ostendi.* Ita & iura personas priores vel personarum congregationem consequentia, (quales sunt Canoniæ & præbendæ,) dicentur eo casu potius dormisse quam extincta fuisse.

Atque hæc ratio est, quare similium personarum substitutione, non sit opus noua iurium impetratione, vti docebo *ex Bald. in c. cum accessissent d. const. n. 15.* Verum vt ex præmissis subsumam, in casu nostro de quo nos agimus, necdum congregatio similis legitimè est substituta, neque spes adest certa iuridica, ac proxima similis congregationis reparandæ aut substituendæ: quod illius ordinatio adhuc directè pendeat à Superioris libero arbitrio & voluntate, vt *qu. 3. & 5.* probabitur; igitur, &c.

13. Ad 3. Argumenti *Antecedens* RESPOND. Dignitas in Ecclesiâ numerata numquam perit, *transeat.* At nego in Ecclesia non numerata (quale est Monasterium Religiosum) nũquam perire: nam ostendi in Ecclesia non numerata dignitatem sublato subiecto, fundamento & termino eius correlatiuo (vt in casu nostro) perire & extingui. *Secus* si subiectum illius indiuiduum, hoc vel illud quidem moriatur; maneat verò ipsius fundamentum (scilicet Collegium quatenus dicit corpus aliquod politicum, saltem imperfectum,) & terminus ipsius correlatiuus, (qui in concreto sunt subditi) De hoc *posteriori* casu loquitur Frater Romanus. Nos vero de priori, adeoque Frater Romanus nihil ad rem proponit. Hinc Respondetur similiter ad consequẽs, *Ad 3. Arg. Respond.*

quod priori casu aliquis titulus in Ecclesia non numerata maneat, negando; concedendo verò in posteriori casu.

Quod si tamen dignitas secundùm pristinam formam restitueretur, (vt est casus gloss. cit. ab aduersario *in c. quoniam de off. & potest. deleg. in verb. substitutum*) aut proxima, certa & iuridica spes illius in Ecclesia non numerata reparandæ, diceretur ea potius, fictione tamen iuris, non rei veritate inspecta, dormire quàm extincta esse,
" vnde Bald. *in d. c. cum accesissent num.*
" *17. & 18. d. const.* dicit, in recreatione,
" quæ fit secundum priorem formam,
" non requiri Papæ autoritatem, cum
" non sit omnino noua creatio, sed quo-
" dammodo reditus ad naturam suam
l. deferre §. fi. ff. d. Iure fisci. l. vlt. C. d. mil. quæ leges nihil ea de re habent, fortè voluit ipse Bald. citare *l. pen. ff. d. re mil.* sed neque hic textus multũ probat, Melior eam in rem est text. *in l. sed reuocata re ff. d. iure fisci.* Atqui nos, vt ex superioribus subsumatur, hîc non versamur in casu, quo reparata est vel dignitas, vel certa, iuridica & proxima spes adest eiusdem reparandæ, Igitur, &c.

Deinde ex eo, quod dignitas in Ecclesia non numerata, sublato hoc vel illo subiecto, manente tamen fundamento & termino correlatiuo, non moriatur, nõ sequitur absolutè, singulos Monachorum emortuorum titulos non esse extinctos. Id enim esset contra expressum ius supra allatum, & contra Dd. autoritatem.

14. *Ad Alteram* Argumenti tertij *partem* RESPONDEO. Morte Abbatis, dignitatem Abbatialem vel prælaturam in Ecclesia non numerata, dici vacare, remanente fundamento, (nimirum Collegio, quatenus dicit corpus quoddam politicum, licet imperfectum) & termino correlatiuo seu subditis, *secus* si & hæc sublata: de hoc *posteriori* nos agimus casu, *de priori* verò aduersarius: vt ab ipso citatum ostendit, *c. ne pro defectu. ibi vel regulari prælato non vacet c. Messana. ibi. Ecclesia pastore vacante de elect.* Immò conuincit ratio ab aduersario ex natura correlatiuorum, transcendentalium videlicet vt vocant, petita; in quibus vno posito ponitur & alterum, scilicet vel actu vel habitu, *Euerh. in loc. à correlat.* Proinde posito actu Collegio, necesse est dignitatem Abbatialem poni vel actu vel habitu. *Ad alterã argum. tertij partem Resp.*

Antecedens patet inductione. Nam posito actu, seu re ipsa intellectu, ponitur vel actu intellectio, vel potentiâ seu habitu, *& sic de cæteris.* Hinc nihil mirum, si existentibus adhuc subditis, mortuo verò capite vel prelato, dicatur dignitas Abbatialis vel prælatura vacare; Cum caput Morale virtualiter contineatur in Collegij subditis adhuc existentibus, ab ijsque vel eligi vel postulari posit, *Vivian. in rational. iur in c. 2. col. 15. §. 32. de rescript. per. c. scire 7. q. 1. l. ciuibus ff. de reb. dub.* Contra si caput aut prælatus adhuc existat, & subditi singuli essent mortui,

tui,non dicetur Collegij totius titulus vniuersalis, *de quo paulo post*, extinctus, licet singuli eorum tituli cum singulis exspirarint personis.

Ratio est, *tum* quia Abbas actu adhuc existens, alios in demortuorum subditorum Regularium locum substituere potest; *tum* quia Collegium etiam in vno virtualiter conseruatur cum spe iuridica substituendi alios, non verò in nullo, vt *supra c. 1. ex iuribus & Dd. autoritatibus* ostẽdi, *Viuian. d. l.* At nos hic agimus, vbi nec Prælatus nec subditi coniunctim aut diuisim existunt in Ecclesia non numeratâ; nec spes iuridica, proxima & certa reparandi similis Collegij subest. *Igitur* tituli eo casu in Ecclesiâ non numeratâ cum prælato & subditis demortuis erunt extincti.

Ad Confir. obiect. 3. Resp. ad maiorem. Ad tertij Argumenti Confirmationem RESPOND. 1. *Maiorem* distinguendo, iura realia per se non pereunt, *concedo*; non pereunt per accidens *nego*, Nam Emphyteusis concessa alicui pro se & filijs, licet per se sit perpetua, *§. 3. inst. d. locat. Bacch. in Treut. vol. 1. d. 29. thesi 9. lit. K. Mascard. conclusione 602. n. 2.* tamen per accidens finitâ generatione Emphyteutæ, finitur; nec tenetur dominus rem alij in emphyteusin concessurus, eam proximo prioris emphyteutæ cognato, *vt loquuntur*, refirmare *Bacch. d. disp. 29. th. 13. lit. G. in verb. nec tenetur Dominus*: & feudum licet ius reale sit, atq; ex se perpetuum, per accidens tamen finitur, morte videlicet vasalli, si defuncto ipso, nemo supersit, cui ius succedendi in feudo ex inuestitura cõpetat *Vult. d. feud. l. 1. c. 11. n. 6. Gœd. disp. feud. 9. thes. 2. lib. 6.* quin etiam Emphyteusis non est perpetua per accidens, quando amittitur ob non solutum in Ecclesiastica intra biennium, in ciuili intra triennium, canonem, *l. 2. & ibi Dd. C. locati* & feudum per accidens non est perpetuum, quando ob non petitam illius intra annum & diem, inuestituram amittitur *c. 1. quæ fuit prima causa benef. am. it. Vult d. l. c. 11. n. 23.* &c. Vnde patet, quod iura etiã realia, per accidens vel *morte* aliquorum &c. vel culpa pereant: ita hoc in casu iura realia & quidem respectiua seu relatiua, per accidens *morte* totius Collegij religiosi seu sublatis subiecto, fundamẽto & termino correlatiuo finiũtur seu extinguũtur, vel culpâ delinquentium ad alios *alterius* Ord. Religios transferuntur.

Ad Minorem Resp. RESPONDEO 2. ad *Minorem*, dignitas consideratur vel vt officium, vel vt beneficium, idque cum iurisdictione & præeminentia *ex Selua d. benef. part. 1. q. 2.* Vt connotat beneficium, habens annexam Iurisdictionem, *dupliciter* accipitur; primo *generatim* pro beneficio tum proprio, tum Improprio (cui non insit portio distincta, *vt est Abbatia regul.* &c. de qua hic sermo est) habente annexam iurisdictionem & præeminentiam. 2. *Antonomasticè & proprijssime* pro beneficio proprio, eoq; sæculari, *Selua d. l.* cui insit portio distincta, *vt est Abbatia sæcularis*, Selua *d. l. Tholosanus de re. be-*

D nef.

nef. inst. c. 10. n. 1. Atque hoc modo accepta dignitas *proprie* est ius reale, *vt patet.*

Hinc 3. sequitur responsio ad *conclusionem*, dignitas vt est beneficium & quidem improprium, habens annexam iurisdictionem, non perit per se, perit tamen per accidens, *morte* totius Collegij religiosi, seu sublato illius subiecto, fundamento & termino correlatiuo, & quidem sine vlla spe iuridica restitutionis, vti in hoc casu nostro accidit. Atque hæc hactenus de *singulari* titulo, nunc de *vniuersali* agendum erit.

Conclusio II. 16. RESPONDEO II. ad *principalem quæstionem*, Mortuis omnibus religiosis alicuius Collegij, titulus ipsius vniuersalis seu nomen ipsum Collegij, Monasterij vel congregationis manet, nec dicitur extinctum, quantumuis singuli eorum tituli sint extincti.

Pars prior, quod destructis congregationibus sæpè ipsarum nomen seu titulus vniuersalis maneat, *probatur* à posteriori. Nam ideo substitutis alijs alterius Ordinis religiosis, dicit superior, se nomen prius & titulum supprimere & extinguere. Quamdiu autem hæc suppresio à Superiore necdum facta est, locus vacans retinet nomen prioris congregationis eiusque appellationem vniuersalem. *Probatur à posteriori.*

Pars posterior probatur, quia nomina & appellationes cum sint rei extrinsecæ, non mutant ipsius rei veritatem, & *consequenter* nec faciunt, vt quæ sunt extincta, non sint extincta, adeoque licet titulus vniuersalis, quamdiu à Superiore non est suppressus, loco inhæreat vacanti; non tamen efficiet, vt singuli ipsius Ecclesiæ non numeratæ tituli non sint extincti.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

Vtrum Mortuis omnibus alicuius Monasterij Collegis iura specialia & Priuilegia sint extincta?

1. *Restituta re in pristinum statum, iura restituuntur, nec est opus ea de nouo impetrare, & n. 4.*
2. *Priuilegium quotuplex.*
   Quid priuilegium personale, quotuplex Quid reale.
   Quò corporale spectet,
   Quid & quotuplex corporale sit.
3. *Priuilegium personale cum persona extinguitur.*
   Corporale omnibus omnino ex Corpore vel Collegio deficientibus deficit, aut desinit esse, aliàs non.
   Reale, re casu destructa, non extinguitur.
4. *Non est indiscriminatim verum, quod destructo Collegio eius iura non pereant.*
   Priuilegia corporalia ratione loci concessa mortuo Collegio non extinguuntur.
   Priuilegia corporalia mortuo Collegio, sed simili restituto, dicuntur potius dormisse.
5. *Actio semel extincta, regulariter non reuiuiscit; subinde tamen beneficio legis aut Prætoris ex causis aliquo modo restituitur.*
   Vel actio directa extincta non reuiuiscit, secus vtilis.
6. *c. 20. 25. qu. 2. quomodo intelligendum.*
7. *Ius mitræ, sandaliorum, &c quale priuilegium sit in Abbatibus.*
   Insignia aliqua Episcopalia, Abbatibus non iure communi, nec ratione dignitatis, sed Priuilegio sæpe concedi solent.
   Quando & vbi ijs vti possint?
8. *Priuilegium personale non regulariter, sed aliquando transmittitur ad successorem.*

HActenus *de Titulis*, vt iura sunt Collegiorum religiosorum, nunc *de iuribus* separatim acceptis *& priuilegijs* agemus.

F. Romani opinio 1. probatur author. F. Romanus *q. 1. n. 37. 38.* negat iura specialia & priuilegia Collegij Religiosi, omnibus fratribus collegis emortuis, esse extincta, *ex Abb. in c. gratum, d. elect. n. 12. in c. cum ex iniuncto, de noui oper. nun. n. 5. vers. secus est, & c. cum super. de caus. poss. & prop. Mart. Mager. c. 16. de aduocat. armat. nu. 29. per l. mortuo ff. d. fidei. vbi vterque citat Innoc. in c. cum ex iniuncto num. 2. d. nou. op. nunc.*

Frideric. d. Senis cons. 15. n. 5. Confirmat autem F. Romanus suam assertionē *n. 41.* quia, *inquiēs*, concessa olim iura & priuilegia reassumuntur (collegio scil. restituto) & perdurant, nec est necesse nouiter impetrare titulum abbatis, vbi fuit, vel vsum mitræ, sandaliorum, &c. Restituta n. re in pristinum statum omnia iura restituuntur *per gloss. c. pastoralis 7. q. 1.* neque creatur aut innouatur ius nouum, sed antiquum reassumitur, quia in successionibus hæreditarijs successor secundus in iure primi succedit, continuando ius primi ad secundum sine innouatione iuris, & idem est de iure proprietario reali seu personali, quamuis ecclesiastico. *gloss. ext. ne sede vac.*

Nota pro solutione.

2. Pro solutione NOTANDVM *ex Azorio tom. 1. l. 5. Inst. moral. c. 22. de priuil. q. 2.* priuilegium aliud esse personale, aliud reale. Personale est, quod in certam personam confertur, illique adhæret, vel certo generi personarū vel vniuersitati, communitati vel collegio hominum conceditur.

§. Reale est, quod conceditur certo generi actionis, causæ vel negotio, vel loco, immediateque rei inhæret *c. mandata d. præsumpt. l. priuilegia 196. ff. d. R. I. l. forma. §. quanquam ff. d. censibus.* Vnde ad *personale* reuocatur corporale *per not. Ioan. Igne. in l. necessarios. §. non alias ff. ad Sen. Syll. n. 415. & pluribus seqq.*

§. *Alias* Dd. *in l. quia tale ff. sol. mat.* priuilegium aliud faciunt *personale*, aliud *corporale*, aliud *reale*.

§. PERSONALE est illud, quod principaliter personarū gratia cōceditur. Hocque *duplex*, aliud PERSONALE SINGVLARITER, estq; illud, quod nominatim vni vel pluribus personis expresśis conceditur V. G. *pallium Archiepiscopis NNN.* ALIVD PERSONALE COMMVNITER, cum non nominatim sed communi designatione qualitatis, illud personis certis ex causis & in certis articulis conceditur, *quale est beneficium restitutionis in integrum minoribus; absentibus reipublicæ causa; Senatus consulti Macedoniani, filijs fam. in causa mutui, Velleani, mulieribus in causa fideiußionis &c. Datum.*

§. CORPORALE priuilegium appellatur, quod alicui collegio vel corpori personarum, est concessum, *vt sunt priuilegia vniuersitatum, Monasteriorum, Ciuitatum &c.* Idque *duplex* est, aliud singulariter & communiter corporale est, quod ita confertur, vt omnes & singuli, qui sunt de collegio vel corpore, cui id datum est, ipsum pro se vti possint, *vti est priuilegium clericorum, c. si diligenti, de foro compet.* Aliud communiter tantum corporale est, quo solum gaudet collegium, & non singulæ ex eo personæ: *vt qui est manumissus ab aliquo municipio, ille non cogitur*

tur veniam impetrare conueniendi, si contra aliquem ciuem eius municipij experiri velit; quia non à singulis ciuibus, sed à toto municipio manumissus est. Itaque priuilegio patronorum, singuli ciues tanquam patroni contra eum non fruuntur. *l. sed si hæc §. qui manumittitur ff. d. in ius voc.*

§. Reale est, quod Ecclesiæ, ciuitati vel loco aut personis vel congregationi ratione loci, vel alicui rei aut causæ aut actioni conceditur *c. cum olim el. 1. c. seq. d. priuil. l. in omnibus causis l. priuilegia ff. d. R. I. & ibi Decius. n. 13. Honor. 5. sum. decret. d. priuil. tit. 33. n. 3. Ioannes And. in Mercur. Reg. 7. Host. in summ. de priuileg. n. 3. & ibi Goffred. Lag. in meth. iuris ciuil. tit. d. priuileg.* His positis.

3. RESPONDEO Priuilegium merè PERSONALE cum persona extinguitur; CORPORALE, quamdiu aliquis ex corpore aut Collegio superest, conseruatur; si vero nullus superſit, nec spes iuridica & proxima corporis similis omnino resuscitandi, extinguitur. *Reale* Ecclesiæ, (hac casu destructa) non extinguitur. PARS PRIMA est Dd. sup. cit. per *d. l. in omnib. causis l. priuilegia ff. d. R. I.* & PROBATVR. quia priuilegium personale non nisi intuitu personæ conceditur. Ergo si deficiat aut desinat esse persona, priuilegium quoque personale deficiet aut esse desinet; cum hoc non egrediatur personam, cui concessum est; adeoque cum ipsa fatis concedente, exspiret *d. l. priuilegia ff. d. R. Iur.*

Pars 1. de priuilegio personali probatur.

PARS SECVNDA Probatur Ex *§ si grex legatus Inst d. Leg.* Vbi statuitur, quod legatum gregis non extinguatur, licet perueniat ad vnum caput. *Vnde* colligunt Dd. priuilegium concessum Collegio vel vniuersitati, tametsi hæc veniat ad vnum tantum, tamen retineri nec extingui *l. sicut. §. in decurionibus. fin. ff. quod cuiusque vniuers. nom.*

Pars 2. de priuilegio Corporali probatur illud conseruari in vno tãtum superstite.

PARS TERTIA, *Nimirum* quod nullo ex collegio superstite, priuilegiũ Corporale pereat, Est Ioan. Ignei *in d. l. Necessarios § non alias ff. ad Sen. Syll.* Albert. Bruni. *de Interitu & peremp. concl. 5. n. 13. vers sic & mortuis omnibus.* Erasmi Chokier. *de Iurisd. Ord. in Exempt. p. 3. q. 13. n. 2.* Vbi aiunt, Item mortuis omnibus, de Collegio, Ius Collegij extinguitur, pereuntque eius priuilegia. *Abb. in c. recolentes d. stat. mon. Archid. in c. nullo 18. q. 2. gloss. & Dd. in d. l. sicut. §. fin. ff. quod cui. vni. nom. Dd. in c. cũ ex iniuncto, de noui op. nunc Dd. in l. seruitutes. §. si sublatum ff. d. seruit. vrb. præd. Bald. & Ang. in l. proponebatur ff. d. Iudicijs* & n. 7. ait *ibid. Chokier.* destructo Ordine, tollitur etiam priuilegium, *intellige*, si non illi datum ratione loci. Tunc n. tanquam reale foret perpetuum; *Ratio prioris* est, quia quod intuitu certi collegij aut certę congregationis (*Vide inf. q. 3.*) cõceditur, ipsas congregationis personas non egreditur, *Proinde* si nulla amplius ipsius

Pars 3. quod corporale, nullo collega superstite pereat, probatur.

certæ congregationis persona supere-rit, ipsum priuilegium corporale desinet esse, aut erit extinctum.

Pars 4. destructa casu Ecclesia reale priuilegium non extinguitur.

Pars quarta, quod *nimirum* destructâ casu ecclesiâ, priuilegium reale ipsius non extinguatur, est Dd. *sup. in not. citatorum*, & prob. *ex d. l. in omnibus causis 68. & d. l. priuilegia 196. d. R. I. & maxime ex d. l. seruitutes §. si sublatum ff. d. seru. vrb. præd.* Vbi dicitur, inspecto iure stricto, domo destructa ius stillicidij perimi; at considerata vtilitate, ius stillicidij seu seruitutes vrbanas domo destructa non extingui. *Vnde* concludunt *Dd.* quod inspecta vtilitate, ecclesia destructa, non pereant eius iura ac priuilegia scil. realia, *Innocent. & Bald. in c. cum ex iniuncto. de No. op. nunciat.*

Resp. ad Assertionẽ Rom. authoritatibus. Dd.

4. *Ex dictis* colligitur, qua fide F. Romanus, Dd. adferat autoritates, quasi ipsi *indiscriminatim* asserant, destructo collegio, eius iura non perire; cum tamen ex ipsis priuilegia eius *personalia* cum personis extinguantur; & *corporalia* collegij certi cum ipso collegio; nisi huic *primò* ea ratione loci sint concessa, *secundò* vel collegium ipsi simile illic fuerit restitutum; tunc n. priuilegia ipsius, *fictione iuris* dormisse potius finguntur, quam exspirasse. De *priori exceptione* casus, accipiendi sunt SS. Patres *à F. Romano q. 4. n. 50. citati*, si agant de priuilegijs Collegij non existentis, quamuis videantur de Collegij adhuc existentis specialibus iuribus ac priuilegijs agere; vel certè verba SS. Patrum generalia, ex ratione superius allegata ad priuilegia realia erunt restringenda, *Euerh. à rat. leg. restr.* Nam *S. Leo. 25. q. 2.* inquit, Priuilegia Ecclesiarum & Monasteriorum, SS. Patrum autoritate instituta, nulla possunt improbitate conuelli, nulla nouitate mutari. *S. Greg. l. 7. Regist. c. 33.* ait, Graue nimis & contra sacerdotale propositum est, velle cuiuspiam Monasterij priuilegia olim inducta conuellere, & in irritum ducere. Nihil igitur ipsi contra nos. *Resp. ad SS. Patres.*

Ex *posteriore exceptione*, intelligendi *Dd.* à *F. Rom.* initio *cap. nostri* citati, vt expressè arguunt verba hæc à F. Rom. allata, restituta re in pristinũ statum omnia iura restituuntur neq; creatur ius nouum, sed antiquũ reassumitur, sine innouatione juris, & idẽ est de jure personali quamuis ecclesiastico, quod alioquin haud dubie cum persona ordinarie dicitur extingui. *De iure successionis vid. inf. qu. 3.* *Resp. ad Confir. F. Rom.*

5. Quod mouet F. Rom. *q. 1. n. 36. p. 46.* quod actio semel extincta nõ reuiuiscat. *vt ait abbas. c. abbate d. V. S. in 6. Igitur* nec collegium religiosum eiusque tituli, priuilegia, si semel sint extincta, reuiuiscent. *Resp.* ad Antecedens *ex Bart. in l. Mœuius* *Obi.* *Resp.*

§. duo-

§ duorum.n.4.ff.d.leg.2. Actio extincta non regulariter neq; ex se, sed subinde beneficio legis aut prætoris, grauibus ex causis pupillos, minorennes, maiores reipublicæ causa absẽtes, &c. læsos in integrũ restituentis reuiuiscit. *vt patet.* Minores enim ad actionẽ tricennali præscriptione; & maiores, qui reipub. causa absfuerunt, ad actionem interea temporis vsucapione vel præscriptione extinctam, à prætore iure *ff. & C.* restituuntur. Adhæc actio quidem directa extincta, non reuiuiscit; secus tamen vtilis *Bart. in l. pupill §. si pupilla n.3.ff.d.solut.* Nam alias si directa reuiuisceret, non illa quadriennio præscriberetur, sed pro natura sua foret perpetua seu 30. annorum, *Bart. in d.l.*

Hinc nego F. Romani *consequentiam*, quin potius contra Fr. Romanum ex allatis infero & concludo, quod eodẽ ferè modò Collegium religiosum, eiusque tituli & priuilegia, si semel sint morte omnium Collegarum extincta, non ex se, sed beneficio prætoris vel superioris ex grauibus causis, non tamen læsionis, quæ hic nulla intercedit, Collegium simile in pristinum statum restituentis cum omnibus suis titulis, priuilegijs reuiuiscat.

Obiect. 6 Quæ adducuntur à Fr. Rom. *Refut.* " *ex c.20.25.q.2.* Nihil contra nos faciunt, quia agunt de corpore Ecclesiæ existente: Nam ita se habet textus, " quæcunque à parentibus nostris (aiũt " Arcadius & Honorius Impp.) diuersis sunt statuta temporibus, ma- " nere inuiolata atque incorrupta, circa " sacrosanctas Ecclesias præcipimus. Ni- " hil *igitur* à priuilegijs immutetur, om- " nibusque, qui Ecclesiæ deseruiunt, " tuitio deferatur. Quia temporibus nostris addi potius reuerentiæ cupimus, quàm ex his, quæ olim præstita sunt, immutari. Atqui nos agimus de Collegio extincto, eiusque iuribus personalibus, & corporalibus consequenter extinctis. Igitur, &c.

Responsio ad Confir. de iure mitræ, sandal.

7 Hinc patet, quid sit respondendum de iure mitræ, sandaliorum, &c. nimirum illud esse priuilegium personale, per notata Hunnij *in Encyclopœdia d. priuilegij.* & Ioannis Ignei *in repet. l. necessarios §. non alias ff. ad SC. Syll. n. 418.* quia immediatè inhæret certo generi personarum, nimirum Abbati; Nam Papa priuilegio (cum ius illud nec iure communi nec etiam ratione dignitatis, *per c. vt Apostolicæ. d. priuileg. in 6.* competat) solet quibusdam concedere Abbatibus aliqua insignia Episcopalia, videlicet *vsum mitræ, baculi pastoralis, Annuli*, &c. in solum & nudum splendorem *d. c. vt Apostolicæ vbi Franc. d. priuil. in 6.* quibus nõ *vbiq;* vti possunt, sed si *exempti* sunt, in synodis prouincialibus, vel diœcesanis, (quibus quandoque interesse tenentur) mitris vtuntur aureatis, ijsq; non habentibus laminas aureas vel argenteas aut gemmeas; *non exempti* verò simplicibus, planis & albis, *d. c. vt Apostolicæ d. priuilegijs in 6.* alijs in locis, ijs vsuntur pro priuilegij sui te-

nore *d.c.vt Apoſtolicæ. Zecch. d. repub. eccleſ.c.de Abbat.25. n.3. in fin.* Vnde quando Collegia Monaſtica ſine vlla ſimilium reſtitutione vel reſtitutionis ſpe iuridica pereunt, & priuilegium mitræ ijs conceſſum, perijſſe dicendum eſt.

Obiectio. 8. §. Nec obſtat, quòd priuilegium perſonale non tranſmittatur ad ſucceſſorem, *Dd. in d. l. priuilegia ff. d. R. I.* At ius mitræ tranſmittatur. Igitur, &c.

Reſponſio. Nam RESPOND. Hunnius *in ſua Encyclopæd. p. 1. tit. 6. d. priuileg. c. 9. n. 2. & ſeqq* Maiorem *ordinarie* veram eſſe; in aliquot tamen caſibus fallere, quos inter numeratur, ſi certo generi perſonarum priuilegium conferatur. Nam & hoc quandoque tranſmitti poteſt ad ſucceſſorem eiuſdem qualitatis, non tamen ad alios, neque etiam alijs cedi poteſt ceſsione propriè dicta, vel tradit Ioannes Igneus *in repet. d. l. neceſſarios §. non aliàs ff. ad ſe. Syllan.* adeoque differt hoc *perſonale* priuilegium *à reali*, quod *hoc* tranſmitti & cedi; *illud* verò tranſmitti quidem ſubinde poſsit, non tamen ad quemcunque ſucceſſorem, ſed eiuſdem qualitatis perſonam, neque etiam cedi. Ita Igneus *d. §. non alias & Hunn. d. c. 9. n. 7.*

Hinc ſecundo RESPOND. *Ad Minorem.* Extincto alicubi certo hominum genere ſine vlla ſpe iuridica ſimilis reſtituendi, cui inhærebat ius mitræ, hoc ſimul eſſe extinctum, cum acceſſorium ſequatur naturam ſui principalis *d. R. I. in 6.*

De *Iure electionis* videbitur infra *qu. 13.*

Concluſionis collectio. Vnde relinquitur vera noſtra aſſertio, quòd in Eccleſia non numerata, Collegio ſine ſpe iuridica ſimilis illi reparandi extincto, iura ipſius ac priuilegia perſonalia & corporalia perierint.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

Vtrum omnibus de Collegio Religioso mortuis dominium & possessio Collegii illius sint extincta? vel vtrum locus bonaque monastica collegii Religiosi emortui, &c. Respectu domini immediati ficti vacent?

1. Dominium & possessio dupliciter accipiuntur, nim. formaliter & terminatiue seu obiectiue.
Bona vacantia quid sint?
2. Dominus alius immediatus, alius mediatus, &c.
3 Vacare quotupliciter in iure accipiatur. Et quid hic propriè significet?
4. F. Romani acceptio refutatur.
5. Mortuis omnibus de Collegio Religioso Monachorum solitariorum, bona fiunt vacantia, respectu Domini immediati veri, ficti, mediati.
Vbi lex non distinguit, nec nostrum est distinguere.
6. Bona emortuorum monasteriorum iuris intellectu vel fictione non subsunt dominio loci vel parietum. Quomodo à glo. & Dd dicantur subesse. n. 7.
Quodnam sit subiectum dominij, seu quis dominij capax?
Non locus, non paries, sed vtens libero arbitrio est subiectum Dominij, &c.
8. Ecclesia particularis quæ & qualis hic intelligatur?
Non Entis nulli sunt effectus aut qualitates.
9. Ecclesia particularis an & quomodo non moriatur?

VAria Collegij Religiosi emortui iura examinauimus, nunc eiusdem Dominium & possessio seu iura in re, veniunt discutienda

Quæstion. explicat. Vtrum omnibus Collegis religiosis mortuis, dominium & possessio eorum sint extincta, seu quod in idem incidit? Vtrum bona Collegij religiosi emortui sint vacantia?

Idque vt intelligatur, Notandum est, dominium & possessionem *dupliciter* posse accipi. 1. formaliter pro facultate ipsa dispositionis domini vel possessionis possessoris. 2. Terminatiuè seu obiectiuè pro rebus ipsis dispositis ac possessis. *Quoad*

prius ita formatur quæstio. Vtrum dominium & possessio Collegij Religiosi emortui, sint extincta? *Quoad* Posterius, Vtrum bona Collegij Religiosi emortui vacent? Attamen vtraque quæstio eodem redit, vt patet ex bonorum vacantium definitione, ex qua ipsa sunt, quorum nec dominus nec possessor datur. *v. infr.*

F. Romani distinctio inter dominos.

F. Roman. *q. 1. n. 48. & seqq. vsque 50.* RESPOND. distinguendo, bona, inquiens, Collegij Monastici emortui, verè vacantia censeri debent *respectu domini immediati*, qui sit Abbas & Monachi intitulati, *Non* verò *respectu domini immediati*, qui *iuris intellectu* est ipsa Monasterialis Ecclesia; *nec respectu mediati*, qui est Christus, Ecclesia vniuersalis; S. Benedictus, Ordo, Vnio, &c.

Vnde duplex est discutienda questio. *Prior* Vtrum bona Religiosi Collegij emortui respectu domini immediati etiam ficti, sint vacantia? *Posterior*, Vtrum respectu Domini mediati vacent? *Prior* hîc pertractabitur, sicut & *posterior*, quatenus dicit respectum ad Christum, Ecclesiam vniuersalem, S. Benedictum; quatenus verò dicit respectum ad Ordinem & Vnionem *sequenti q. 2.* discutietur.

3. NOTA, Vacare in Iure *tripliciter* potissimum capi, vt *docet gloss. in pragmat. sanct. de coll. §. 1. in verb. vacare* I. significat *intendere* & operam nauare *l. non distinguemus §. sacerdotio ff. d. arb. II. deficere*, ad quam significationem citat. *l. 1. ff. de vacat. munerum*, quæ tamen eam non probat. III. *Cessare*.

In *secunda* significatione res vacare dicitur 1. quando quidem rei dominus est, sed non comparet, vt si quis rem habeat pro deserto *l. 7. l. 8. ibi si vacanti & destituto solo C. d. omni agro desert.* aut quando possessor possessionem relinquit vacuam *l. 37. ff. d. vsucap.* vel domum *l. penult. §. 1. ff. d. vsu & hab.* 2. quando nec est dominus nec possessor, adest tamen hæres, qui hæreditatem necdum adierit *l. 30. ff. de vulg. & pupill. subst.* 3. quando & Dominus & possessor, tum hæres deficit *l. inter quatuor 10. ff. d diuers. & temp. præscript.* vel quando neque Dominus neque possessor neque hæres extat. *l. 2. in fin ff. ad SC. Tertull. l. 38. ff. de Iure fisci glos. in l. 4. l. vlt. C. de bon. vacant. Bart. in l. si bona ff. d. acq. poss.* Atque in hac vltima significatione bona propriè solent dici vacare, aut esse vacantia *ex dd. ll.* Prout hîc quoque accipimus.

4. Frater Romanus *qu. 1. nu. 48.* Vacans propriè esse, definit, quod à nemine est occupatum seu possessum, idque ex *gloss. in rub. text ne sed. vacant. ab ipso num. 40 & 48.* citata, quæ tamen ne verbo quidem eam definitionem attingit, vel insinuat. *Adhæc* illa definitio non est proba; quia hæreditas iacens seu non adita, nec est occupata nec possessa, vt manifestum est ex terminis, & tamen hæreditas *Romani definitio.* *Refut.*

tas iacens etiam secundùm ipsum fratrem Romanum *d.q. 1, n. 49.* non est propriè vacans, igitur, &c.

Concl. 1. 5. Ego ad ipsam quæstionem RESPONDEO 1. Mortuis omnibus de Collegio sine spe iuridicâ, certa & proxima Collegij similis reparandi; eius bona etiam respectu domini immediati ficti, sunt vacantia, PROBATVR ex Albert. Brun. *in tract. de Interi. conclusione 5. num. 13. vers. sic & mortuis omnibus.* & ex Erasmo Chokier *de iurisd. ord. in exem. part 3. q. 19. n. 2.* qui asserunt, mortuis omnibus de Collegio, bona eius fieri vacantia, idque sine vlla *distinctione* respectus habendi ad *immediatum* dominum *verum* vel *fictum,* (quasi nimirum respectu veri vacent, non verò respectu ficti.) Aiunt enim absolutè. Item mortuis omnibus de Collegio, ius Collegij extinguitur, pereuntque eius Priuilegia, fiuntq; bona vacantia. & citant eum in finem. Abb. *in c. recolentes num. 7. d. stat. mon. Archid. in c. in nullo 18. qu. 2. gloss.* Dd. *in l. sicut §. fin. ff. quod cuiusque vniuers.* Dd. *in c. cum ex iniuncto de noui operis nunci.* Dd. *in l. seruitutes, §. si sublatum ff. d. seruit. vrb. præd.* Bald. & Ang. *in l. proponebātur. ff. d. Iud.* Bart. *in l. vlt. n. 22. ff. de coll. illicit.* Igitur nec nostrum erit distinguere *l. de precio ff. d. public. in rem act. cum sim.* quasi mortuis omnibus de Collegio, bona fiant vacantia *respectu* domini immediati veri, non verò ficti; maximè cum & verba Dd. sint generalia, adeoque generatim intelligenda. *Deinde* probatur ex definitione superius allata. Tunc bona dicuntur propriè vacantia, quando nec eorum legitimus dominus, nec possessor, nec hęres extat, Atqui mortuis omnibus de Collegio, nullâ relictâ spe iuridicâ, certâ & proximâ illi similis reparandi, ipsum Collegium, non est bonorum Collegij dominus verus vel fictus, nec possessor, nec sui ipsius hæres, *vt ex responsione ad F. Romani patebit argumenta.* Igitur mortuis omnibus de Collegio, nullâ relictâ spe iuridicâ, certâ & proximâ Collegij similis reparandi, eius bona respectu domini immediati siue veri siue ficti, erunt vacantia.

6. Sed ait Frater Romanus *q. 1. n. 50.* Nullus dominus immediatus, qui sit Abbas vel Monachus intitulatus, adest, adeoque respectu illius bona sunt verè vacantia; *secus* tamen est respectu domini immediati, qui *iuris intellectu* est ipsa singularis vel monasterialis Ecclesia, quæ numquam moritur, nec vnquam est nulla *Innoc. in c. cum super n. 4. d. caus. poss. & propr. Abb. ibid. n. 18 Bald. in l. sicut §. in decurionibus, ff. quod cuiusq; vniuers. q. 2* Singularis autem Ecclesia *F. Rom. d. q. 1. n 48.* est I. *vel* Ecclesia ipsa seu locus consecratus. Hic enim dicitur ius habere ac possidere ac vindicare *l. iubemus. § scienter & §. sanè. vers. si quando igitur,* C. *d. SS. Ecclesijs,* sicut & loci parietes dicuntur possidere, etiam durante Collegio & per prælatum vindicare, *Obiect.*

ſicut quilibet priuatus per procuratorem vel colonum *gloſſ.in d. l. ſicut 7. §. in decurionibus ff. quod cuiuſq; vniv. nom.Maſcard.d prob.vol.3.concl.132 3.n. 19.Menoch.13.recup.poſſ.n.74. II.Vel* eſt Monaſterium ipſum titulis antiquis affectum. *Rom.d.qu.1.n.48.61.62.& q.3. n.5.* Vnde patet, quod mortuis omnibus de Collegio, bona eius reſpectu Domini immediati ficti, non ſint propriè & verè vacantia.

Reſp. I. Resp.I. *Negando*, quod mortuis omnibus de Collegio Eccleſiaſtico vel religioſo, *iuris intellectu* vel *fictione*, bona ſubſint Dominio loci aut parietum, quia vt aliquod ſubiectum ſit Dominus aut Dominij capax, requiritur vt habeat arbitrium ſuum, & voluntatem; patet tum ex definitione Dominij, quod eſt ius diſponendi de rebus ſuis, prout ipſe vult, tum ex *l.in re mandata C.mandati.* vbi dicitur; quiſquis eſt rei ſuæ moderator & arbiter. Atqui non locus ſacer, religioſus, ſed Collegium ipſum perſonarum religioſarum, locum illum inhabitantium ad vnum finem illic congregatarum *Molin.tract d.iuſt.diſp. 142.n.7.* habet arbitrium vel voluntatem; immò locus non eſt illius capax: cum locus ſacer vel religioſus ſit res inanima. *Igitur* non locus ſacer vel religioſus, ſed Collegium perſonarum religioſarum locum ipſum inhabitantium ad vnum finem congregatarum eſt Dominus, imò nec locus ipſe eſt Dominij capax. *Conſequenter* nomine Eccleſiæ intelligendus eſt cœtus ſeu Collegium perſonarum religioſarum, locum illum inhabitantium & ad vnum finem illic congregatarum.

7. Quando autem *gloſſ & Dd.* locum ſacrum & religioſum faciunt Dominum, agunt nec Theologos nec Iureconſultos, ſed Rhetores per proſopopœiam, locis & lapidibus ſacris vitam affingendo, vt bonorum Eccleſiaſticorum inuaſores à ſcelere deterreant & reuocent, quemadmodum citati ſuperius autores oſtendunt.

8. Respond.2. Quando *iuris fictione* vel intellectu, particularis Eccleſia conſtituitur Domina bonorum Collegij emortui, tunc intelligitur de eo caſu, quo ſpes eſt iuridica ſimilis Collegij reparandi, *ſecus* quando illa ſpes abeſt. Oſtenditur à ſimili; nam ita hæreditas iacens intelligitur Domina, quamdiu ſpes iuridica eſt hæredis proprij; qua ſpe ſublatâ hæreditas non dicitur Domina, ſed vacans. Atqui nos hic agimus de bonis emortui Collegij Monaſtici, quando nulla ſubeſt ſpes iuridica, certa & proxima Collegij ſimilis reparandi; *Igitur* eo caſu, bona Collegij monaſtici emortui, non poſſunt dici Collegij aut Eccleſiæ particularis eſſe; cum illud neq; actu neque habitu ſuperſit; ideoque nec poſſit dici Domina: Nam non entis nulli ſunt effectus aut qualitates, *l. eius qui in prouinciam ff.ſi cert.pet .l. quidam referunt ff d.iur.cod.* *Reſp.* 2. *Oſtenditur à ſimili.*

9. Quod verò additur à Dd. Eccleſiam particularem, non mori, verum

rum est per se; *secus* per accidens: quatenus illius Ecclesiæ (quæ est plurium in vnum finem, scilicet Deum hymnodiâ laudandi, sub certa regula ab Apostolica sede Approbata, congregatio) membra omnia, nullo omnino superstite moriuntur & extinguuntur.

Ex hactenus traditis RELINQVITVR, Bona monastici Collegij emortui respectu domini immediati non tantum VERI sed etiam FICTI esse verè vacantia.

APPENDIX.

De Dominio Mediato Christi, Vniuersalis Ecclesiæ, S. Benedicti, &c.

1. *Dominium Christi quà hominis, est creatum & dependens à diuino, superius omni humano, ac directum in omnes omnino res creatas, æternum.*
   Alia Dominia humana & Monarchiæ pereunt.
   An etiam Romanum tempore Antichristi?
2. *Dominium Christi non impedit, quo minus dentur aliqua bona vacantia.*
3. *Qui nimium probat, nihil probare dicitur in iure.*
   Dominium Ecclesiæ vniuersalis quibusdam Dd. est directum & absolutum in bona Ecclesiastica.
   Ex communiore Dd. est tantum superioritatis seu iurisdictionis.
   Neutrum impedit, quo minus dentur aliquando bona Ecclesiastica vacātia.
4. *Multa Monasteria tenentur à Benedictinis, quæ initio fundationis non sunt S. Benedicto dicata.*
5. *Animæ separatæ in cœlis non habent Dominium rerum sublunarium.*
   Ad esse DOMINI duo requiruntur.
   Monasterij S. Maximini prope Treuiros Dominium quomodo in Benedictinos translatum?
6. *Relictum alicui sancto, quomodo intelligatur?*

Quæstio. Vtrum bona illa vacent?

QVAERITVR, Vtrum quia in bonis emortui Collegij monastici datur dominus mediatus, scil. Christus, Ecclesia vniuersalis, *& vt vult F. Rom.* S. Benedictus, ideo bona illa non vacent?

Resp. F. Rō. negās.

Negat F. Rom. *q. 1. n. 40. n. 48. & seqq.* quia quod est occupatum aut possessum, non verè vacat. Atqui bona emortuorum monasteriorum, adhuc occupata sunt & possessa à Christo, Ecclesia Vniuersali, *Inn. in c. cum super n. 4. d. causa poss. & prop. Abb. ibid n. 18.* Ig.

Refut. 1. Dominio Christi nō obstante.

R 1. Dominiū Christi non impedire, quo minus bona emortui Mona-

monasterij sint & verè dicantur vacantia. Nam alias sequeretur hoc *absurdum*, quòd nulla omnino bona siue viuorum siue mortuorum quorumcunque sint futura vnquam vacantia. cum Christus quà homo, habeat semper directum dominium excellens in omnes omninò res creatas, quod dominium est creatum & dependens à diuino, superius omni humano, idque 1. origine, vt quod à Deo ratione vnionis hypostaticæ dimanet; non ab vllo homine, cũ etiã suprema aliorũ dominia humana, vel successione, vel electione hominum acquirantur, vt patet in Imperatoribus & Regibus alijsque dominis Superioribus. 2. firmitate, vt quod Christi dominium sit æternum, non caducum; cæterorum etiam pereant, vt patet ex Monarchijs Assyriorum, Persarum & Græcorum, quin & Romanum aliquando peribit, quando veniet Antichristus. *Dan.* 2. *&* 7. *Apoc.* 15. 2. *Thes.* 2. *v.* 2. *& ibid. S. Amb. Vid. S. Iren. lib.* 5. *c.* 21. *S. August. lib.* 20. *d. ciuit. Dei c.* 19. 3. Obiecto, vt quod Christi dominiũ extendatur ad omnes res creatas, etiam Angelos. Vnde Christus *Apoc.* 1. nuncupatur princeps Regum terræ, *& cap. decimo nono* Christus dicitur habere in femore (id est in humanitate) scriptum, REX REGVM ET DOMINVS DOMINANTIVM. *Act.* 10. perhibetur *hic* (*Christus*) esse OMNIVM DOMINVS 1. *Corinth.* 15. dicuntur omnia ei subiecta. At Dominia cœtera humana non pertinent ad res omnes creatas, &c. vt manifestum est;

§. Ex quibus RELINQVITVR, quod Christus quà homo directum quoddam dominium in omnes omninò res creatas nullo non tempore habeat.

2. Vnde contra ADVERSARIVM ita concluditur; quando emortuis dominis immediatis, datur aliquis bonorum illorum dominus directus superior, tunc bona illa non possunt dici verè vacantia. At omnium omninò bonorum creatorum, etiam temporalium, emortuis eorum dominis immediatis, nunquam non datur aliquis directus dominus superior, nimirum Christus quà homo. *Igitur* omnia bona creata etiam temporalia emortuorum non possunt dici vnquam verè vacantia. Quæ conclusio cum sit euidenter falsa, ex *l.* 4. *&* 8. *C. d. bon. vacant.* arguit vel vtramque vel alterutram præmissarum, vnde ipsa infertur conclusio, esse falsam; At cum minor non sit nec possit esse falsa, *sequitur* maiorem, quæ est ad versarij *fundamentum*, esse falsam, *Ab absurdo.*

§. *Vnde* porro infero, quod si dominium Christi quà hominis directum superius non impedit, quo minus deficiente hærede domino inferiore, eius bona dicantur verè vacantia *l.* 4. *&* 8. *C. d. bon. vac.* etiam nec domi- *Illatio.*

dominium Christi quà hominis & capitis Ecclesiæ directum superius impediet, quo minus deficientibus vel mortuis omnibus bonorum Monasticorum dominis immediatis inferioribus, bona eorum dicantur verè vacantia.

Refut. 2. Dominio Ecclesiæ vniuersalis non obstante.

3. Quod *de dominio Ecclesiæ vniuersalis* à Fr. Rom. *adfertur Argumentum.* RESPOND. Illud sicut & primum nimium probare, ideoque nihil probare *gloss. in auth. vt deter. sit num. cler. circ. princip. coll. 1. cum suis alleg.* Nam si quicquam probaret, efficeret Ecclesiastica bona nunquam verè vacare; cum Fratri Romano *q. 1. nu. 51.* Ecclesia vniuersalis & caput eius Christi vicarius, superior Ecclesiasticorum bonorum dominus *c. cuncta per mundum 9. q. 3. Archid. in c. fin. 16. qu. 7. apud Zecch. in rep. Eccles. d. stat. sum. Pont. sub nu. 24.* perpetuo maneant, nec vnquam deficiant *Abb. in c. cum super d. caus. poss. & prop. sub n. 18. Fr. Rom. qu. 1. num. 48.*

Ab absurdo.

5. Vnde rursus contra F. Romanum siue ipse ex sententia Innocentij aliorumque Dd. designet Ecclesiam Romanam Ecclesiasticorum bonorum dominum absolutum & directum; siue ex communiore Dd. calculo constituat dominum tantum superioritatis seu iurisdictionis, non vero proprietatis, ita concluditur. Quando bonorum Ecclesiasticorum datur dominus superior, tunc illa non possunt dici verè vacantia esse. At semper datur bonorum Ecclesiasticorum dominus superior, nimirum Ecclesia vniuersalis, vel eius caput Christi Vicarius. *Igitur* nũquam possunt bona Ecclesiastica dici esse verè vacantia. Quæ conclusio est manifestè falsa, cum eius *contradictoria* (nimirum aliquando bona Ecclesiastica verè dicuntur esse vacantia) sit vera, vt hoc ostenditur Syllogismo. Bona Templariorũ aliquando fuerunt verè vacantia: Bona Templariorum fuerũt bona Ecclesiastica. Ergo aliqua bona Ecclesiastica fuerunt aliquando verè vacantia. *Maiorem* huius syllogismi veram concedit F. Rom. *qu. 1. n. 50. iuncto 51.* & manifestè declarat his verbis Bart. *in l. vlt. n. 22. ff. d. Coll. illic.* Si Collegia sunt, quæ „ possunt habere bona in communi & „ non in particulari, vti sunt bona Re- „ ligiosorum, in istis dissoluto Colle- „ gio remanent bona apud superiorem, „ vel cui ipse concesserit, & *ita* fuit ob- „ seruatum, quando fuit destructum „ Collegium Templariorum per sum- „ mum Pontificem, sunt enim bona va- „ cantia *l. 1. C. d. bon. vac. & l. 1. ff. d. Iur. fisci.* „ *Illi subscribit Pan. in c. recolentes nu. 3. d. Stat. monach. & alij.* Minor quoque (quod bona Templariorum fuerint Ecclesiastica) est certa & vera ex Bart. *d. l.* cum non fuerint sæcularia; alias. n. pertinuissẽt ad fiscũ temporalẽ, & nõ Ecclesiasticũ, quod est cõtra Bart. *in d. l. vlt. n. 22. ff. de coll. ill.* Vnde sequitur, eiusdem proximè allati syllogismi

Contradictoria cõclusionis absurdæ ostenditur vera.

conclusionem (nimirum quod aliquando aliqua bona Ecclesiastica sint verè vacantia.) veram esse, adeoque illius propositionem *contradictoriam*, (quod bona Ecclesiastica nunquam sint aut dici possint vacantia) quæ erat prioris Frat. Rom. syllogismi conclusio, esse falsam, *Consequenter* illa conclusio, minimũ alterutram illius præmissarum de falsitate arguet. Non Minorem ipsius, quæ est, quòd semper detur bonorum Ecclesiasticorum dominus superior, nimirũ Ecclesia Vniuersalis, vel eius caput Christi Vicarius; Hæc enim propositio si intelligatur ex sententia Innocentij aliorumque Dd. de Dominio proprietatis, à F. Romano negari non poterit, cum illorum Dd. sequatur sententiam *qu. 1. n.48.* sin verò accipiatur ex communiore Dd. traditione, de Dominio non proprietatis, sed iurisdictionis, est verissima, nec eam nisi ACatholicus negat. *Card. in Clem. 1. d. SS. Trinitate.* *Igitur* prædicta conclusio Maiorẽ ipsius, (quod quando datur bonorum Ecclesiasticorum dominus superior, tunc illa non sunt, aut non possunt dici verè vacantia) *quæ est ipsa* FR. ROMANI *Propositio*, coarguet falsitatis.

Illatio. Vnde RELINQVITVR, non obstante Dominio superiori Ecclesiæ Vniuersalis, vel eius capitis Vicarij Christi, bona Monastica, deficientibus vel emortuis Collegis Dominis immediatis sine spe iuridica Collegij similis restaurandi, dici posse & esse verè vacantia.

4. Ad tertium, quod *Bona Monastica Benedictinorum emortuorum, sint in prima fundatione dicata S. Benedicto. Igitur hic illorum habeat dominium.* RESPOND. I. Antecedens nec *vniuersaliter* esse verum; cum multa Monasteria principio fundationis non fuerint S. Benedicto dicata, sed alijs sanctis etiam pro sæcularium clericorum vsu, vt Andecense B. Mariæ prope Landresium, Ita Hasnonium apud Valencenas, Paringense, Osterhouiense; de quibus Miræus in Chronico Belgij, &c. sed quicquid sit de antecedente. *Refut. 3. Non obstante, quod S. Benedicti anima in cœlis viuat.*

5. RESPOND. 2. Negando consequentiam. Nam animę beatorum separatæ in cœlis, non habent dominium rerum temporalium hic in terris. *Mant. lib. 8. d. coniect. vlt. vol. tit. 6. n. 2.* quia ipsæ non possunt, 1. De bonis illis tanquam suis. 2. Nec in suũ commodum disponere: quæ duo requiruntur in subiecto disponente ex veri dominij ratione: *Valent. tom. 3. disput. 5. q. 10. punct. 1. §. 3. Sot. lib. 4. d. Iust. q. 1. art. 6.*

Igitur nec sancti Benedicti anima ab eius corpore, quod asseruatur in monte Casino, separata, mortuis omnibus de Collegio, habet bonorum Monasticorum (quæ sunt res temporales) Dominium.

Deinde Animæ sanctorum separatæ vel

tæ vel habent Dominium rerum sibi in cœlis commorantibus aliquando dedicatarum, vel non habent. si habent, quomodo illud postea in alios transferetur? vel enim facto ipsorum vel citra ipsorum factum, dicetur transferri. Si *prius*, vnde hoc tibi constabit? nec enim citra reuelationem, in cœlis facta translatio tibi constabit. Si *posterius*. Igitur necesse est vt asseras, vel sanctorum alterum inuasisse ius alterius, vel alterum negligentia illud perdidisse, & alterum præscriptione Dominium acquisiuisse. V.C. pono Monasterium S. Maximini propter Treuirorum Mœnia, à Constantino magno Imperatore, S. Helenæ matris efflagitatu, S. Agritij Treuerorum Archiepiscopi tempore sub Ann. 333. (Antequam S. Benedictus in rerum esset natura) excitatum, ac S. Maximino præsuli in perpetuam hæreditatem, collocatis in eo S. Basilij, aut sub regula Orientalium Monachorum viuentibus Monachis, traditum. postea Anno 764. ab Hildulpho Treuirorum Archiantistite Benedictinis cōcessum, vt author est Miræus *in originibus Benedictinis vel in Chronico Ordinis Bened. c. 14.* Nunc quæro à te F. Romane, quomodo hoc Monasterium iustè ac legitimè à S. Basilio (si hic illius, vt tu iactas, est Dominus aut habet Dominium) in S. Benedictum sit translatum? Nam vel facto S. Basilii erit ipsum in S. Benedictum translatum vel citra illius factum. Si illius facto, vnde id constabit tibi, vel quando tibi reuelauit? per quem? Si citra factum S. Basilij: *Igitur* vel S. Benedictus inuasit S. Basilij patrimonium, vel certè Basilius negligentia sua illud perdidit, ac S. Benedictus præscriptione acquisiuit, Vtrumque autem vtrique S. iniuriosum est & pudendum; ideoque reijciendum.

Adhæc si Sancti in cœlis habent Dominium rerum temporalium, timere poteris, qui res eorum tenes, vt iustè eas detineas.

Quid enim si sanctus in cœlis V.C. Benedictus bona sibi deuòta, alij S. V.C. Norberto transcripsisset, velletque vsibus aliorum V.C. Norbertinorum applicata, & tu Bona illa contra S. Benedicti, qui ea transtulit, voluntatem, licet mutatæ voluntatis ignarus, retineres, profectò saltem materialiter iniustus fores, vtpotè qui aliter, quàm S. Benedictus constituisset, bonis vtereris, ni in furtis illud numerandum ex doctrina ICtorum *in §. placuit. Inst. d. oblig. quæ ex delict. nascuntur*, maximè cum contra te aliena re vtentem præsumptio sit iuris, Credendum enim tibi, Dominum non permittere nec permissurum rei illius vsum, *l. qui vas §. vetare ff. d. furt.* Recensita autem, absurda esse facilè agnoscis; *Proinde* & absurdum erit principium illud tuum, (quod separatæ in cœlis animæ habeant rerum temporalium hic in terris dominium) ex

quo ea absurda proficiscuntur : adeoque illud reijciendum. Quod si illud reieceris, necesse est vt alteram contradictionis supra allatæ partem, (nimirum Beatas hominum mentes non habere rerum temporalium hîc in terris Dominium) veram esse concedas. At tunc te ipse conficies, vel quod tibi malo, in nostram ibis sententiam, bonaque Collegiorum Monasticorum emortuorum, sine spe illa iuridica, agnosces esse verè vacantia, etiamsi Sancti Benedicti anima in cœlis supersit.

Notabil. 6. Nota. Quando relictum dicitur aliquid alicui Sancto, V. C. S. Benedicto, intelligitur relictum Ecclesiæ, vel cœtui huius Sancti Benedicti; quoniam legata relinquuntur Ecclesijs Sanctorum & non ipsis Sanctis, quorum conuersatio est in cœlis, vt inquit Mantica, *lib. 8. d. coniect. vlt. vol. tit. 6. num 2. ex Bart. in l. 1. §. ad municip. num. 1. ff. ad L. Falicd. per text. in §. si quis in nomine magni Dei Auth. d. Eccles. tit. & Matth. de Afflict. d. 244. num. 2. & inf*: Quomodo autem hic Ecclesia sit accipienda, iam suprà *qu. 1. c. 4. in Responsione ad primum membrum* ostendi; quæ acceptio nihil contra nos facit.

RELINQVITVR ergo ex hactenus dictis, bona Collegiorum Monasticorum sine spe iuridica emortuorum esse verè vacantia, etiamsi eorum detur Dominus superior Christus, Ecclesia vniuersalis.

* * *

QVAE-

QVÆSTIO II.

Vtrum bona Emortuorum Monasteriorum sint ab Ordine, vel Vnione aliqua, occupata vel possessa, Adeoque nec vere vacantia?

1. *Bona, quorum datur Dominus & possessor, sunt occupata vel possessa, non vacantia.*

PErgit vlterius FR. ROMANVS *qu.1.n.50.51.55.* probare, Bona Monasteriorum emortuorum non esse vacantia, quia adhuc datur eorum Dominus & possessor mediatus, Ordo scilicet & Vnio. Ideoque hac quæstione illud examinandum est, idque tribus sectionibus; in quarum.

I. Proponuntur Fr. ROMANI Argumenta ex iure Dominij vel possessionis Ordini aut Vnioni competente petita.

II. Patris *Laymanni* sententia late propugnatur atque à Fr. Rom. impugnatione defenditur.

III. Demum Fratris Rom. Argumentis, ordine respondetur.

SECTIO PRIMA.

Proponuntur Fr. Romani Argumenta petita ex iure Dominij vel possessionis Ordini aut Vnioni asserto.

HAec tribus absoluitur capitibus; quorum *primo* fundamenta fratris Romani pro occupatis ab Ordine vel Vnione emortuorum Monasteriorum bonis proponuntur. *Secundo* soluuntur ab eodem opposite quædam obiectiones, *Tertio* demum possessio Monasteriorum emortuorum Ordini vel Vnioni asseritur.

CAPVT PRIMVM.

Fundamenta F. Romani pro occupatis Emortuorum Monasteriorum ab Ordine vel vnione bonis proponuntur?

1. Qui habet actionem ad rem recuperandam, rem ipsam habere videtur.
2. Ad hæredem omnia iura transferuntur.
Num Ordo S. Benedicti sit hæres Monasterij emortui?
Sensu vulgi standum est.
3. Genitiuus casus importat dominium.
Ex illo videtur Ordo S. Benedicti in Monasterijs habere Dominium.
4. Ordo Præmonstratensis videtur habere Dominium in bonis Monasteriorum suæ Religionis.
Præmonstratenses sine Capituli Generalis, vel Domni Præmonstratensis aut Patris Abbatis, vel in eius absentia, sine Vicarij siue Visitatoris ad hoc specialem potestatem habentis non possunt bona abalienare.
5. Ordo Cistertiensis videtur habere dominium Monasteriorum omnium eiusdem Ordinis.
Eius ordinis bona sunt communia.
Nihil ex eis potest alienari vel supprimi sine peculiari Generalis consensu.
6. Pontificis responsum pro congregatione vnita.
Quot sint Congregationes vnitæ in Germania.
7. Quid iuris Congregatio vnita videatur habere in bonis Monasteriorum suæ Vnionis.
8. Aliud priuilegium pro congregatione Bursfeldensi citatur.
Appropriari quid sit.
9. Imperatoris Ferdinandi II. rescripta pro Ordine, &c.

Assertio F. Rom.

1. AFfirmat Fr. ROMANVS HAIVS *qu. 1. n. 50. 51. & 55.* Monasteriorum Benedictinorum emortuorum bona ab Ordine S. Benedicti & vnione esse occupata. RATIO eius *est n. 55.* quia Ordo S. Benedicti, vel Vnio aliqua habet Dominium seu ius in ijs bonis. *Ergo* bona illa ab Ordine S. Benedicti vel Vnione sunt occupata. *Consequenter* bona illa non vacant. Antecedens *prob. 1.* hoc Syllogismo. Is qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur *l. 15. ff. de R. Iuris.* Ita Fr. Rom. *n. 55.* Atqui Ordo Sancti Benedicti vel Vnio habet actionem, &c. *n. 13, Igitur* Ordo Sancti Benedicti vel Vnio rem ipsam habere videtur. *Consequenter* Dominium & ius in re ipsa. *Minorem* fusè probat

Illius Ratio.

Anteced. prob. 1.

probat. quod enim mihi debetur, ad illud prosequendum habeo ius, *l.178. ff.d.VS.* id est, actionem. Nam actio definitur à Iustiniano *in princ.Inst. d. act.* ius persequendi quod sibi debetur. F. *Haius n.23.* Atqui bona Monasteriorum emortuorum, quin & ipsa Monasteria debentur Ordini S.Benedicti, vel Vnioni, vt *n.58 & alibi* pluribus probat (sed quia *ad.q.3.& 5. &* non huc ea spectant, ideo illuc reijcimus, vt suo quæque tractentur loco) *Igitur* Ordo S.Benedicti vel Vnio habet actionem ad bona emortuorum Monasteriorum Benedictinorum.

Prob.2. 2. Prob. Antecedens, quia ad hæredem omnia iura & actiones transmittuntur *l. cum hæres ff. d. diuers. & temp. præscrip. l. nihil est aliud hæreditas 24.ff.d.V.S.* Atqui Ordo sancti Benedicti est hæres, quia quotquot sunt de Ordine S. Benedicti, sunt filij S. Benedicti. *Ergo* & ijdem hæredes, *Gal.4. F.Rom.q. 1.n.17. 24.& 58.* Et hic est sensus vulgi, quo standum est, *n. 56.* Vnde Monasteria quoque vocantur patrimonium sancti Benedicti *d. c.17.*

Prob 3. 3. Idem Antecedens *probat* ex vulgi sermone, quo Monasteria emortua dicuntur esse S.Benedicti; *Igitur* Ordo S. Benedicti in illis Monasterijs habet dominium; Consequentia probatur. nam casus genitiuus semper dominium importat *l.si domus 71. §. 5.ff. d.leg. 1. l. seruus communis, l. item si seruus ff. d.stipul. seruo.l. Iulianus ff.d.R.V.text.in l.2. §.1.ff.d. Relig. & sump.fun. Rebuff.in l.littus §.|prædia.ff. d.V.S. Duen.in Reg.genitiuus.§.*

4. Adhæc F.Romanus PROBAT *q. 1. n.76.* ORDINI & quidem Præmonstratensi competere dominium in bonis Monasteriorum suæ Religionis; *consequenter* & in bonis Monasteriorum suæ religionis emortuorum. *Prob.4. Ordine Præmonstratensi.* Antecedens *probat*, Quia Præmonstratenses sine Domni Præmonstratensis, vel Capituli generalis vel patris Abbatis vel in eius absentiâ, Vicarij siue Visitatoris ad hoc singularem potestatem habentis, consensu, non possunt bona abalienare, Nam statuta Ordinis Præmonst. Anno 1618. renouata & edita *dist. 4. c.30. n. 129.* sic habent. Nullus Prælatorũ Ordinis nostri aliqua im- „
mobilia primæ fundationis vel quæ „
ad Ecclesias suas longo tempore spe- „
ctauerunt, sine Domni Præmonstra- „
tensis vel Capituli generalis, vel patris „
Abbatis vel si is sit nimis longè dis- „
situs, Vicarij siue Visitatoris ad hoc „
specialem potestatem habentis, con- „
sensu, in scriptis obtento vendat ali- „
quatenus, vel alienet. *in Marg.* citatur „
in hunc finem Bulla Innoc. 4. *quæ incipit.cum à nobis, &* Clementis v. *quæ incipit. Religiosam vitam eligentes, & n. 183.* SIC PERGVNT STATVTA, Quicunque autem Prælatorum, sine debitâ autoritate ex consensu aliquid prædictorum præsumpserint attentare, autoritate Capituli generalis sint & maneant ipso facto depositi, & eo-

rum obedientia penitus absoluti &c. & omnia taliter acta nullius sint efficaciæ, & valoris, *hæc ibi.* Vnde colligit *F. Rom. q. 1. n. 76.* Ordinem Præmonstratensem, vel ipsius Domnum & Generalem habere ius in bonis Monasteriorum suæ Religionis. *Consequenter* bona Monasteriorum suæ religionis ab Ordine ipso vel ipsius prælato esse occupata, adeoque nec mortuis omnibus alicuius Monasterij collegis bona esse vacantia.

Prob. 5. De Ordinis Cestertiensi.

5. Idem PROBAT de Ordine Cistertiensi *q. 1. n. 72.* & quidem ex eo, quod eius bona sint communia 2. quod nihil ex eis sine peculiari Generalis consensu possit alienari, supprimi &c. *Vnde* consequitur, quod bona Monasteriorum suæ Religionis etiam emortuorum, ab Ordine illo sint occupata, adeoque nec mortuis omnibus de aliquo illius Ordinis Monasterio vacantia, Probat F. Rom. *ex Eman. Rodriq. qq. Regul. in tom. 1. q. 27. art. 1. 2.* antecedentis *partem priorem*, quod illi Ordini bona omnia sint communia iuxta Bullam Pij. II. datam Mantuæ *Anno 1459. pridie Nonas Augusti, qua incipit. super gregem Domini cum nobis licet immeritis.* Vbi inter cætera hæc habentur. Nos hoc perpetuæ constitutionis edicto & autoritate Apostolica, & ex certâ scientiâ statuimus, decernimus, & declaramus, quod omnia bona Monasteriorum, & aliorum locorum dicti Ordinis sint communia &c. *Partem posteriorum* antecedentis de requirendo peculiari in illo Ordine Generalis consensu ad alienationem, ostendit ex Pij IV. amplissimo priuilegio eidem Ordini concesso, *Romæ dato apud S. Petrum Anno 1565. sexto Kalend Oct. incip. in Eminenti dignitatis Apostolicæ specula.* Vbi statuitur nullas ab Ordine Cister: Monasteriorum dismembrationes aut alienationes fieri posse absque speciali consensu ipsius Generalis, Verba Pontificis sunt ista. » Vniones autem, an- » nexiones, & incorporationes ac sup- » pressiones & extinctiones Monasteri- » orum & Prioratuum eiusdem Ordi- » nis, aut fructuum, Redituum, aut pro- » uentuum, illorum dismembrationes, » & locis alijs quorumlibet piæ appli- » cationes & aliæ quæuis perpetuæ il- » lorum alienationes, cuicunque alteri " loco ex quauis causa quantumcunque " honestâ, vrgente & necessariâ, absque " speciali & expresso eiusdem Abbatis " Generalis pro tempore existentis cõ- " sensu in scriptis causaq; prius in Capi- " tulo præfata vel alias rite cognita etiã " per Nos & sedem prædictam, etiã de " Fratrum consilio, ac ad quorumuis " etiam Imperatorum, Regum, Regina- " rum Ducum & aliorum Principum " instantiam, deinceps nullatenus fieri " possint, & si aliter fiant, nullius om- " nino sint roboris, neque Ordo eius- " que superiores & personæ, præfatis " literis desuper conficiendis obedire „ debeant &c. Et ita per quoscunque „ iudices & Commissarios quauis auto- „ ritate fungentes, etiam S.R.E. Car- „ dinales ac causarum Palatij Aposto- „ lici

" lici Auditores, sublata eis & eorum " cuilibet quauis aliter iudicandi & in- " terpretandi authoritate & facultate, " iudicari,definiri & interpretari debe- " re,& quicquid secus à quoquam qua- " uis autoritate scienter vel ignoranter " attentari contigerit, irritum & inane " decernimus. Non obstantibus &c. Vnde apparet minimè verum esse, mortuis omnibus Collegis alicuius Monasterij Cister. bona illius non esse occupata, adeoque esse vacantia.

Probat 6. Ex resposo Pontificis pro Congregatione vnita.

VI. Idem ostendere conatur F. Romanus *q.3.nu.8.* ex eo, quòd summus Pontifex Anno 1623. (verbis vtor authoris) REQVISITVS mandato Imperatoris per Patrem Martinum Becanum P. M. Vtrum " possit bona Palatinatus, quæ iam pri- " dem alienata, prophanata, & Mona- " chis ac Monialibus orbata sunt, con- " uertere in pios vsus pro spirituali bo- " no Ecclesiæ, præsertim ad extirpan- " dam hæresin & reponendam fidem " Catholicam, in quo opus erit viris " probis & Doctis, qui populum & iu- " uentutem instruant;sua Sanctitas RE- " SPONDIT. Quod si bona illa,redi- " tus erant alicuius Religionis Regula- " rium,quæ modo extat in Congrega- " tione vnita;quod illi particulari de- " beant restitui;quia res iniustè ablatæ " & de facto debent restitui.

Ita Pontifex, qui si per vocem (*particulari*) intellexisset Congregationem seu Conuentum Monasterij Monachis aut monialibus non orbati,non respondisset ad propositam sibi quæstionem de Monasterijs iam pridem orbatis sua congregatione. Hoc verò fuisset absurdum.

§. Quare ad euitandum illud absurdum, Pontifex non de extantis Monasterij Congregatione intelligi potest, sed de alia plurium Monasteriorum particulari Congregatione, vt est Congregatio BVRSFELDENSIS, in Saxonia; MELICENSIS in Austria; CASTELLENSIS in Palatinatu superiori *vid.q.3.n.8.qu. 6.nu.10.* Notandum est bene, quòd Pontifex bona restituenda scribat non Congregationi extanti,sed Religioni Regularium,quæ extat in Congregatione & quidem in congregatione vnita. Vnio autem est inter plura: Cum igitur plura Monasteria recuperata sint in congregatione *Bursfeldensi*,illi particulari erunt restituenda, & non ad alios vsus applicanda.

Vnde videtur colligi,summum Pontificem agnoscere Vnionem Bursfeldensem, V.C.vel similem;adhuc bonorum Collegij Emortui dominam, ac consequenter bona Emortui ex Vnione Bursfeldensi Monasterij non esse vacantia.

7. Confirmatur *1.ex c.ea quæ.de stat. Monach.* Vbi Congregationis Prouincialis Visitatoribus executio mandatur, non tantum in *spiritualibus*,sed & in *temporalibus*: *ergo* multò magis ea executio permissa Congregationis Bursfeldensis Præsidi, idq; ex vi ipsius priuilegij. *F. Rom.q.6.n.11. & seq.* *Confir.2.*

& seq. iunctn. 19.31. Atque adeo Congregatio ipsa vel ipsius Præses, habebit aliquam in bonis Monasteriorum Congregationis suæ etiam emortuorum potestatem; ac consequenter bona illa non erunt vacantia.

Confir. 2. 8. Confirmatur 2. a. F. Romano *qu. 6. nu. 11.* ex autoritate Pij Pontificis Rom. qui *Anno 1458. Pontificatus sui primo, pridie nonas Mart. in diplomate suo Incip. Regis pacifici, cuius inscrutabili prouidentia, &c.* Vnionem Bursfeldicam confirmat, ita inter alia inquit. " Omnes & singulas incorporationes & annexiones Monasteriorum quorumcunque, Præpositurarum, Prioratuum, Parochialium Ecclesiarum, Capellarum, & altarium, vobis & obseruantialibus vt præmittitur vnitis & vniendis. Insuper & omnes possessiones, grangia & Molendina, piscinas, reditus, pensiones & decimas ac iura quæcunq; &c. eaque de nouo vobis & ijdem vnitis & vniendis Monasterijs appropriamus, ac immunitati & Ecclesiasticæ libertati supponimus, &c. In quibus verbis videntur omnes possessiones; non vnius sed plurium vnitorum Monasteriorum subijci Dominio; cum dicat, *& ijsdem vnitis appropriamus* scilicet *omnes possessiones.* Nam illud verè alicui appropriatur, cuius proprietas seu Dominium, illi tribuitur, *F. Rom. qu. 1. n. 58.* Proinde cum omnes possessiones ac iura quæcunq; non vni Monasterio, sed vnitis approprientur, nec vnum sed vnita Monasteria ijs in possessionibus, bonis ac iuribus Dominium acquisiuerint.

3. Confirmatur 3. a F. Rom. *q. 1. n. 57. & alib. q. 4. n. 50.* ex rescriptis Augustissimi Imperatoris FERDINANDI II. quibus referuntur Monasteria ad suum spectare Ordinem. *Igitur* Imperator Ordini Dominium Monasticorum illorum bonorum competere asseuerat. Confir. 3.

* * *

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

Soluuntur à F. Romano quædam obiectiones.

1. Destrui de iure, de facto.
Ordo videtur postliminio restituendus in Monasteria emortua ab hæreticis olim occupata, nunc recuperata.
2. Successores postliminio restituendi.
3. Turpiter amissa non gaudent postliminio.
Delictum personæ non redundabit in damnum Ecclesiæ.
Hæretici negant postliminio restituenda bona Ecclesiastica.
4. Monasteria Ordinis S. Benedicti collata alijs alterius Ordinis Religiosis,
Fortè quia non contradixerunt, vel aliud exegit necessitas.

Obiectio. OBIECTIO I. Non est, quod quis obijciat, Monasteria fuisse destructa, ideoque Monachis aliorum Monasteriorum eiusdem Ordinis vel ipsi Ordini non relictum Dominium, seu ius suum antiquum in Monasterijs emortuis. Nam RESPOND. *Responsio.* Ipsa quidem Monasteria fuisse *de facto* ab hostibus & hæreticis inuasoribus destructa; non verò *de iure*, nec authoritate Superioris *q. 1. n. 36. 37.* Adeoque Monachos, vel Ordinem aut Vnionem POSTLIMINIO iura sua recuperare, *q. 1. nu. 20. & n. 41.* Illisque hæc restituenda, quibus fuere ablata.

Replica. 2. REPLICABIS, Monasteria eorumque iura postliminio restitui, si adhuc illi supersint, qui illa prius occupauerant & possederant; non autem si mortui sint, vt hoc casu accidit; vbi Monachi nulli ex ijs amplius supersunt. DVPLICATVR etiam hoc casu *Duplica.* Monasteria suis successoribus restituenda, cum alij eiusdem Ordinis Monachi sint substituendi, qui succedant in vniuersum ius defunctorum, *l. nihil est aliud hæreditas ff d. V. S. Fr. Rom. qu. 1. n. 41. 42.* ERGO & in ius Dominij, quod postliminio recuperant, *numero 43.*

3. INSTABIS, Quòd non omnia *Instantia.* Monasteria Monachis sint erepta, sed multa voluntariè per ipsorum Monachorum à fide Catholica Apostasiam, aut obseruantiæ Regularis neglectum, hostibus cesserint.

RESPOND. F. ROMAN. *qu. 1. nu. 99.* *Respons. 1.* Delictum personæ non debere redundare in damnum Ecclesiæ vel Or-

dinis *c.delictum d.R.I.in 6.* cum nemo alterius odio prægrauari debeat, *d.R.I.in 6.* Et falsum est dictum Opponentis, quod Monachi non regulariter viuentes, debeant per alterius Ordinis institutionem puniri, Neq; Alexander III. istud ibi (in Concilio Lateranensi III.) decreuit, neque in textu habetur, sed in indiculo, *q.7.n.5.F.Rom.*

RESPOND.II. *Ex quæst.1.n.86.nu.95.& q.13.n.10.* Hoc argumentum patrocinari hæreticis. Nam qui negat postliminium bonorum Ecclesiasticorum, negat eorum restitutionem, quam & hæretici negant.

Obiect. 2. 4. OBIECT.2. Quod si obijcies praxim, quâ plurima S. Benedicti familię alicubi emortuæ, Monasteria etiam alijs alterius Ordinis religiosis, sunt donata vel collata *q.2.n.8.& 19.* quasi ideo Ordo S. Benedicti non habuerit ius in illis Monasterijs. RESPOND. Donationem & collationem illam valuisse, quia Ordo S. Benedicti non contradixit *qu.2.num.8.12.19.&c.* vel si contradixit, aliud postulauit necessitas, *qu.2.n.8.& 19.* Nunc autem & Ordo contradicit *q.3.n.5.§. quocirca.f.158.* nec aliud exigit necessitas, *tota q.2.num.12.* Igitur nunc collatio vel donatio Monasteriorum emortuorum, alijs alterius Ordinis Religiosis facta vel facienda non valebit, tanquam in Ordinis, eiusque iuris præiudicium facta.

§. Atque hinc patet, Ordini suum ius in bonis emortuorum Collegiorum Monasticorum manere integrum. adeoque cum illorum bona ab Ordine adhuc sint occupata, non esse ea vacantia.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

Proponuntur Argumenta F. Romani, quibus ostenditur ab Ordine vel Vnione bona Monasteriorum illius Ordinis emortuorum esse adhuc possessa.

1. *Aliquis dicitur ibi habitare, vbi eius familia habitat.*
2. *Ordini videtur postliminium emortuorum Monasteriorum concedendum.*
3. *Ordo agere potest de spolio,*
   Hoc enim videtur supponere Edictum Imperatoris restitutorium bonorum Ecclesiasticorum.
4. *Ordo videtur posse agere ex c. reintegranda 3. q. 1.*
   In hoc remedio intentando sufficit ostendere agentis antiquiorem fuisse possessionem & possessoris recentiorem.
   Hoc vtitur, qui ingressurus ad possessionem non admittitur.
   Nec opus est in eo, ostendere, vi se deiectũ. Competit etiam spoliati successori.
5. *Pro spoliata Ecclesia agere potest; quilibet de Clero 2. Prælatus,*
   Etiam sine literis de rato.
   Absq; mandato agere potest persona coniuncta.
   Cum satisdatione.
   Etiam contra voluntatem Principalis in certis casibus.
   Coniunctis personis annumerantur Clerici.
   3. Ordinarius loci.
   4. Sedes Apostolica.
6. *An in Ordinem continuetur possessio.*
   In successorem continuatur ius.

Assertio F. Romani. ASserit F. ROMANVS Hay *q. 1. n. 40. vsq; ad 100. & q. 4. n. 50.* ab Ordine adhuc bona emortuorum Monasteriorum possideri.

Eius Rat. 1. Rationem *qu. 1. n. 80.* hanc adfert, quod quis dicatur habitare, vbi familia sua habitat, & possessionem acquirere, & retinere per familiam suam. *Bart. in l. Municipes ff. d. acq. poss. & l. si mulieri, ff. quibus modis vsusfr. amitt. n. 2.* Vnde F. Romanus *q. 1. n. 85.* citat authoritatem eminentissimi Electoris Treuirensis Ioannis Christophori, affirmantis Ordinem semper retinuisse Ciuilem possessionem.

2. Idem probat, ex postliminio. *Ratio 2.*

Quia Ordini restituuntur bona emortuorum Monasteriorum postliminio, *q. 1. nu. 80.* Igitur Ordo habet eorum possessionem, *qu. 1. n. 80.*

Ratio 3. 3. Ex Interdicto de spolio. Nam Ordo agere potest de spolio, *q. 1 num. 86. 92. 93. 94. 95. 96.* Igitur Ordo habuit possessionem saltem ciuilem *q. 1. num. 85.* Consequentia est manifesta. Antecedens prob. *1. qu. 1. num. 8.* Ex Edicto Imperatoris restitutorio, quod spolio nititur seu supponit Ordiné Religiosum possessione spoliatum, *q. 1. nu. 98.* Ideoq; vult & illum supplicantem restitui possessioni. Quod Edictum, Ordo *vel* IVSTE impetrauit, atque Imperator decreuit, *vel* NON IVSTE *q. 2. nu. 7.* NON certè INIVSTE. Aliàs. n. haud modicâ iniuriâ affeceris Ordiné & Imperatoré, qui antehac Ordiné sæpius possessioni Monasteriorum ac bonorum, vnde exciderat, restituit. *Igitur* IVSTE Ordinem possessionis Monasteriorum emortuorum ab hæreticis occupatorum, restitutionem impetrasse, atque eandem Imperatorem IVSTE decreuisse, necessariò asserendum est; adeoq; Ordo, supponitur possessione spoliatus; ac *consequenter* Monasteria ante possedisse.

Prob. 2. Anteced. 4. Antecedens 2. prob. *q. 1. nu. 94. 95.* Ex c. redintegranda. 3. *q. 1.* in quo remedio intentando sufficit ostendere *Antiquiorem* agentis fuisse possessionem, *&* possessoris *recentiorem.* Nam probatâ antiquiore possessione, illa, quæ est iunior & sine titulo, clandestina præsumitur *c. licet de prob:* vel violenta: Atqui Ordo habuit *Antiquiorem* possessionem; Reliqui, qui non sunt ex Ordine, habent *recentiorem*; Ergo. Deinde *q. 1. num. 96.* illi datur hoc remedium, *d. c.* Redintegranda, qui ingressurus non admittitur ad possessionem; cum dicatur spoliari *ex l. 1. §. 24. ff. de vi & vi armata, l. clam possidere §. qui ad nundinas, in fin. vbi gloss. & omnes Dd. ff. d. acq. poss. Menoch. 1. recup. possess. nu. 149. (malè 80. F. Romanus.) Mascard. vol. 3. prob. conclusione 1329. n. 7.* Atqui Ordo Benedictinus ingressurus Monasteria sub regulâ suâ emortua, non admittitur ad eorum possessionem. Ergo Ordo est spoliatus.

Denique *quæst. 1. numero 94.* ex d. c. redintegranda: vel ipsi spoliato venit restituenda possessio, vel ipsius successori. At Monachi aliorum Monasteriorum eiusdem regulæ, vel Ordo ipse, est successor in bonis Monasteriorum emortuorum. Igitur, &c.

Neque opus est, vt ex iure Canonico de spolio acturus, fuerit vi, possessione suâ deiectus; Nam etiam ex illo iudex spoliare censetur, si sententiam contra ius ferat, aut exequatur. & taliter spoliatus ante omnia restituitur *c. conquerente d. rest. spoliat. & ibi Abb. & Can. omnes. vide Frat. Rom. q. 1. n. 93.*

5. Antecedens 3. probatur *ex Fel. in c. dilecti n. 2. de Maioritate & obedientia.* Vbi dicitur; quod quilibet de Probat. 3. Anteced.

Clero auditur in concernentibus interesse Ecclesiæ, & sic in concernentibus interesse populi, *Ita dicunt Dd. hic post Hosti*: Et iterum *n. 3.* subijcit, pro executione piæ voluntatis auditur quilibet de populo, negligente Episcopo *text. in § si autem locorum, Auth. de Eccles. tit. quem allegat. Speculat. de Inst. edit. §. nunc aliqua, vers. sed nonne quilibet. Bart. in l. nec quicquam §. fin. ff. de off. procons. Aretin. pulchrè in c. cum olim. 5. col. de test. allegans text. & Bald. in l ciuitatibus ff. de leg. 1.* hæc ille.

Et quidem potest Prælatus vel quilibet de Ecclesia, agere pro Ecclesia, etiam sine literis de rato, *Gloss. in c. si quis presbyterorum, de rebus Eccles. non al. verb. alienata.* Quin etiam si constet expresśè de non habito mandato, potest agere persona coniuncta. Hæc enim admittitur cum satisdatione, nisi appareat de contraria voluntate. *ff. de procur. l. Pomponius §. fin. l. sed & hæ personæ*; interdum tamen in certis casibus admittitur etiam contra voluntatem, vt *primo* pro libertate, *ff. de lib. causa l. 1. 2. & 3. Secũdo* pro defensione condemnati. *ff. de Appell. l. non tantum*, NB. Inter coniunctas personas referuntur etiam Clerici. *Argumento 12. q. 2. c. non liceat.* Ita Fr. Romanus, *qu. 1. num. 86.*

§. Potest quoque pro Ecclesia agere Ordinarius loci, *q. 1. n. 32.* tum Sedes Apostolica, *qu. 1. nu. 33.*

6. Quartò & Vltimo prob. Anteced. *q. 1. n. 89.* quia in Ordinem continuatur possesio, sicuti hæreditas in hęredem, eò quod iura continuentur in hæredem, *l. nihil aliud. ff. de verb. signif.* Possesio autem est etiam aliquod ius. Proinde cum possessio bonorum emortuorum, continuetur in Ordinem tanquam in hæredem, non poterunt dici bona non esse possessa; *Consequenter* nec poterunt affirmari, ea bona esse vacantia. *Prob. 4. Anteced.*

SECTIO SECVNDA.

Patris Laimanni ſententia late propugnatur atque à F. Romani Impugnatione defenditur.

1. *Ordini ſeu monaſterijs vt vniuerſis non competit dominium in bonis emortuorum Monaſteriorum ſui inſtituti.*
2. *Bona emortuorum Monaſteriorum non ſunt Ordinis in communi; ſeu vt vniuerſalis; ſed ſingulorum.*
Acceptio illa Ordinis refutatur.
Ordo conſideratur hic vt à parte rei exſiſtens, adeoque vt ſingulare quid.
Actiones ſunt ſingularium.
3. *Bona nec ſunt Ordinis, vt totius integri, nec vt ſuppoſiti.*
Acceptio eiuſmodi, Ordinis refutatur.
Suppoſitum quid dicat?
Ordo Religioſus eſt aggregatum quid per accidens.
4. *Dominium ſubalternum bonorum huius Monaſterij non eſt penes hoc Monaſterium, nec ſubalternans penes Ordinem.*
Subalternatio quotuplex?
Subalternatum quomodo à ſubalternante dependeat?
5. *Ordo non habet dominium huius v. c. Monaſterij, viuis ipſius Collegis Monachis, nec etiam ijs mortuis.*
Dominium aliud ſuperioritatis ſeu iuriſdictionis, aliud proprietatis,
Hoc vel eſt plenum, quando proprietas ſtrictè accepta, eſt coniuncta cum vtilitate.
Vel ſemiplenum, ſcilicet directum, vel vtile &c.
Vnius rei domini duo in ſolidum eſſe nequeunt.
Exules religioſi citra iuſtitiæ læſionẽ nõ potuerunt excludi à monaſterijs, ſi & horum ipſi ſunt domini.
6. *Dominium hic aliud priuatum rerum, aliud ſuperius perſonarum.*
An Abbas in Abbatem habeat iuriſdictionem,
An Præſides & Viſitatores habeant iuriſdictionem aliquam etiam extra Capitulum Generale vel Prouinciale.
Et ſi haberent, non tamen haberent dominium rerum ſingulorum Monaſteriorum.
Vnus Abbas vni tãtũ præeſt Monaſterio.
Iuriſdictio ſine modicâ coercitione eſt nulla, vel præter vim directiuam, includit etiam coactiuam.
Iuriſdictio interdum accipitur pro Notione aliquâ.
7. *Non dantur Monachi certi, quibus in emortuorum monaſteriorum bonis dominium competat ſtatim ab obitu huius Monaſterij monachorum.*
Dominium non in incerto vagatur.
8. *Qui prius ex collatione acquirit alicuius rei dominium, non poteſt dici ante colla-*

collationem illius habere dominium.
9. *Dominium non continuatur nisi in hæredes suos.*
Monachi vnius monasterij etiamsi ponerentur hæredes alterius in eodem Ordine monasterij emortui, non tamen essent sui.
10. *Monachi vnius monasterij non possunt ostendere vllum iuridicum modũ, quo sine facto Superioris, Pontificis aut Episcopi, ad ipsos deriuetur alterius monasterij independentis emortui dominium.*
11. *Monachi huius monasterij, non possunt dici habere possessionem ciuilẽ, naturalem aut vtramq; simul alterius monasterij independentis.*
Nec ipsi illud possident per se, in solidum, vel pro parte.
Ciuilis possessio quomodo acquiratur? retineatur? quando extinguatur?
Duo eiusdem rei in solidum non dantur possessores etiam ciuiles.
Quis dicatur iuris fictione idem cum ciuiliter possidente.
12. *Monachi huius Monasterij non possunt dici per alios alterius Monasterij ex eodem Ordine monachos possidere.*
13. *Dominus bona, suo, non alterius nomine possidet.*
14. *Quis dicatur alterius nomine possidere.*
15. *Monachi aliorum monasteriorum, bona huius Monasterij non possident pro parte.*
Quod quis etiam pro parte possidet, non est opus, vt ad illud transferatur.
16. *Possessor etiam pro parte, si spolietur, potest proprio nomine agere de spolio.*
17. *Possessor etiam pro parte, dicitur spoliari, si pro parte prohibeatur vti suo arbitrio.*
18. *Ad apprehendendam possessionem quæ & quot sint necessaria?*

Conc.P. Laym. Bimemb.

CONTRA *P. Laimannus* contendit Ordini nullum in dictis Monasteriorum emortuorum sui instituti bonis esse ius, *siue* Ordinem non habere eorum dominium aut possessionem.

Pars. 1. Concl. de dom. &c. prob.

1. PArs prior *Conclusionis*, quod Ordini dominiũ in emortuorum Monasteriorum bonis non competat, probatur. 1. si Ordini ius competeret in Monasterijs sui instituti emortuis, vel *igitur* toti Ordini seu omnibus Monasterijs, illius instituti collectiue sumptis seu vt vniuersis, vel aliquibus saltem Monasterijs ius in eorum bonis erit; Non omnibus collectiue sumptis, siue vt vniuersis, quia alias aliorũ Monasteriorũ eiusdem instituti Monachi sine grauissimâ iuris læsione, adeoq; sine maximâ iniustitiâ non potuissent nuper exules sui Ordinis in illa collectione, seu inter vniuersos comprehensos, maioreque necessitate laborantes

rantes suis Monasterijs excludere vel prohibere; sed obligati fuissent, & quidem sub mortali peccato, vtpote in graui materia, eos hospitio & conuictu excipere; quod tamen factum est nusquam. Deinde si omnia monastica bona quoad Dominium subessent omnibus monasterijs collectiuè sumptis, seu vt vniuersis, quomodo igitur aliquorum monasteriorū eiusdem Ordinis bona dicuntur huic vel illi monasterio eiusdem Ordinis vniri, in ijsq; acquiri dominium? *c. quia Monasterium de religios. domibus.* An quod meum est, meum amplius fieri potest? *Vide nos infra.* Nec etiam aliquibus saltem Monasterijs dominium illud in Emortuorum bonis competit, quia nec huic nec illi ius ipsum adscribi potest; quare enim huic potius quam illi, vel illi quàm huic tribueretur? Et si huic vel illi dominium bonorum, alterius Monasterij eiusdem Ordinis competit, *Igitur* poterit hoc vel illud Monasterium de bonis alterius Monasterij eiusdem Ordinis, liberè disponere; Atqui hoc falsum est, *Igitur* non poterit dici, huic vel illi Monasterio competere in alius Monasterij eiusdem Ordinis bonis dominium.

Distinctio 1.F.Rom. in termino Ordinis

Irretortam huius Argumenti lucem, suo F.Romanus existimat Astri obscurari & offundi lumine, quare vndique rationum conquirit radios, quibus illius splendorem perstringat; sed frustra: Nam vt bene Seruius in *2. Aeneidos*, Lux claritatem nouit & splendorem, nihil fumi; contrà, lumen, fumi aliquid habet permixtum; At bone Deus? quantū in responsionibus suis fumi nobis vendit F. Rom. vt vix splendoris aliquid videatur reliquisse. Age rem ipsam aggrediamur.

Refutatur.

Distinguit *F. Romanus* in Argumento nostro *Terminum* Ordinis, *& ait*: Nec toti Ordini, nec aliquibus ex Ordine, sed Ordini in *communi*, vel Ordini *vt vniuersali*, ius esse in dictis Monasterijs emortuis, *q. 1. n. 27. 28. 58. 60. 61. 67. 68. 80. 82. 83. &c.* Atque ita Ordinem accipit, prout ipse Ordo, à quibusdam tantum mente concipitur à singularibus Monasterijs, vel Monachis abstractus; non verò prout à parte rei existit. Sic enim Ordo est quid singulare, & non aliquid in communi. Atqui (quicquid sit de abstractione illa, vtrum eiusmodi hoc in casu dari possit necne) nos hic agimus de Ordine, prout est quid à parte rei capax huius vel illius actionis realis &c. quā à parte rei seu re ipsa in Iudicio, ipse apud iudicem proponat, vt F.Romanus, licet inuitus, fatetur. *tota hac q. 1.* & maximè quādo vult, Ordinē agere posse de spolio; Actiones autē sunt singulariū, *q.1.astri.n. 80. Igitur* Ordo non potest hîc considerari, vt quid in communi seu prout à singularibus fingitur abstractus; adeoque fratris Rom. Responsio in fumos hîc resoluitur.

Distinctio 2. F. Rom. Refutatur.

2. Ait *F*: Rom. *q. 1. n. 82.* bona Monasteriorum esse Ordinis considerati non iam communi vel vt vni-

uer-

uersalis, sed *vt totius integri* vel *vt suppositi*. At nihil hic lucis, sed meræ offunduntur tenebræ; Hicque est (vt
" verbis F. Rom. *q.3.n.23.*vtar) finis
" finalis nouitatum, ac subtilitatum
" eiusmodi, quando Regiam deserimus
" viam, ac sacris canonibus, & omni-
" bus bonis nos opponere denique sit
" necesse. Immo si propriè loqui ve-
" limus, non ista subtilitas, sed proprij
" Ingenij rustica fiducia, nouitatisque
" libido, quales in causis ecclesiasti-
" cis, summopere reprobari docetur
" *c. dilecti 6. d. Iud. & ibi gloss. verb. sub-*
" *tiliter*, quia ad perniciem reuertun-
" tur. *C. ad Trebell. l. penult. &c. Alciat.*
" *Reg. 2. præsump. 30. n. 1.* sed his o-
" missis, ostendamus, acceptionem præmissam hic locum non obtinere.

Imprimis Ordo Respectu Monasteriorum, non habet se vt totum Integrale; alias enim sublato vno Monasterio, futurus esset Ordo mancus; vel adiecto illi alio Monasterio, dicendus monstrosus, *vt patet.* quippe si toti integro subtrahatur pars integrans, verb.) caus. manui digitus vnus, ipsa manus iam non integra, sed manca nuncupabitur; sin verò pars integrans adijciatur, vt si quinque digitis, in vnâ manu adijciatur sextus, manus tota erit monstrosa; Vtrumque autem dicere de Ordine, nihil omnino de rationis lumine participat; Cimmerias secum trahit caligines; *Deinde* idẽ de Supposito statuendum. Nã si Ordo se habet vt suppositum; Igitur Ordo erit & substantia prima individua, dicetque intrinsece & formaliter exclusionem communicationis cũ pluribus; adeoque plures si vellent adoptari ab Ordine, seu recipi in Ordinem, non possent: Consequentia probatur. Quia supposit ũ in concreto & substãtia prima conuertuntur, & suppositum creatum dicit intrinsece & formaliter exclusionem communicationis cum pluribus; Dicit enim intrinsece subsistentiã, per quã constituitur aliquid per se subsistẽs, & quidem ita, vt sit alteri incommunicabile; Ordinem autem siue *Materialiter*, siue *formaliter* sumptum, nemo definiet esse substantiam Indiuiduam, & alteri incommunicabilem; nisi forte densissimis errorum tenebris, aut potius fumis sit inuolutus, cũ nouerint omnes, Ordinem Religiosum esse aggregatum per accidens, instar Exercitus, cum quo non inuenuste cõponitur ab Odone Tusculano & Brunone *apud Patrem Lopez. de Mensa spiritali in verb. Religio n.13. & 74. ex illo Gen.32. Castra Dei sunt hæc*;

4. Hinc F. Rom. prioribus Acceptionibus non satis fisus, nouos cõminiscitur accipiendæ vocis dominij radios; Dominium inquiens subalternum est penes Monasterium *q. 1. n. 71.* Penes Ordinem verò est subalternans; eo quod Immediatum Monasterij dominium dominio Ordinis subalternatur. *q. 1. n. 60.* At hi vt deprehendantur, num veri *Distinctio de dom. subalterno & subalternante.*

Refutatur.

an fucati sint radij, Quæro à F. Rom. qualis hîc intelligẽda subalternatio? Num *vt est positio vnius sub aliâ*, vel in genere Entis *Metaphysica*, per rationem conficta (quæ cernitur in subordinatione speciei respectu generis, aut indiuiduorum respectu speciei) vel in ratione prædicandi *logica*, ita vt sint duæ propositiones constãtes eodem prædicato & subiecto, eiusdem qualitatis, sed diuersæ quantitatis, id est, vt vtraq; sit affirmatiua vel negatiua, sed vna Vniuersalis, scil. subalternans, Altera particularis, scil. subalternata? An *vt est realis dependentia vnius ab alia?* Nulla harum subalternationum hîc locum habet;

Nam Respectu primæ, deberet dominium Immediatum Monachorum mortuorum poni sub dominio vt sic, vel vt solum per mentis conceptũ abstracto. At hæc subalternatio dominij est tantũ conficta, nihil ponẽs à parte rei; adeoq; nihil ad rẽ facit; Cũ nos hîc quæramus de dominio, de quo in Iudicio apud Iudicẽ competentem disceptari solet. *Consequenter* huiusmodi dominium debet esse verum Reale à parte rei existens, eo quod Iudex non de conceptibus Mentis, sed de rei veritate, prout illa se habet à parte rei, Iudicare debeat, *l. verbum oportere ff. d. V. S. l. 3. C. d. sent. q. sine. cert. quant. §. curare. 33. Inst. d. act. & ibi Dd.* Igitur dominium Ordinis subalternans per Metaphysicos conceptus effictum, omnino ab hoc loco, & casu proposito alienum est, nec vllum radij, ne quidem apparentis, vestigium Astro suppeditabit. Adeo vt planè ex hoc, Astri lumen non esse extinctum, sed ne vnquam quidem accensum aut illuminatum, necesse habeas confiteri.

Deinde nec secunda subalternatio LOGICA, hîc locum obtinet; Nam alias hæ duæ formandæ essent propositiones, quarum altera vniuersalis subalternans, hæc foret, *Omne dominium Monasteriorum est penes Ordinem; seu penes omnes Monachos omnium omnino Monasteriorum eiusdem Regulæ:* Et altera particularis subalternata, nimirum *aliquod dominium Monasteriorum, est penes horum locorum Monachos.* At vniuersalis falsa est, quod omne Dominium Monasteriorum sit penes Ordinem; Cum Imprimis non vtile eorum dominium, immo nullum sit penes Ordinem, vt mox ostendẽ. *Proinde* hîc nulli rationũ radij, quibus dominiũ Ord. subalternans illustretur, comparent.

§. *Denique* nec tertia realis subalternatio, hîc lòcum habet. Nam ita subalternatum solet dependere à subalternante, vel in esse principiorum, vel finis. Nam quæ subalternatio, in esse subiecti dependet, est vel *Metaphysica*, quatenus subalternatum, subiecto Alternãtis tantum addit per conceptum nostrum, differentiam specificam aut Indiuidualem, per quam illud contrahatur; Vel *logica*, quatenus particularis subijcitur vniuersali propositioni, quarum subalternationum Neutra huc conuenit, *vt paulo*

ante

ante ostendi. Reliquum est igitur, vt si hîc danda sit aliqua subalternatio, illa, vel ratione principiorum sit, vel ratione finis; At neutra hîc obtinet, Non *prior*, Nam non positis vel etiam sublatis omnibus alijs Monasterijs, Monachi huius Monasterij nihilominus obtinerent Dominium, quod nunc habent. Igitur hoc dominiũ huius Monasterij ab illo Ordinis non dependet in ratione principij. *Nec posterior* subalternatio dominij, ratione finis hîc obtinet, Nam ratione dominij, quis finis *Monasterij* excogitari potest, nisi vtilitas? At alia *Monasteria*, non habent ex dominio huius *Monasterij* eiusdem Ordinis, vtilitatem, vt ratione secunda comprobatur. Igitur &c.

Anteocc. Si dixeris finem esse cultum diuinum. At hic finis dominio plane extrinsecus est, nec dominiũ importat. alias enim quotquot cultui diuino vacarent, essent domini omnium bonorum ecclesiasticorum, religiosorum &c. subalternantes; quod certè absurdissimum est asseuerare.

2. Prob. Pars. prior. Cõc. de domin. &c. per Syllogism. 5. Pars prior Conclusionis, de emortui *Monasterij* dominio, Ordini vel Vnioni nõ competente probatur. Vel enim *Monachi* ex alijs *Monasterijs* habebunt dominium bonorũ collegij in eodẽ Ordine emortui, *viuentibus* adhuc ipsis collegis, vel ipsis *mortuis.* Neutrum dici potest. igitur.

Minoris prius mẽbrũ prob. 1. Probatur prius membrum *Minoris*, quod ipsis collegis religiosis adhuc viuentibus Monachi ex alijs eiusdem Ordinis Monasterijs non habeant dominium bonorum emortui Collegij Nam hoc dominium erit apud collegas illos, & apud alios eiusdem Ordinis *Monachos*, vel vnũ ac idem, vel diuersũ; Non vnum, quia illud dominiũ, vel in solidum competet illis collegis, & alijs quoque *Monachis* d. Ordinis in solidum, vel vtrisque pro parte Indiuisa; adeoque erit dominiũ commune. Non dici potest dominiũ vtrisque competere in solidũ; Nam vnius rei duo in solidũ domini esse nequeunt, *l. si inter me & te, ff. d. Except. rei Iud. l. Pomponius §. sed & is in fin. ff. d. procur. l. 3. §. ex Contrario ff. d. acq. poss. l. si vt certo §. fin. ff. commod.*

§. Neq; asseri potest, quod vnum idemq; dominium bonorum vtrisque competat pro parte indiuisâ, adeoque vtrisq; sit commune. Nam alias si exules aliorum *Monasteriorum*, ad viuos adhuc huius in eodem Ordine *Monasterij* collegas accessissent, debuissent illi ab his viuis suscipi & ali, nec potuissent citra iuris Naturalis læsionem reijci; Hoc autem falsum esse, vsus & experientia quotidiana, in similib. *Monasterijs* cõprobauit Cũ citra vllius iuris naturalis, aut diuini læsionẽ, exules religiosi, ab alijs eiusdem Ordinis non suscepti fuerint *Monasterijs.* Vnde *Manifestum* est, alios aliorũ Monasteriorũ Monachos in his Monast. eiusdẽ Ord. non habere vllũ dominiũ. Neque

etiam Collegis huius Monasterij & alijs aliorum eiusdem Ordinis Dominium diuersum asignari potest. Nam vel est diuersum secundum partem; ita vt apud Collegas huius Monasterij sit Dominium directum & apud alios aliorum Monasteriorum, eiusdem Ordinis Monachos sit vtile, aut contrà; vel omnino ac toto genere diuersum, ita vt apud Collegas huius Monasterij sit Dominium superius seu Iurisdictionis, & apud alios eiusdem Ordinis inferius, seu priuatum rerũ, aut contra; Nihil horum asseri potest. Nam primo apud alios aliorum Monasteriorum, non est vtile Dominiũ, cũ ipsimet Collegæ huius Monasterij in eodem Ordine bonis illis vtantur fruantur, *vt patet*, & alioquin exules illius Ordinis, potuissent iure ex bonis illis vtilitatem sibi vindicare, quę absque graui iniustitia ipsis non fuisset negata; Neque apud alios est directum Dominium; tum quia alias proprietas, esset penes aliorum Monasteriorum Monachos, & non penes dictos Collegas huius Monasterij in eodem Ordine, contra text. *in c. inter dilectos, d. fid. Inst. &c.* Et cõtra auth. *ingressi C. d. SS. Eccl.* qua quicquid Monachus acquirit, suo acquirit Monasterio etiam quoad proprietatem; tum quia ita vnumquodque Monasterium ab alio dependeret, contra text. *in c. cum singula §. prohibemus de præbend in 6. in verbis; quorum vnum non dependet ab alio, &c.*

§. Vnde colligitur, quod vtraque Dominij proprietatis, & vtilitatis pars, seu plenum Dominium, sit tantum penes Collegas huius Monasterij.

6. Quod si asseratur Ordini Dominium planè ac toto genere diuersum, diuersæ rationis, Nimirum Dominiũ superius seu Iurisdictio, huc planè Impertinens est, atque à nostro Dominio propriè dicto, directum & vtile comprehendente, separatum? Nam nos agimus de dominio, & quidem priuato bonorum, ac rerum, non personarum. At Iurisdictio (quam Frat. Rom. *q. 7. n. 31.* Capitulo Generali aut eius Pręsidibus vel Visitatoribus *ex c. in singulis c. ea quæ d. stat. Mon. c. fin. d. regular. c. 8. Concil. Trid sess. 25. d. regul.* asserit) est spiritalis personarum superiorum in personas religiosas, hasque respicit, tum eis & non locis terminatur, vt arguit præstitutus Concilio Prouinciali finis; Nimirum intenta disciplinæ regularis, regularumue obseruantia, aut disciplinæ lapsæ reformatio, *d. c. in singulis.*

Et patet ex eo, quod Superior in suos extra claustrum existentes iurisdictionem exercere posit, &c. *F. Rom. d l. ex d. c. fin. d. regular.*

Quamuis nonnemo dominium superioritatis seu Iurisdictionem Præsidum in Abbates S. Benedicti, extra Capitulum Generale seu Prouinciale, negare posit; Eò quod nullus Abbas in Abbatem habeat Iurisdictionem *d. c. in singulis*, ibi, ita tamen

quod

" quod ex hoc nullus eorum sibi auto-
" ritatem prelationis assumat. *d stat. Mo-*
" *nach.* nec vnum Monasterium Ordinariè ab altero dependeat, *c. cum singula §. prohibemus d. præbend. in 6.* vnde etiam iure cautum, vt vnus Abbas vni, non duobus Monasterijs præficiatur *c. clericus 21. qu. 1. c. ne nimia d. relig. dom. Zecchus in tract. de republ. Ecclesiast. c. 25. d. Abbat. n. 3. vers. VII. vt vnus tantum Abbas. iuncto nu. 4. vers. quo vero ad author. iurisdictionis, & n. 8. vers. III. Non potest vnire suum Monasterium vel alteri subijcere sine consensu Episcopi, c. sicut & vnire vbi Dd. de excess. præla.* Tum idem videtur colligi ex sacra Cardinaliũ cógregatione; Hęc enim *in c. 8. Concil. Trid. sess. 25. d. Regularibus. apud Fratrem Rom. q. 6. n. 19.* declarauit, Abbates le-
" gitimè congregatos requirere posse
" & monere, non verò compellere quę-
" cunque Monasteria Prouinciæ. Vnde cum Abbatibus legitimè Congregatis negetur vis coactiua, & concedatur tantum directiua; non habebunt ipsi Iurisdictionem, quæ sine Modica coercitione seu vi coactiuâ nulla est, *l. 1. §. fi. & l. fin. ff. d. offic. eius. cui Mand. est iurisd.* sed tantum Notionem aliquam, quæ etiam subinde latè accepto vocabulo Iurisdictio appellatur, *l. ait prætor 5. ff. d. re Iud.* Siue autẽ ponatur Notio siue Iurisdictio aliqua præsidũ, ac Visitatoris, ea tamen cum sit personarum, non bonorum, aut rerum, (nec enim Iurisdictionem territorialem Præsidi aut Visitatori vllo modo cópetere ostendi potest) adeoque hoc Dominium personarum diuersum & separatum sit à Dominio rerum ac bonorum, de quò nobis est quæstio, ideo ex illo ad hoc nostrum, rerum Dominium non potest fieri illatio, *per regulam vulgatam*: quòd ex vno separatorum ad aliud non fiat illatio, *Euerh. in loc. à separ.*

Relinquitur ergo, viuis adhuc huius Monastici Collegij fratribus, Dominium bonorum seu rerum, non esse penes alios aliorum Monasteriorum Abbates, vel Præsides vel Visitatores.

7. POSTERIVS *Minoris nostræ*, MEMBRVM, in secunda probatione partis prioris cóclus. quod COLLEGIS Religiosis, huius Monasterij EMORTVIS in ipsorum bonis, alij aliorum Monasteriorum eiusdem Ordinis Abbates, Præsides vel Visitatores, non habeant Dominium, PROBATVR I. quia non possunt assignari certi, quibus illud Dominium rerum, statim ab obitu Collegarum, huius Monasterij competat, vt *ratione prima* ostendi, Dominium autem non in incerto vagatur *princip. Inst d. vsucap.* *Minoris posterius memb. prob.* *Prob. 1.*

8. 2. Probatur ex ipsius fratris Romani fundamentis, & primo quidem ex eo, quod ipse *quæst. 1. n. 12. & seqq.* velit alios aliorum Monasteriorum, eiusdem tamen Religionis, defunctis huius Monasterij Monachis substituendos esse, ijsque conferenda bona Collegarum Religiosorum defunctorum. Vnde ita contra fratrem Romanum concluditur. *Prob. 2. Ex duplici fundamento F. Romani.*

Qui Dominium defunctorum Collegarum Religiosorum, ex substitutione aut collatione Superioris necesse habet prius acquirere, ille Dominium in bonis illorum defunctorum, ab ipsorum obitu, non dici potest statim habere, aut obtinere; Si enim statim ab alicuius obitu, ipsius bona sunt mea, ad quid tum substitutione tum collatione opus? cum quod meum est, amplius meum fieri nequeat, *§.sed si rem 10.Inst.d.leg.* ATQVI ex fratris Romani Doctrinâ, alij aliorum Monasteriorum, eiusdem religionis, opus habent, Dominium defunctorum Collegarum Religiosorum, tum ex substitutione, tum collatione superioris prius acpuirere. IGITVR alij aliorum Monasteriorum non possunt dici ex Fr.Roma. Doctrinâ, Dominium in bonis defunctorum Collegarum Religiosorum eiusdem religionis ab ipsorum obitu statim obtinere vel habere.

Altero q. 1.n.24. 9. DEINDE idem probatur ex eo, quod Fr.Rom. *qu.1.nu. 24.* tradat, alios ex alijs eiusdem Ordinis Monasterijs esse Defunctorum huius Monasterij hæredes. Vnde ita contra ipsum colligitur; Dominium in bonis defuncti non continuatur, nisi in ijs, qui sunt hæredes Sui, *l. in suis ff. d. lib. & posth. §.sui autem, & ibid. Dd. Schneid. Inst. d. hæred. qual. & differ.* Atqui Monachi ex alijs Monasterijs, si essent defunctorum religiosorum eiusdem Ordinis hęredes, non forent hæredes Sui, cum venturi essent ad hæreditatem, vt fratres, adeoque, vt collaterales, de quo fundamento videbitur *inf.q.3.* Igitur Dominium in bonis defunctorum Monachorum non continuatur in alios aliorum eiusdem Ordinis Monasteriorum religiosos.

RATIO NOSTRA est, quia Monachi ex alijs eiusdem Ordinis Monasterijs non possunt ostendere vllum legitimum modum, aut Iuridicũ, quo sine facto Superioris, Pőtificis aut Episcopi ad ipsos à morte Collegarũ, huius Monasterij à se independentis bonorum Dominium transierit; Vel si possunt, ostendant illum modum legitimum ac iuridicum. Atque hęc de Dominio bonorum emortui Collegij ad alios eiusdem Ordinis Monachos non translato dicta sufficiant.

II. PARS POSTERIOR CONCLVSIONIS, quod nec possessionem bonorum emortui Collegij Religiosi, habeant alij ex alijs eiusdem Ordinis Monasterijs, PROBATVR. *Pars posterior Cõclusionis prob. Per duo membra.* Vel enim Monachi ex alijs eiusdem Ordinis monasterijs habent huius Monasterij independẽtis possessionem VIVENTIBVS huius Monasterij Collegis religiosis, vel ipsis EMORTVIS. Neutrum dici potest. NON VIVENTIBVS IPSIS, habuerunt alij eiusdem Ordinis Religiosi possessionem. *Prius mẽbrũ prob. syllogismo* Nam illi alij vel per se vel per Collegas huius Monasterij, &quidem si per se; tunc vel in solidum vel pro parte, bona illa possedis-

sedissent. Nihil autem horum asseri potest, Igitur, &c. *Minoris huius* membrum PRIMVM, quod ipsi alij per se in solidum non possederint, PROBATVR, Vel enim ita ipsi alij possedissent ciuiliter vel naturaliter, vel vtroque modo simul, NON vtroq; modo simul; quia alias duo in solidũ darētur possessores *contra l.3.§. ex cõtrario ff. de acq.poss.* Cum etiã viui adhuc Collegæ huius *Monasterij*, bona illa ciuiliter & naturaliter in solidum possederint. NEC alterutro modo tantùm, Non enim naturaliter iure suffragante, alij ex alijs *Monasterijs* bona huius *Monasterij* eiusdem Ordinis possederunt, vt patet ad oculum; quia sic bona detenta fuerunt corporaliter, ab ipsismet viuentibus huius *Monasterij* Collegis. NEQVE etiam ciuiliter alij ex alijs eiusdem Ordinis *Monasterijs* possederunt dicta bona; quia cum ipsimet huius *Monasterij* Collegæ adhuc viui, Ciuiliter seu animo ea bona possidendi, semper tenuerint, sequeretur duos dari in solidum eiusdem rei possessores Ciuiles; quod tanquam in iure absurdum, non est admittendum, *text. in l. ita vulneratus 51.§.2.vers. quod si quis absurde, ff. ad l. Aquil. Vide fratrem Rom. q.1.n.62. vbi citat Bart in l possideri §. ex contrario nu.9.ff. de acqu. poss. & l. sicut certo, §. si ex duobus vehiculum eod.* Deinde licet Ciuilis possessio, solo retineatur animo; tamen vt acquiratur, supponit naturalem possessionem *ex l.2.l.8.l.49.ff. de acq.poss.* in ipso possessore, vel alio, qui Iuris fictione idem cum ipso ciuiliter possidente sit, qualis est vel seruus, vel filius, vel Procurator, si hic nomine alterius rem apprehendat, *Inst. per quas per.nob. acqu. dom.* AT in hoc casu *Monachi* ex alijs eiusdem Ordinis *Monasterijs*, nunquam vel ipsi per se, vel per alios apprehenderunt corporaliter, vel naturaliter bona huius *Monasterij*; Nec se apprehendisse vnquam, possunt legitimè docere; Igitur *Monachi* ex alijs eiusdem Ordinis *Monasterijs*, non possunt dici habere aut retinere Ciuilem possessionem bonorum huius *Monasterij*, Collegis ipsius adhuc viuis.

Minoris syllogismi membrum primum prob.

12. Neque quis dicat, Monachos huius Monasterij possedisse bona, nomine aliorum Monasteriorum: Hoc enim falsum esse, inde ostenditur, quòd vti *Monachi* bona acquisiuerunt, ita & ea possideant, *l.3.ff. de acqu. poss.* Atqui quidquid bonorum, acquisiuerunt *Monachi*, suo *Monasterio* & non alij nec alterius nomine acquisiuerunt, *Auth. ingressi C. de SS. Eccl.* Ergo etiam quicquid bonorum possederunt *Monachi* huius *Monasterij*, nomine sui Monasterij, & totius Conuentus non verò aliorum *Monasteriorum* detinuerunt.

Minoris syllogismi membrum tertium prob.

13. CONFIRM.I.ex eo, Quod Dominus soleat suo & non alterius nomine res suas possidere. At Religiosi Collegæ huius *Monasterij* adhuc viui fuerunt Domini Bonorum huius *Monast.* vt probaui. Igitur suo & non alterius nomine ea bona possederunt.

14. CONFIRMATVR 2. Qui alieno nomine possidet, Is vel alterius seruus, vel filius vel Procurator vel socius in bonis Indiuisis erit. At Collegæ huius Monasterij adhuc viui, nec aliorum sunt serui, nec filij, nec procuratores, nec socij in bonis indisis, vt probatum est. Igit.&c.

Tertium Minoris syllogismi membrū prob.

§. Vnde patet, tertium propositionis Minoris nostræ membrum quod alij ex alijs Monasterijs Monachi bona huius Monasterij, per illius Monachos non possederint.

Minoris syllogismi membrum secundum prob.

15. Alterum quoque Minoris membrum nunc probatur, quod dici nequeat, alios ex alijs eiusdem Ordinis Monasterijs, bona huius Monasterij, pro parte possedisse; Nam patet; id exulum Religiosorum, in Monasteria alia eiusdem Ordinis non receptorum, experiētia; Et PROBATVR idem Membrum, *ex c. cum singula. §. prohibemus, de præb. in 6.* Vnde sic argumentor; Quod quis facto, siue in totum siue pro parte possidet, & animo tenet, non est opus ad illud possidendum, prius vt Canonicè transferatur; ATQVI *ex d.c. cum singula §. prohibemus* opus est, vt Monachi ex alijs Monasterijs ad possidenda bona huius Monasterij licet eiusdem Ordinis, si sint illa legitimè administraturi, Canonicè transferantur. IGITVR Monachi ex alijs Monasterijs nec in totum, nec pro parte bona huius Monasterij, licet eiusdem Ordinis, possident & animo tenent.

Confir.1.

16. CONFIRMATVR I. quia si alij ex alijs Monasterijs possiderent etiam pro parte bona huius Monasterij, & quidem Collegis ipsius adhuc viuentibus, possent illi alij, casu, quo viuentes huius Monasterij essent sua possessione spoliati, de spolio, suo proprio nomine agere, petereque sibi possessionis restitutionem; Hoc autem nemo ICtorum asseruerit, nec ipse F.Rom. *vt videre est quæst.1. nu.63.* Igitur nec illud.

Confir.2.

17. CONFIRMATVR II. Quia si alij ex alijs Monasterijs possiderent etiam pro parte bona huius in eodem Ordine Monasterij & quidem viuis adhuc Collegis, Ergo nuper exulibus ad Monasterium hoc sui Ordinis non admissis, iniustitia fuit irrogata, & vis facta, quòd re possessa prohibiti fuerint suo vti arbitrio; Nam vt Fr. Rō. *q.1. in resp. ad 7. n.92.* docet, vim patitur qui re possessa prohibetur vti arbitrio suo, *l.10. de Municip. ff. de vi & vi Arm.* vbi tamen hæc regula non probatur. *sed in l.11. ff. de vi & vi arm.* Atqui Exulibus ad alia sui Ordinis Monasteria non admissis, factam iniustitiam & vim, Fr. Romanus non admittit, Igitur Fr. Romanus concedere debebit, alijs Aliorum Monasteriorum, non competere possessionem, etiam pro parte, huius in eodem Ordine Monasterij, viuis illius Monachis.

Posterius posterioris partis Concl. membrum de possessione probatur.

18. POSTERIVS Posterioris Conclus. nostræ membrum, quod alij ex alijs Monasterijs Monachi, DEFVNCTIS huius in eodem Or-

Ordine Monaſterij Monachis, horum bonorum POSSESSIONEM, nec obtineant nec habeãt, eſt manifeſtum. Quia cum alij ex alijs Monaſterijs, bonorum huius in eodem Ordine Monaſterij Viuis adhuc illius COLLEGIS poſſeſsioné non habuerint, opus fuit, vt illi alij mortuis huius Monaſterij COLLEGIS, bonorum ipſorum poſſeſsionem acquirerent, & quidem legitime, ſi legitimi eſſent futuri poſſeſſores. At quiſquis legitimus eſt aut haberi vult bonorum aliquorum poſſeſſor, neceſſe eſt *primò* vt apprehenderit illorum poſſeſsionem, corpore & animo ſimul, *l.3.§.adipiſcimur ff.d.acq.poſſ.* II. vt legitimo modo & viâ ea apprehenderit, quæ in Eccl. eſt inueſtitura à Superiore ad id ſufficientem habente autoritatem, facta *Menoch.15.recup.poſſ.n.222.per c.ex frequentibus c. adhac §. in quadam d.oſſ. Archidi. c.1. de eo qui mitt. in poſſ.* III. Vt iuſtè, iuſto Titulo poſſeſsionem obtinuerit, ne habeatur intruſus *c.veniens de accuſ.* At Monachi ex alijs Monaſterijs bona Monachorum huius in eodem Ordine Monaſterij defunctorum, *primò* nec corpore nec animo ſimul apprehenderunt; *Secundò* nec de ijs à Superiore inueſtiti. *Tertiò* nec titulum iuſtum apprehendendæ poſſeſsionis oſtendere poſſunt. *Igitur* Monachi ex alijs Monaſterijs, bonorum & rerum Monachorum huius in eodem Ordine Monaſterij defunctorum, nec acceperunt, nec habent poſſeſsionem.

Ex dictis efficitur, alios ex alijs Monaſterijs Monachos, nec Dominium bonorum huius in eodem Ordine Collegij emortui habere, nec poſſeſſionem; Proinde vides Fr. Romane, quàm Aſtri tui radij, quibus noſtræ huius veritatis lucem, ac ſplendorem obſcurari putabas, adeo euaneſcant, vt ne vllum quidem eorum veſtigium liceat reperire. Ad alios ignis Errantis (Aſtri tui volebam dicere) radios me conuerto, quid in ijs deliteſcat virtutis, exploraturus. Sit *Concluſ. collectio.*

Igitur.

SECTIO TERTIA.

Qua fratris Romani Argumentis Initio quæstionis secundæ sect. I. Propositis respondetur.

CVm Frater Romanus Sect. I. huius II. Quæstionis tribus Capitibus sua proposuerit Argumenta, ijs ex Ordine totidem Capitibus respondendum erit.

CAPVT PRIMVM.

Propositis Fratris Romani Cap. I. Argumentis quod ad Dominium satisfit.

1. Recuperare quid in iure significet,
Habere quid in iure significet.
2. Actio ad rem, habet se vt genus ad actionem ad rem nostram in petitorio recuperandam.
3. Ius ad rem & Ius in re, sunt separata.
Ab vno ad aliud non licet argumentari.
Vindicatio directa datur pro rebus corporeis; vtilis pro Ecclesiasticis incorporeis.
5. In hæreditatis petitione quæstio, Vtrum aliquis sit hæres, est præiudicialis, ideoq; prius ostendenda.
Ecclesiasticorum bonorum Dominium & possessio acquirenda per titulum Canonicum.
Ordo adhuc agit pro titulo obtinendo.
6. Iura realia transeunt ad hæredem, non vero personalia saltem ordinariè.
Ordo non est hæres.
In Ecclesiasticis non datur succeßio hæreditaria.
Ordo si esset hæres Monasteriorum emortuorum, non tamen foret Suus.
In hæredem Suum continuatur ipso iure Dominium.
Non vero in hæredem extraneum.
Hic opus habet aditione legitima.
Poßeßio bonorum quomodo ab hærede siue suo siue extraneo acquiratur.

Bona Ecclesiastica qui acquirantur.

7. Locus Gal. 4. perperam à F. Romano adducitur.

8. Ex Genitiuo quando inferatur Dominium.

Re penitus destructâ, manet sæpe eius appellatio.

Locus PP. de Obseruantia Coloniæ fuit olim Templariorum.

9. Priuilegia Ord. Præmonstratensis.

Licet Præmonstratenses sine Generalis consensu non poßint bona sua alienare, non tamen ideo ipse Generalis aut Ordo habet Dominium bonorum.

Pupillus, Minorennis sine Iudicis & Tutorum vel Curatorum authoritate nihil possunt alienare, non ideo tamen Iudices & tutores vel Curatores habent Dominium bonorum.

10. Cuius in alienatione non requiritur consensus, non est illius Dominus, est propositio vera.

Contrà falsa est hæc, cuius in alienatione requiritur consensus, est rei illius Dominus.

11. A genere ad speciem licet argumentari negatiuè, non verò affirmatiuè.

12. Generalis Ordinis Præmonstratensis non habet Dominium proprietatis bonorum, nec Dominium Iurisdictionis.

Posito etiam, quod haberet Generalis Præmonstratensis Iurisdictionem, hæc non foret territorialis, & aliquo in loco per accidens deficere posset.

13. Statuta dant formam futuris negotijs; obligant eos, qui in ea consenserunt.

Statuta Præmonstratensium de prohibita alienatione rerum sui Ordinis, huc impertinenter adferuntur.

14. c. recolentes. de stat. Monach.

dignum est, vt qui similem cum alijs vitam suscipiunt, similem sentiant in legibus disciplinam.

Qui relictis originalibus Ordinis institutis ad communia volunt aliorum Monasteriorum iura diuertere, oportet eos iure communi censeri.

Quæ sit paupertas Ordinis Cistertiensis quoad res temporales.

15. Priuilegia Ord. Cistert.

Non possunt bona Monasteriorum illius Ordinis alienari sine Generalis, &c. consensu,

Nec vniri.

Non ideo tamen Generalis habet Dominium in bonis singulorum illius Ordinis Monasteriorum.

Vbi verba legis adaptari nequeunt, ibi nec legis dispositio obtinet.

16. Quomodo bona Monasteriorum Ordinis Cist. dicantur communia.

Vnio bonorum supponit ea ante divisa fuisse.

17. Pontifex summus rescribit R. P. Becano.

Bona emortuis Monasterijs, sed tempore rescripti resuscitatis esse restituenda; secus de bonis non resuscitatorum Monasteriorum, n. 18.

Religio notat cœtum Religiosorum Deum sub certa aliqua Regula à summo Pontifice approbata peculiariter colentium,

Religio Dupliciter accipitur, latè prout infert vniuersos illius Ordinis cœtus.

2. Strictè, prout certum illius Ord. cœtum signat.

18. *Congregatio Bursfeldica vt sic, non habet bona.*
Nec bona Monasteriorum Congregationis Bursfeld. sunt Vnioni Bursfeld. communia.
19. *Visitatores siue ex Ordine Religioso, siue ab Episcopis constituti licet in Visitatione habeant notionem aliquam circa bonorum temporalium administrationem non tamen Dominium.*
20. *Pius II. anno 1458. prid. Non. Mart. Bullam, quam citat F. Rō. non scripsit. Si scripsisset, non ea obesset.*
Numerus pluralis resoluendus in singularem vt euitetur absurdum.
Vox indefinita interdum æquipollet singulari, interdū vniuersali, & quomodo, an sẽper collectiuè, vel etiā distributiuè.
21. *Quæstio iuris si moueatur circa bona Ecclesiastica, non pertinet ad Imperat.*
Rescripta Imperatoris data sunt ad narrata Ordinis.
Hæc autem nec sunt probata, nec probari possunt ab Ordine, esse vera.
22. *c. quod Clericis, & c. cum sit. de for. compet. malè à F. Rom. adducuntur.*
Distinctio F. Romani, quod quæstio Iuris Canonici conditi, non verò condendi spectet etiam ad Imperatorem euertitur.
Quando dicitur, quæstionem iuris in causis Ecclesiasticis non spectare ad Imperatorem, quid per nomen Iuris intelligatur.
Ius hic potius pro legis obiecto, seu iusto legali Canonico accipitur, &c.
Quæ dicantur quæstiones iuris & quomodo à quæstionib. facti discernantur?
23. *Quæstio, Vtrum Ordini sint restituenda bona emortuorū Monasteriorū, est præiudicialis & pendet ab hac, Vtrum Ordo habeat titulum Canonicum, ratione cuius illi ea debeantur Monasteria.*
Neglecta quæstione præiudiciali si procedatur in causa, committitur nullitas.

Ad 1. Arg. responsio. Ad illius Anteced. probat.

AD primum RESP. Negando Antecedens, quòd Ordo S. Benedicti vel Vnio habeat ius, aut Dominium in bonis Collegij Monasterij sine spe iuridica emortui.

Notatio 1. Ad Prob. eius I. priusquam RESPONDEAM. Notandum est. Vocem recuperare *in Maiore* positā, dupliciter accipi, I. prout propriè significat ius pristinum, quod quis ante habuit, & postea perdidit, recipere *l. postliminium, ff. d. capt. & postl. reuers. Rebuff. ad l. si cum nulla ff. d. re Iud. & in l. verbum reddendi 94. ff. de V. S.* II. Prout interdum recuperari dicitur id, quod nobis erat debitum, licet id nūquam ante habuerimus *l. cum possess. in princ. ff. d. censib. ibi, Tametsi fiscus pecuniam suam recuperauit. Rebuff. in d. l. verbum reddendi. ff. d. V. S.*

Deinde. Notandum vocem habere, Ambiguam esse. Nam I. propriè ipsa accipitur, cum effectu, *vt in l. stipul. ista §. habere ff. d. V. O.* Vbi eū, inquit, Vlp. etiam habere dicimus, qui rei Dominus est, & eum, qui Dominus quidem non est, sed tenet. II. Impropriè & fictè, prout tantum habetur in causa, ex qua per actionem peti, atq; ita haberi potest *vt in cit. à Fr. Rom. l. is* *Notat. 2.*

qui actionem 15. ff. d. R. I. l. Id apud se quis habere videtur 148. ff. d. V. S. DIXI *Improprie* & FICTE, vt ostendit vox videtur in *cit. Ll.* allata, & ibi Cagnol. & Dd. notant. Ita verò dicta lex, Id apud se quis, habere videtur, de quo habet actionem, Habetur enim, quod peti potest. *& d. l. Is*, qui actionem habet ad rem recuperandam ipsam rem habere videtur.

Ad prob. arg. 1. Resp.

2. Hinc nullo negocio ad F. Rom. Syllogismum respōdetur, quod vel ipse principium petat, vel in circulum eat, vel imperitè argumentetur, vel nihil ad rem adferat. *Principium* quidem petet, si in Maiore & Minore actionem intelligat realem singularem, eamq; directam, pro rebus corporalibus, & vtilem pro incorporeis, & Ecclesiasticis. Gomes in *§. actionem n. 12. Inst. de act. & ibi. Dd. cit.* Nam tunc *in Minore* cum supponat, Ordinem esse dominum bonorum controuersorum, quod tamen probandum erat, *§. 4. Inst. de act. Treutl. vol. 1. disp. 15. thesi. 2. lit. a. & ibi. Dd. cit. Schneid. in §. omnium. n. 61. Inst. de act.* nec probatur, nisi idem ponendo; dicendus est petere principium. *In circulum* ibit F. Romanus, si probaturus Ordinem esse dominum d. bonorum, asserat illud ex eo, quia Ordo habet actionem realem singularem, eamque directam pro rebus corporalibus, vtilem pro incorporeis; &c. hanc. n. vt probet, necesse est, vt prius ostendat, Ordinem esse dominum d. bonorum aut rerum ex *d. §. 4. Institut. de act. & ibi Dd.* adeoque in circulum eat. Porrò *imperite* argumentari satis ostenditur, ex cōmuni Dd. apud Cagnolum *in d. l. 15. ff. de R. I.* & Hœnon. *disp. 4. in Reg. Iur. in d. l. 15.* qui intelligūt ita *Maiorem*, vt is, qui actionem siue personalem, siue realem habet ad rem recuperandam (hac voce, prout paulo ante monui, propriè vel impropriè accepta) rem ipsam habere videatur, scilicet impropriè & in causa proxima, dominij, vel remota alterius alicui' obligationis. Nam tunc præterquam quod minor sit falsa, vt hîc & q. 3, q. 6. 7. demonstratur, inscitè ex Maiore infertur, quod Ordo habeat actionem realem singularem & quidē directā pro rebus corporeis, vtilē pro incorporeis; & Eccl. cum positā ratione generis actionis, non sequatur præcise positio vnius speciei. Nec enim valet consequentia. Animal est; igitur homo est; cum possit esse Asinus; nec recte sequitur, est creditum, ergo est mutuum. quia potest depositum esse vel contrà, vel commodatum. *Euers. in loc. à speciè ad genus n. 2.* proinde nec positā ratione actionis ad rem genericā in *d. l, 15. ff. de R. I.* personalem & realem comprehendente, sequetur præcise positio Actionis ad rem nostram propriè recuperandam specialis &c. *Deniq;* nihil ad rem affert.

Resp. 3. ad minoris prob.

5. F. Romanus ex Iure ad rem, siue sibi debito, *de quo quæst. nostra tertia.* infert ius in re. Nam Actio ad rem prius petendam, vel alicui dandam, supponit ius ad rem; Actio vero ad

rem nostram in petitorio propriè recuperandam, supponit ius in re; Atqui jus ad rem siue debitũ, est diuersissimum à iure in re, vt ipse fatetur F.Rom. *Quæst.1.n.49.* vbi ita ex Panorm. *in Clem. Auditor n. 4. d. rescript.* " Inquit, differentia est, An beneficium sit meum, an mihi debitum; eo" dem modo, An habeam ius in bene" ficio, An ad beneficium; Post proui" sionem enim mihi factam & acceptam, seu Collationem, beneficium " dicitur MEVM, & per consequens " habeo IVS IN BENEFICIO. Ante " vero Collationem, seu prouisionem, " si habeo aliquod ius ad beneficium " obtinendum, dicitur mihi debitum, " & habeo ius ad beneficium; *vid. gloss.* " *cum suis alleg. ab ea in d. clem. Auditor, in verb. debitum.*

Proinde ex eo, quod quis habet Actionem, ad rem prius petendam, vel sibi dandam,&c. malè infertur, quod etiã habeat actionẽ realẽ ad rẽ tanquã suam propriè recuperandam; Ac *consequenter* non nisi ineptè & erroneè ex eo, quod quis habet ius ad rem, Infertur, quod etiam habeat ius in re seu dominium, sed hæc non nisi errantes ignis fatui scintillas produnt. Vtrum autem ordo habeat actionem ad rem, etiam prius sibi petendam, vel dandam, non huius est loci disquirere, sed examinabitur in *quæst. nostra tertia.*

Effug. Quod si dicas, actionem realem alijs ex Ordine competere pro ipsis bonis Monasterij emortui; Actionem verò personalem pro ipsis iuribus Collegij, vt dicunt titulos *ex q. 1. c. 2.* CONTRA EST. I. quod vel loquaris de actione reali vniuersali, nim. petitione hæreditatis, vel speciali, vindicatione &c. si de priori, iam prius quæstio præiudicialis. Vtrum Ordo sit hæres, definienda est ex nostra *q. 3. & 6.* si de posteriori, per supradicta vel petes principium, vel in circulum argumentaberis. Deinde refutabere ex eo, quod bonorum Ecclesiasticorum dominium & possessio legitima supponant titulum Canonicum, per not. VVesembec. *cons. 21.n. 46. 47.* Baldi *in l. proprietatis n. 4. C. de prob. per c. licet causam de probat.* Menoch. *15. remed. 2. recup. poss. n. 458. & seq.* glos. *in Clem. Vn. de caus. possess. & propriet. per. c. 1. de eo, qui mittit. in poss.* Proinde si alij ex Ordine necdum habent reipsa Monast.emortui titulũ, sed vt insinuat *F. Rom.*&c. pro eo obtinendo ipsi agunt, necdum possunt asseri bonorum, titulis connexorum aut eos consequentium Dominium & possessionem legitimam habere, Dd. *paulo ante cit.*

6. Ad Antecedentis prob. 2. supposito, Maiorem illius, quod omnia Iura transeant ad hæredem, verã esse de Iuribus realibus, non verò de personalibus, vt in quæst. nostra 24. *9. c. 2. &* 3. sufficienter probatũ est) respondeo negãdo *Minorẽ*, quod Ordo sit hæres, vt videre licet quæstione nostra *1 c. 4. in respons. primæ, ratione 2.* Eo quod in Ecclesiasticis, non detur successio hęreditaria; Deinde POSITO mini- *Ad antecedentis probatio. secundam Resp.*

minimè tamen concesso, quod Ordo esset hæres, non ideo sequetur, Dominium & possessionem bonorum Monasteriorum emortuorum, ab ipso Ordine iam in effectu teneri, vel ad ipsum iure ipso esse translata, quod aduersario probandum erat, nec tamen ab ipso probatur; quin immo Contrarium ex ipsius fundamento demonstratur. Nam cum ipsomet Fr.Romano Authore, omnes ex Ordine Sancti Benedicti sint filij respectu S. Benedicti, *Consequitur*, ipsos respectu habito ad se inuicem esse fratres, adeoque reliquos ex Ordine S. Benedicti respectu Emortuorũ Monasteriorum, non esse hæredes suos, sed extraneos *per §. sui autem, Inst. de hæred. qual. & differ. & §. Cæteri, Inst. eod. & ibi Dd.* Atqui hæredes non sui sed Extranei non acquirunt Iure ipso Dominium, sed requiritur in illis aditio legitima *l. in suis 7. ff. de li. & posth.* nec vllo modo possessionem ipso iure acquirunt, sed opus habent apprehensione naturali. Cum hæredes etiam sui teneantur post Parentis obitum naturaliter possessionem apprehendere *l. cum hæredes. ff. de acq. poss.* Atqui hoc in casu, nec *Primò* aditio legitima, (quæ in Ecclesiasticis collationem superioris inuoluit, *per not. Fr. Rom. q. 1. n. & seqq. n. 49.*) intercessit vt patet; cum superior alijs, aliorum Monasteriorum Monachis, Monasteria eiusdem Ordinis Emortua, necdum contulerit. 2. nec secuta est legitima Apprehensio naturalis, qua ab Intrusione distinguitur, Igitur Dominium & possessio bonorum Monasteriorum Emortuorum in Ordine S. Benedicti, ab eodem non legitimè tenentur, sed ipsa bona vacant, ex principio Fr. Rom. *q. 1. n. 51.* allegantis Bart. *in l sicut §. vlt. ff quod cuiusque vniuers. nom.* tanquam hæreditas, Adeoque ex proprio ipsius Fratris Romani principio bona illa ab obitu Monachorum, defunctorum in Ordine Sancti Benedicti, ab alijs eiusdem Ordinis, nec sunt legitimè occupata, nec possessa, quæ est propositioni à F. Romano probandæ, *(quod bona statim ab obitu, religiosi conuentus sint ab Ordine occupata & possessa.)* è diametro Contradictoria, Vnde viderit Fr. Rom. quomodo hac se contradictione expediat.

7. *Ex dictis* Colligitur, locum *Gal. 4.* Planè huc impertinentem esse. Cum in eo de filiorum, non fratrum successione agatur. Sed de hoc pluribus. *Inf. quæst. 3.*

8. Ad III. Antecedentis prob. *Ad 3. Anteced. prob. Resp.* RESPOND. Negando. *Consequentiam* Quia denominatio Extrinseca vniuersalis, qua vulgo Monasterium Ordinis, appellatur, non semper secũ trahit aut supponit Dominium, cum vt supra *quæst. 1. c. 2.* ostendi, re etiam destructâ, maneant sæpè denominationes eiusmodi extrinsecæ, Non igitur ex genitiuo semper infertur Dominium; Consecutio patet. Ecquis enim affirmauerit, quia locus Patrum

de Obseruantia hîc Coloniæ subinde nuncupatur etiamnũ Templariorum, Ideo etiam penes hos, illius adhuc esse Dominium? Apage sis cum istis λόγοις. Nunquid & liber vocatur, v. c. Aristotelis, Nicolai, &c. iam pridem mortuorum, An Ideo hi asserentur habere illius Dominium? Vides Igitur ex genitiuo in oratione posito, non semper denotari Dominium, vt & Bart. notat *in rubr. d. No. Op. Nunciat.* & ibi Anton. d. Pomat. *in additione lit.* C. Interdum tamen Genitiuus in oratione collocatus Dominium signat; Quando autem & vbi, colligi debet ex materia, in qua ponitur *Gloss. & text. in l quoties in stipulatione ff. de V. Oblig. Bart. d. l. n. 5.* Non igitur, *vt perperam vult* Fr. Rom. Materia ipsa (seu Monasterium) suam ex Genitiuo (Ordinis) accipiet significationis determinationem. Atque vt ex posito Dd. principio subsumam; Materia in nostro casu, scilicet Monasterium sine spe Iuridicâ &c. emortuum, talis est, vt verum illius Dominium Priuatum ac propriũ significet nullum adesse, Adeoque extinctum. *vid. sup. qu. 1. c. 4. eiusq; appendicem, & qu. hac secunda sect.* 2. Igitur & genitiuus (Ordinis) in hac Materia, nimirum Monasterio sine spe Iuridicâ extincto, nec significat nec significare potest Dominium.

Ad IV. de Præmonstratensib. ab Resp. Antecedentis prob.

9. Ad IV. De Præmonstratensibus RESPOND. Negando ANTECED. Ad Probationem eius RES. supposito illo statuto, nihil inde contra nos concludi. Quia EX EO, quod Religiosi conuentus Præmonstratensium, non possint bona sua sine Generalis consensu, alienare, NON SEQVITVR, Ordinẽ aut illius Generalem, habere ius in bonis Religiosorum sui instituti Conuentuum Emortuorum. Nam & pupilli & minores non possunt bona sua alienare sine authoritate Iudicis & tutorum ac curatorum, *Inst. & ff. d. auth. Tut. C. d. Auth. præstand.* Inde tamen non efficitur, Iudicem & tutores tum Curatores habere ius in bonis pupillorum ac Minorennium. Deinde nec Religiosi Conuentus non-Exempti olim sine licentia Episcopi poterant quicquam alienare *Ex Concil. Aurelianẽsi III. c. 23. aliisque apud Ant. Augustinum, in Iuris Pontif. Epitome, lib. 15. tit. 42. c. 5. vid. & cap. Ab-batibus. 12. q. 2. c. in Venditionibus 13. q. 4. c. nulli d. reb. Ecclesiæ non alienandis.* Inde tamen, nemo concludit, Episcopos habere Dominium & ius in bonis Religiosorum.

10. Illud Notandum est. *Primò*, Quod hæc Propositio sit bona; Domini consensus in alienatione rei requiritur, non verò eius conuersa simpliciter; Cuius consensus requiritur in rei alienatione, est illius Dominus. Quia prædicatum prioris propositionis latius seu generalius, aut communius est suo subiecto, Ideoque hæc duo non possunt dici ad conuertentiam: & Iurisconsulti hac regulâ confirmant, quod posita specie bene ponatur genus, non contrà *l. si quid earum §. Interemptum & ibi gloss. in verb. paratum Bart. & Dd. ff. de leg. 3. vide Euerh. in loc. à specie ad genus, num. 2.*

num.2. Idem patet; Nam sic bene dicitur, Homo est animal, non tamen contra; animal est homo.

Notan. 2. II. *Secundò* NOTANDVM est, quod liceat à genere ad speciem argumentari NEGATIVE; seu ita, vt à quocunque remouetur genus seu magis commune, ab eodem remoueatur species seu minus commune *text. in l. si causa cognita iunct. gloss super verb. peremisti. quam ibidem sequuntur Bart. Paulus Castrensis, & alij Doct. C. de transact. text. in c. concupiscentiam, vbi Ioannes de Imola, d. const. 1, Euerh. in loc. à genere ad speciem nu 1.* Non vero vllo modo liceat à genere ad speciem Argumentari, AFFIRMATIVE, seu vt posito genere ponatur præcise hęc species, vt paulò ante notaui. Hinc bene dicitur, Non requiritur ipsius consensus in alienatione. Igitur ipse non est Dominus; Non vero valet, Requiritur eius consensus, &c. Igit. est eius Dominus.

Vlterior refutatio F. Roman. 12. Porrò, quod nec alij aliorum Monasteriorum Monachi vel ipsorum Generalis sint Domini huius Collegij, in eodem Ordine Emortui, iam suprà probaui, & quidem *prius* de alijs aliorum Monasteriorum religiosis, EX EO, quod aliàs illi alij citra Iniustitiam exules sui Ordinis & quidem in maiori necessitate constitutos, quàm ipsi versabantur, non potuissét suis excludere Monasterijs. *Posterius* de ipsorum Generali probatur ex eo, quod Generalis, nec habeat Dominium rerum Immediatum, ne duo dentur in solidum eiusdem rei Domini; Nec Mediatum & superius Iurisdictionis, si detur (quamuis negari posset ex eo, quod Generalis eorum non habeat VIM compellendi & coercendi, essentialiter iurisdictioni inclusam; cum hæc sine modica coercitione & coactione nec sit nec esse possit, *l. 1. & vlt. d. offic. eius, cui Mand. est Iurisd.*) huc impertinens est. Cum sit personarum, non verò rerum; nec enim Territorialis est ipsorum Generalis Iurisdictio, respectu aliorum Monasteriorum, in quibus non residet. Cum respectu illorum sit illa Iurisdictio tantum spiritualis. Vnde deficientibus alicubi illius Ordinis personis, illic quoque Iurisdictio per accidens deficiet.

13. Quin & ipsa Præmonstratensium statuta, si Anno demum 1618. condita sunt, nihil contra nos faciunt, I. quia statuta dant formam futuris negocijs, non præteritis, *per notata Cuiacij ad Nou. 22. princ. & per l. leges C. d. Leg.* II. Quia si ea obligãt, obligabunt illos, qui in ea cõsenserunt, cum quod omnes tangit, ab omnibus debeat approbari *d. reg. iur. in 6.* Atqui Religiosi, de quibus nos in præsentiarum, non possunt dici in ea cõsensisse. Cum ipsi multò ante condita statuta fuerint defuncti. III. Quia statuta illa agunt, de alienatione & quidem à Religiosis illius Ordinis, in alios prorsus faciẽdâ. At nos nihil hîc de alienatione Religiosis illius Ordinis in alios faciẽda, vt patet, 1. quia ex quo capite esset hic aliqua alienatio, nec enim vllum assignari potest. *Secundo* nec Religiosi illius Ordinis in Monaste- *Ad statuta Præmonstrat.*

K rio E-

rio Emortuo superſunt, Igitur nec ab ipſis Religioſis, poteſt dici, fieri alienationem ſeu Dominij translationem in alios, cum non entis nulli ſint effectus. *l. eius qui in Prouinciam, ff. ſi cert. pet. l. quidam referunt. ff. d. Iure Codicill.*

Illatio. Relinquitur Igitur, dicta ſtatuta Ordinis Præmonſtratenſis nihil ad rem noſtram præſentem facere; nec concluſionem noſtram, de Dominio & poſſeſſione Bonorum Monaſteriorum Emortuorum Ordini negatis euertere.

Ad V de Ordine Ciſtertienſ. 14. Ad Quintum de Ordine Ciſtertienſi RESP. Non ego, ſed ſummus Pontifex ALEXAND. III. *in c. recolentes. de ſtat. Monach.* Vbi ipſe ita, Abbatibus & conuentibus Ciſtertienſis Ordinis reſcribit, „Dolentes dicimus, quod & ſi non ab omnibus, à pleriſque tamen, & in pluribus ab illa ſancta Inſtitutione dicitur Declinatum, in tantum, vt aliqui ex vobis patrię inſtitutionis obliti, CONTRA ORDINIS VESTRI REGVLã, villas, Eccleſias, & altaria poſsidét, fidelitates & hominia, benignè ſuſcipiunt, Iuſtitiarias & Tributarias tenent, *& infra*, Ideoque precibus & Monitis exhortamur, quatenus domus illæ, quæ à prima ſui Origine in ipſo Ordine ſunt fundatæ, Conſtitutis terminis ſint contentæ, *& infra*, ſi enim relictis Originalibus Ordinis Inſtitutis ad Communia volueritis aliorum Monaſteriorum Iura diuertere, Oportebit vos Communi Iure çenſeri, quia dignum eſt, vt, qui ſimilem cum alijs vitam ſuſcipiunt, ſimilem ſentiant in legibus diſciplinam. Cœterum Domus illæ, quæ de alijs Inſtitutionibus, ad veſtrum Ordinem ſe tranſtulerint, veſtris omnino ſe ſatagant vſibus conformare, & relictis poſſeſsionibus vel etiam commutatis, quas Inſtitutio veſtra non recipit, ſic ſe in omnibus religioni veſtræ, coaptentur, vt quemadmodũ gaudent ſe in ſocietatem Ordinis & habitus identitatem aſſumptos; ſic etiam in paupertate ſæcularium rerum, ſe lætentur veſtris Inſtitutionibus conformatos.“ *Hæc Pontifex de Ordine Ciſtertienſi*; At noſter Frater Romanus Contra hanc Pontificis Romani Conſtitutionem, contra ipſius Ordinis Ciſtertienſis regulam, aſſerit ipſi Ordini bona, villas earumq; Dominium. Num fortè huic Pontificis conſtitutioni aliqua alia poſteriore derogatũ? Sed quanam illa? edatur. Quæ enim non correcta Inuenitur, quare ſtare prohibebitur, *l. ſancimus C. de teſta.* Nũ verò Ordinis Ciſtertienſis regula immutata, vt Dominium bonorum, villarum &c. habeant, ac poſſeſsionem? (At reſpondet Pontifex) „ſi relictis originalibus Ordinis inſtitutis ad cõmunia volueritis aliorum Monaſteriorum iura diuertere, Oportebit vos communi iure cenſeri; quia dignum eſt, vt qui ſimilem cum alijs vitam ſuſcipiunt, ſimilem ſentiant in legibus diſciplinam.“ Ex quibus liquet, Ordinem Ciſtertienſem, nihil peculiare, circa bona emortuorum

rum Monasteriorum sibi iure asserere posse.

Resp. ad Bullas pro Ord. Cist. allatas.

15. Sed quicquid sit de bonis, villis Ordini Cistertiēsi asserendis, Ego aio, allata à F. Rom. Pontificum summorum diplomata nihil nobis aduersari.

Et quidē ad Bullā Bened. XII.

Nam *primo* quòd ex Bullâ Benedicti XII. datâ *apud pontem Sorgiæ Auiolensis Diœcesis. tert. Idus Iulij, Pontificatus sui Anno primo Christi 1334. n. 26. Incip. fulgēs sicut stella*; bona nō possint sine Generalis Abbatis & Generalis capituli consensu, alienari, non sequitur, Generalem aut Capitulum, Generale habere bonorum illorum Dominium priuatum, vt in Ordine Præmonstratensi ostendi, sicut ex eo, quod sine curatoris & Iudicis superioris consensu, & autoritate non possint Minorennis bona alienari, non sequitur, Tutorem, Curatorem vel Iudicem habere Dominium rerum seu bonorum pupilli vel Minorennis.

Ad Bullā Pij IV.

Quod additur in Bulla Pij IV. Vniones alijs ex quacunque necessariâ causâ, interueniente Autoritate Pontificis factas sine approbatione Generalis, illius Ordinis, vel Generalis capituli, nullas esse ac irritas; nihil ad dominium rerum & bonorum Monasteriorum emortuorum, Ordini Cistertiensi astruendum facit. Quia irritat vniones, fratrum tantum illius loci consilio factas. *Igitur* illic fratres adhuc supponuntur superstites, Generalis Directioni quoad hoc subiecti, ne quas vniones sine ipsius Generalis approbatione faciant. At nos agimus de dominio bonorum & quidem Collegij emortui, vbi nulli dantur Amplius Fratres; Proinde hic casus noster, non comprehenditur sub dispositione Pij IV. Nam vbi verba legis adaptari nequeunt, illic nec legis dispositio obtinet *l. 4. §. toties ff. d. dam. infect. l. quod constitutum ff. de mil. test.*

16. *Secundò* quod bona Monasteriorum Cistertiensium in d. bulla Pij *II.* perhibētur esse communia, nō hic est sensus, quod omnium illius Instituti Monasteriorum bona, toti Ordini, eiusque Religiosis omnibus sint communia, sed quod vnumquodque Monasterium in illo Ordine, teneat cum Abbate suo Bona indiuisa & communia. *Pars prior prob.* ex eo, 1. quia alias sequeretur, nuperos religiosos exules sine grauissimâ Iniustitiâ ab alijs eiusdem Ordinis Monasterijs, non fuisse tantum Domicilio &c. exclusos, sed *&* bonis spoliatos, qui enim vt Argumentatur F. Rom. *q. 1. in resp. ad septimum; n. 96.* ad sua ingressurus, non admittitur, ipse dicitur spoliari. *2. prob.* Si omnia omnium Monasteriorum bona, ex Ordine Cistertiensi essent communia, quomodo possent ea, ex Pij II. constitutione dici vniri; cum vnio fiat ex bonis diuisis, & non communibus, seu indiuisis, vt patet ex terminis.

Pars Posterior ex sequentibus in ipsa Bulla Pij II. clare patet, Pontificem loqui de singularibus Monasterijs, adeoque hic illius est sen-

ſus; Vniuſcuiuſque Monaſterij ex d. Ordine Ciſtertienſi bona debent eſſe communia, ſcilicet vt Abbas cum conuentu habeat omnia bona communia; non verò, vt in quibuſdam alijs fit Monaſterijs, habeat bona ſui Tituli diſtincta, de quibus Zecchus *d. repub. Eccleſ. c. 25. d. Abbatibus n. 6. §. tertium ſit dictum.* At hæc quid ad Dominium rerum, Emortuorum Monaſteriorum, Ordini aſſerendum faciunt?

Illatio.

Reliquum Igitur eſt, ex allatis bullis, nec vllum ius Ordini Ciſtertienſi in bonis Emortuorum ſui Inſtituti Collegiorum attribui, nec bona illorum Monaſteriorum ab Ordine eſſe occupata.

Ad VI. De Reſp. Pontificis dato R. P. Becano p. m. ratione monaſt. emortui in vnione Burſfeld.

17. Ad *Sextum* de Reſponſo Pontificis ad Patrem Becanum P.M. Resp. Nihil illud facere ad rē, nec illic oſtendi, Vnioni Burſfelденſi in Emortuorum Monaſteriorum, bonis competere dominium. Nam ſenſus Pontificis clarus eſt, nihilque nobis officit; agit quippe de collegio Religioſorum olim emortuo, ſed nunc reſuſcitato, & quidem in congregatione vnitâ, illique collegio vult reſtitui bona. Verba Pontificis ita ſe habent. Quod ſi bona illa, reditus erant alicuius Religionis Regularium, QVAE MODO EXTAT in cōgregatione vnitâ, quod illi particulari debeant reſtitui, quia res iniuſtè ablatæ & de facto, debent reſtitui. Vbi nota bene verba, quæ modo extat, referri non ad congregationem, ſed ad aliquam religionem regularium, quæ hîc non late accipitur, prout ſignificat in communi ſtatum & conditionem totius cœtus ſub certâ regulâ Deum colentis, *Card. in Clem. primam. notab.* 4. *d. teſt.* ſed ſtricte, quatenus notat certum aliquem illius ſtatus cœtum in loco determinato, ſub certa illa regula militantem *c. ſignificatum & ibi Dd. d. Regularibus. Dd. in c. fin. d. renunciat.* quod & vox (particularis) in bullâ Pontificis adiecta arguit; alias ſi hîc religio ſignificaret totum omnino Cœtum omnium locorum, quomodo diceretur eſſe illa religio in congregatione vnitâ, cum illa hac latius pateret ex Fratris Rom. opinione; Ad hoc Igitur abſurdum euitandum, religio particularis Regularium idem hîc erit, quod Collegium Religioſum. De illa ſtatuit Pontifex, *in cit. bull.* quod ſi ipſa fuerit, nunc hoc in loco inſtaurata, illi bona ſint reſtituenda. At hic caſus *prior* Pontificis eſt, vt paulo poſt videbitur, à noſtro diuerſus; ſiquidem nos hic Agimus de caſu Pontificis *poſteriori* ſeu de bonis Collegij ſimilis re ipſa non inſtaurati, vel vbi non ſubeſt ſpes Iuridica, certa, & proxima ſimilis Collegis religioſi reſuſcitādi, vt ex hactenus dictis patet. Igitur locus *cit. Bullæ*, à noſtro caſu ſeparatus & diuerſus, nihil contra nos concludit. *Euerh. in loc. à ſeparatis.*

18. Atque hinc errare oſtenditur F. Romanus, quando *q. 3. n. 8.* tradit, quod *Ad Inſtātiam.*

quod

quòd si Pontifex, per vocem, particulari, intellexisset, congregationem seu conuentum Monasterij Monachis, aut Monialibus non orbati, non respondisset ad propositam sibi quæstionem de Monasterijs iam pridem orbatis suâ congregatione.

Respond. Nam licet Pontifex rogatus sit de Monasterijs suâ Congregatione orbatis; tamen sub distinctione ad ipsam quæstionem ita respondet, Monasteria olim orbata, vel ab Episcopis redonata nunc sunt, Monachorum Congregatione; vel non sunt; *si prius*; ipsi congregationi vel Collegio etiam bona restituenda sunt; *sin posterius*; possunt bona conferri in vsus Seminariorum, &c. *Deinde* vox (particularis) non potest commodè referri ad congregationem Bursfelcam. Hęc enim vt sic, non habet bona; & bona alioquin alicuius ex illâ Congregatione Bursfeldica Collegij emortui, pluribus illius Collegijs venirent distribuenda, quod foret absurdum. Hoc autem vt euitetur, necesse est asserere, bona Collegij alicuius ex dicta congregatione Bursfeld. emortui, eorumque Dominium non Congregationi Bursfeldensi, sed certo & particulari illius Vnionis ac congregationis Monasterio antehac emortuo, si ipsum nunc sit Canonicè resuscitatum, competere, Quod nihil contra nos, *per not. qu.1.c.2. in responsf. ad secundi Argum. confirmationem.*

Ad Conf.1. ex c. ea quæ de stat. Mon. Resp. 19. Ad Confirmationem *Ex cap. Ea, quæ de statu Monach.* desumptam, RESP. Ex illa visitatione, VISITATORIB. nihil acquiri vel competere iuris in rebus temporalibus Monasteriorum, sed tantū committi notionem cognoscendæ administrationis; vt vice Pontificis attendant, vtrū res temporales probè administrētur. Quod si dissipentur, moneant Visitatores de Abbatis non exempti dissipatione, Episcopum; de Exempti verò, Pontificem. Atqui hoc non est acquirere ius aliquod in bonis Monasteriorum; Nam alias & Visitator, de quo Concilium Trid. *sess.24.d.ref.c.3.* Vice Episcopi constitutus (quia in rerum Parochialium inquirere debet Administrationem, Vtrum hæc proba sit, necne) dicendus esset acquirere ius in dictis rebus Parochialibus; & Iudices, quia ad curatorum & tutorū attendunt administrationem, in rebus pupillaribus &c. acquirerent ius ac Dominium; Hæc autem quàm longissimè à veritate abire, nemo est, qui non videat. Plura de Visitatoribus, vt & de Præside, vide *sup sect. nostra 2.*

Ad Confir.2. Respond. Primo. Illam Bullam nec à me, nec ab alijs in Bullario repertam; Deinde citatam Bullam à Pio II. Pontifice non emanasse. Siquidem ipsa data est anno 1458. *prid. Non. Mart.* vti eam allegat F. Romanus. Atqui tunc temporis non Pius II. sed Calixtus IV. adhuc Pontifex fuit; cum demum hic *1458.6. Aug.* obierit, vt testis est Schultetus in Chronographia sua, ac postmodū successerit Pius *II.* Igitur, &c. Et esto sit ea alicuius Pontificis; Oporteret tamen totam Pontificis Constitu- *Ad Conf.2 Resp.1.* *Resp.2.*

tionem videre, vt ex Antecedentibus & Consequentibus, quid sentiendum sit, concludatur.

Respōd. 2. RESPOND. 2. In illa bulla Pontificis non asseri, omnes omnino possessiones, omnibus simul Monasterijs, sed indefinite Monasterijs eiusdem Ordinis Vnitis & vniendis appropriari. *Prius* enim Manifestè falsum est. Quia alioquin exules Religiosi, nuper ab alijs Monasterijs eiusdem Ordinis, non sine graui iniustitia fuissent exclusi, quin & ab his spoliati, ex Principio F. Rom. *q.1.num. 96 fol. 69.* Hoc autem non admittet Vnio Bursfeldensis, Igitur nec illud. *Posterius* verum est, si vox Monasterijs, indefinita statuatur æquipollere singulari *ex l.nominatim ff.d. liber. & posth.* & numerus pluralis (Monasterijs vnitis & vniendis) resoluatur in singularem, vt euitetur absurdum paulò antè allatum, hoc enim casu numerus pluralis in singularem resoluendus est, *per l.falsa demonstratio §. fin. ff. de cond.& dem.ibi, si mei erũt, l.1.C.de cond. inser. princ. Inst.de iur.person. & ibi gloss. Ioan.Fab.Ang.c.vt priuil. §. illud & ibi Pan.& Dd.de priuil.§.ait si libellario, & ibi Bald.quibus mod.feud.amitt.Euerard. in loc.à vi num.n.6.7.*cũ alijs, &c. Quòd si ponatur vox (Monasterijs vnitis) indefinita, æquipollere vniuersali; tunc non collectiuè, sed distributiuè accipienda est, vt hic sensus euadat; Omnes possessiones non omnium simul Monasteriorum, sed huius Monasterij, appropriantur huic Monasterio Vnito, & sic consequenter. Quæ omnia nihil contra nos faciunt.

21. Ad Tertiam Confirm. Ex rescriptis Imper. Ferdinandi II. p. m. petitam RESPOND. eius quæstionis decisionem non spectare ad Imperatorem. *Ad Conf. 3 Resp.* Quia quando quæstio Iuris mouetur circa bona Ecclesiastica, Vtrum hæc illi Ordini vel alijs Ecclesiasticis debeantur vel sint sua; non spectat ad Iudicem sæcularem, sed Ecclesiasticum, *Secundum* Dd. apud Cæuall. *p. 1. communium opinionum q.43.* Gail. *l.1.obseru.38.* Aufrer. *d. potest sæculari super personas Ecclesiasticas. Regula quarta.* Neque hæc inficias it Fr. Rom. sed approbat *qu. 4. nu.* 50.

Quod verò ex Fr. Rom. *d.quæst.4.* suppositione, iteratò Imperator rescripsit, Monasteria Emortua, debere Ordini restitui, quia illi debita ex fundatione, vel quia bona illorũ Monasteriorum, sunt ipsius Ordinis, aut ad eum spectant, vtique rescripsit ad narrata Ordinis illi Supplicantis, vt fatetur F. Rom. *qu.1 n.92.q.7.n.17.* Vide *inf.c.3.* Proinde cum inter narrata, haberetur, quod bona Emortuorum Monasteriorum, sint Ordini ex fundatione debita, sint sua, &c. Neque hæc ab ipso Ordine doceantur esse vera, nec talia esse, ostendi possint, sequitur rescriptum Imperatoris defectu veritatis narratorum, ab ipso Ordine sub, & Opreptitie fuisse obtentũ. *Obreptio in rescriptis Imp. vnde?*

Nec credibile est, quod Pius Imperator Ferdinandus II. motu proprio rescripserit ad quæstionem Iuris in cau-

in causa bonorum Ecclesiasticorum, Iurisdictionis suæ terminos Egrediente, *Secundum cit. Dd.* Igitur Imperatoris rescriptum, hoc in casu nihil prȩiudicabit, per Not. Fr. Romani *q. 4. num. 51. §. quæ omnia.* Atqui hoc casu, si *vt vult Fr. Rom.* Imperator sine conditione absolutè & quasi definitiuè rescripsit pro Ordine, quod ipsi bona Monasteriorum ab hæreticis occupatorum, sint restituenda, ex eo quod Monasteria illi debeantur, sint sua, Religiosorum Modernorum; vtique rescripsisset in causa Ecclesiastica ad quæstionem Iuris in petitorio agitandam, vel agitatam, adeoque in causa suæ Iurisdictionis terminos egrediente. Consequenter ex hoc capite; Imperatoris rescriptum foret nullum.

Obiectio. „ 22. At Fr. Romanus *d. q. 4. nu. 50. §. taceo.* obijcit, Taceo, inquiens, falsum „ esse, quod à tribunali Cæsareo omnes „ iuris quæstiones (vt isti volunt) ex- „ cludantur. Nam aliàs frustra manda- „ ret summus Pontifex in loco tempo- „ ralis Iurisdictionis causas aliquas cle- „ ricorum Iure Canonico decidi, *c. quod* „ *Clericis d. foro Compet.* & Malefactores „ Ecclesiarum in vtroque foro conue- „ niri posse, *c. cum sit de for. compet.* Aliæ „ quippe sunt quæstionis Iuris Cano- „ nici conditi, & aliæ Iuris condendi; „ hæ ad solum summum Pontificem „ spectant, illæ ad alios Iudices compe-

Resp. tentes quoscunque. Sed hæc rursum patefaciunt, Fr. Romani in Iure vel infantiam, vel insignem ipsius arguunt fallaciam.

INFANTIAM quidem, dum quod *in d. c. quod Clericis*, agitur de causâ pecuniaria, ob quam Clericus conueniebat laicos, & quidem coram Episcopo Parisiensi, qui & temporalem eo in loco habebat Iurisdictionem, *vt not. ibid. gloss.* Adeoque de causâ facti; Nihilominus Fr. Romanus, censeat illic agi de quæstione Iuris, & non facti, sicut & altero casu maleficij seu delicti, *in d. c. cum sit.* FALLACIAM vero prodit, dum quæstionem facti regulandi accipit, ac si esset quæstio ipsius regulæ, seu iuris seu legis, & ita argumentatur; Episcopus Parisiēsis, qui & sæcularem habet Iurisdictionem, iubetur à Pōtifice, facti quæstionem inter Clericum & laicum secundum Iuris Canonici præscriptum dirimere. Igitur Iudices sæculares decidunt etiam quæstiones Iuris Canonici iam conditi, licet non condendi; Prȩclara Consequentia & distinctio!

Vt autem facilius fallacia Fratris Romani deprehendatur, sciendum est, illum nomine Iuris Canonici, accipere legem ipsam Canonicam, ita vt condita lex Canonica, etiam ad Iudicem spectet sæcularem, non verò condenda; VERVM quidem est quod ius significet interdum legem ipsam seu regulam. Ita Iure dicitur quid fieri, quod lege fit approbante. Attamen positâ illâ significatione, distinctio illa Fratris Romani vniuersim vera non est, cum possit esse quæstio de legis conditæ naturâ, vtrum ea iusta sit, aut quomodo in dubio accipienda,

pienda, quæ quæstio sanè ad Sæcularem non spectat Iudicem, sed ad Ecclesiasticum.

§. Deinde hæc iuris significatio hîc locum non obtinet, sed Iuris vocabulum hîc potius pro legis obiecto seu Iusto legali Canonico, accipiendum est, quod *dupliciter* se habere potest; *Priori modo* LATE, vt etiam quæstionem facti iusti includit; *Secundò* SRICTE & Antonomasticè, quatenus de iuris seu iusti legalis Canonici natura vel circumstantiâ ex parte subiecti, se tenente, vtrum in hoc vel illud subiectum, tale ius seu iustum cadat, quæstio mouetur.

Quæst. iur.

Huic oppponitur quæstio facti, nimirum quatenus suppositâ iusti naturâ, vel circumstantiâ, de nudâ eius tantum obseruatione vel executione controuertitur. Exemplis res fiet manifestior; De natura iusti Canonici quæritur, cum cõtrouersia est. Vtrum hoc vel illud sit Iuramentum, vel Iuramentum legitimũ, Vtrum hoc vel illud Matrimonium sit validum, sit ius Patronatus Ecclesiasticum, titulus Canonicus obtinendi beneficij, Constituendi Iuris Patronatus Ecclesiastici, Testamentum ad pias causas, sacrilegium, hæresis, blasphemia. De circumstantia verò, ex parte subiecti se tenente quæritur in his, Vtrum ius Patronatus Ecclesiasticum, decimas percipiendi, beneficia, Monasteria Conferendi vel Canonicè obtinendi, cadat in talem vel talem, hanc vel illam personam V. C. Laicam, hanc vel illam Ecclesiasticam personam, Congregationem, vtrum Religiosi alicuius Testamentum sit validum, seu vtrum Religiosus validè testetur. Atque hæ vocantur quæstiones Iuris. Quæstiones verò facti sunt, quando suppositâ naturâ & dictâ circumstantiâ iusti agitur, vt Iuramentum, Matrimonium, Testamentum ad pias causas obseruentur; in Iuris Patronatus Ecclesiastici possessione, possessor non turbetur, non ea spolietur; Vel spoliatus ante omnia restituatur, sacrilegus deponatur, hæreticus possessione beneficij Ecclesiastici priuetur.

Quæst. facti.

23. Ex dictis patet, hanc quæstionem nostram supponere aliam Iuris Canonici *Antonomastice sumpti*; nimirum Vtrum Ordo habeat titulum Canonicum, Ratione cuius debeantur illi Monasteria emortua; Hac enim tanquam præiudiciali nititur Altera quæstio facti, Vtrum Ordini sint restituenda bona Monasteriorum emortuorum, *per not. Menoch. 15. recup. poss. num. 222. per c. ex frequentibus c. adhæc §. in quadam d. off. Archid. c. 1. d. eo, qui*

eo, qui mittitur in poss. Ideoque prius quæstio Iuris, de Ordinis titulo, Vtrum ille Canonicus sit respectu Monasterij emortui, &c. apud Iudicem Ecclesiasticum disceptanda est, quàm agatur apud Sæcularem, de bonis eorundem Monasteriorum, Ordini restituendis; Barbos. *de off. Episcop. alleg. 84. num. 16. Hon. sum. decret. lib. 2. tit. 10. de ordine cognitionum num. 9. per c. tuam d. ord. cognit. c. 2. d. Iud.* Vel certè præiudiciali hac quæstione neglectâ, Ordo nulliter apud secularem Iudicem experietur de bonis Emortuorum. Monasteriorum sibi restituendis, per not. Cast. *in l. 1. C. de Ord. cognit.* Atqui Ordo neglecta hac præiudiciali quæstione, apud Imperatorem egit, vt Monasteriorum Emortuorum bona sibi restituerentur. Igitur nulliter. Consequenter ipsum Imperatoris rescriptum pro Ordine, est nullum.

Illud hic Notandum, quod quæstio facti posit etiam dici quæstio iuris seu iusti obiectiui latè accepti, At hæc acceptio nihil nobis aduersatur.

Ex hactenus dictis reliquum est, nec Ordini nec Vnioni alicui, qualis, est Bursfeldica, competere ius in bonis Monasteriorum sui instituti Emortuorum, sicut nec Confœderatorum Vnioni competit Dominium in bonis Confœderatorum etiam defunctorum. *Illatio.*

CAPVT SECVNDVM.

Occurritur solutionibus à Fr. Romano ad quasdam Obiectiones datis.

1. *Vacare supponit de facto esse, destructum proprie negat de facto esse, aliàs impropriè significat perditum vel amissum.*
Bona Monastica an & quomodo sint destructa.
Bona Ecclesiast. hostili incursu amissa, quibus postliminio restituenda.
Quæ postliminio veniunt alicui restituenda, non potest ipse nunc dici de facto possidere.
2. *Postliminium aliud est personarum, aliud rerum.*
Monachis alicuius loci omnibus defunctis datur postliminium rerum, non verò personarum.
Hæretici negant prædicto casu etiam postliminium rerum.
3. *Turpiter qui rem amisit, non gaudet illius postliminio.*
Monachi qui aut hæresi aut Apostasia perdiderunt Monasteria, non gaudent postliminio bonorum Monasterij.
4. *Delictum personæ non debet redundare in damnum Ecclesiæ.*
Secus delictum totius Conuentus cum consensu Capitis commissum.
Turpe est Doctori, ius, in quo versatur, ignorare.
Can. Monachi non regulariter viuentes per alterius debent Ordinis institutionem puniri. In appendic. Concil. Lateran. III. sub Alexandro III. Ne Cler. vel Mon.
Habetur tom. 3. Concil. part. 2. vlt. edit.
Erronea minimum hæc propositio Fr. Romani, Falsum esse hoc dictum, quod Monachi non regulariter viuentes, &c.
Et qua proposito erronea?
Falsa est propositio F. Romani, quod Alexander III. d. Can. decreto non approbarit.
Qui in re manifesta falsus est, quid in aliis à sensu magis reconditis illi accidere credendum est.
5. *Alius agendi locus de iure in re; & alius de iure ad rem.*
Si Ordo contendit sibi Monasteria conferenda, Igitur necdum habet illorum Dominium, seu ius in re.
Ius in re post collationem prius nascitur.

AD

Ad 1. Obi. solut. Respond.

1. AD Primæ Obiect. solutionem, quod Monasteria, à morte omnium de facto & non de Iure sint destructa, RESPOND. Fr. Rom. nomine Monasteriorum intelligit vel Collegium, vel titulos vel iura; & distinctio hæc iam supra quæstione prima refutata est; neque huc spectat, Quod si intelligat nomine illorum, bona; Huc itidem impertinens est, quia Morte omnium Monachorum Collegarum huius loci, bona eorum neque iure neque de facto destruuntur. Cum bona adhuc maneant, ideoque hæc tantũ ob obitum Monachorum dicuntur vacare, vt probaui *qu. 1. c. 4. eiusque appendice, & q. 2. sect. 2.* Vacare enim, supponit de facto esse, *Fr. Rom. q. 1. n. 47.* destructum verò nequaquam, *gloss. in l. 6. ff. d. ope. pub. verb. extruantur. per l. 45. ff. d. dam. infect.* Quod si tamen velis destructum, idem esse, quod perditũ vel amissum; ita Monastica bona, ab hæreticis occupata, de facto possunt dici destructa. Amittitur enim res vi fluminis, graculorum, sturnorum, vredine, gelu, *l. ex conducto §. si vis. ff. locati.* Incursu hostium, piratarum, latronum, *§. item is cui Inst. quibus mod. re. contrah. obl. & c. Vid. Rebuff. in l. Impensæ necessar. 72. in l. latæ culpæ finis 225. ff. d. V. S.* Ideoque veniunt bona illa postliminio restituenda, sed ijs, qui ea antè obtinuerant, Monachis, *ff. d. capt. & postli. reuers.* Cum vero ij sint mortui; veniunt illa bona, postliminio restituenda, à superiore substitutis. Qui porrò illi sint, videbitur *quæst. nostra quinta.*

Nota, quod hîc asserit Fr. Rom. bona postliminio restituenda Ordini, potius ipsi Fratri Romano aduersatur. Nam si Monasteria emortua, ab hæreticis occupata, & postea recuperata dicuntur postliminio restitui, & quidem, vt vult Fr. Rom. Ordini. Igitur verum est, Monasteria, antequam ita restituantur Ordini, non esse ab Ordine occupata vel possessa. Quæ est propositio CONTRADICTORIA F. Romani assertioni, *q. 1. nu. 50. & alibi,* qua perhibebat, Monasteria emortua ab Ordine esse occupata & possessa. Vnde sequitur necessariò, alterutram propositionem esse falsam. Quod si *prior* de postliminio est vera, iam *posterior* hæc, quod bona emortuorum Monasteriorum ab Ordine sint ocupata, erit falsa. Videat F. Romanus, quomodo se expediat. *Retorquetur Argu. contra F. Rom.*

2. Deinde nota, aliud esse postliminium rerũ, *de quo constat apud omnes*; aliud personarum, *ex l. 19. §. fi. ff. de capt. & postl. reuers. vt videre licet apud Dd. & VVesembec. n. 5. in parat. ff. de capt. & postl. reuers.* At quando Monasteria ab hæreticis quondam occupata, nunc verò recuperata, postliminio gaudere dicuntur, datur postliminium rerum, vt patet, & pluribus infrà, *ex q. nostra 3.* videbitur.

Vtrum verò detur hic etiam postliminium personarum, quæstionis est? Asserit quidem Fr. Romanus *q. 1. nu. 33.* sed non probat, & refutatur ex eo, quod Monachi,

qui erant ante Domini, sint omnes extincti, ideoq; nec possint dici personæ, illorum postliminio restitui. Cum non entis nullæ sint qualitates, *d.l eius qui in prouincia ff. si certum petatur. cum similib.*

Resp. 2. ad Instantiã Refutat.

Atque hinc collabascit F. Rõ. Responsio 2. ad instantiam de hæreticis allata, qui postliminium rerum Ecclesiasticarum negant. NAM NOS postliminium rerum Ecclesiasticarũ & Monasticarum quondam ab hęreticis occupatarum non negamus, sed potius vrgemus: tantum hoc casu, quo omnes personæ Monasterij alicuius rerum illarum Domini, mortuæ sunt, cum Dd. tradimus, non dari postliminium personarum.

3. *Denique* positis etiam in Monasterijs aliquibus, Monachis adhuc viuis, quomodo postliminio personarũ ea fruentur Monasteria, quæ turpiter ab ijs per hæresin aut Apostasiam amissa sunt? Cum re turpiter ab aliquo amissâ, ipsius ratione, persona non habeat postliminium, *arg. l postlim. 19. §. Transfugæ ff. de captiu. & postl. reuers.*

Resp. 1. ad instantiã data.

4. Neq; huic sufficienter occurrit F. Rom. Resp. 1. ad instantiam data *q. 1. n. 99. 100.* qua asseritur delictum personæ non debere redundare in damnum Ecclesiæ vel Ordinis, cum nemo alterius odio prægrauari debeat, *de regul. Iuris in 6.* NAM allegata regula tantum locum habet in delicto vnius vel alterius personæ, vt ostendit locus Felini *in c. cum præsentia 2. col. vers. in ea el. ibid. teneat Monach. de prob.* & aliorum à F. Romano, *q. 1. n. 59.* citatorum; NON verò in delictis totius Conuentus. Antonius de But. *in c. dilecta, n. 24. & 25. de exceß. præl:* vbi ait: Delictum capituli potest nocere Ecclesiæ *vt notatur de Ord. cognit. c. cum dilectus & de reg. iuris. delictum, in 6.* & delictum Prælati non nocet Ecclesiæ; secus est, quando totus Conuentus negligit, quod nota & benè tene mẽti, &c. *ex d. c. Abbate de verb. sig.* Ita & Bal. *in l. iubemus C. de SS. Ecclesijs n. 10. 12.* vbi astruit, quòd Prælati delictum cum totius conuentus consilio commissũ, Ecclesiæ noceat, &c. Idem concedere cogitur F. Rom. *d. q. 1. num. 59. §. sed quid si Prælatus.* Et PROBATVR ex appendice Concilij Lateranen. 3. sub Alexandro 3; celebrati *tit. ne Clerici vel Monachi*, vbi his verbis conceptis & formalib. statuitur; Monachi non regulariter viuentes per alterius debent Ordinis institutionem puniri. Quæ verba F. Rom. *q. 7. nu. 5.* temerè negat, d. Concilij esse formalia, nisi fortè ipsum à temeritate sua, & sacrorum Canonum & d. Concilij excuset ignorantia, hanc enim prodere videtur; cum citata Concilij verba *in c. relatum. ne Cler. vel Mon.* quæsierit, quæ post dictum *c. relatum* in d. Concilij Lateranensis s. appendice, vti bene citauit Pater Laymãnus, quærenda erant, prout videre licet in tom. 3. Conciliorum *part. 2. vlt. edit.* Sed hæc ipsius F. Romani, tanquam sacrorum Canonum Professoris, ignorãtia, vtrũ tolerãda sit, ipse audierit; *ex l. 2. §. Seruius autem Sulp. ff. de orig. iur.* & se ipse consulat *qu. sua 4. astri n. 50. §. Proh*

Refut. Dd. distinctio proponitur.

nefas

nefas, *& l.si fur.ff.de vsuc.c.ignor.& ibid. Dd.de reg.iuris.* Certè illa eò intolerabilior est, quò audacius Fr. Romanus *d.q.7.n.5.* ita pronũciat: Vnde apparet falsum esse dictum opponentis, quod Monachi non regulariter viuẽtes per alterius debeant Ordinis institutionem puniri, neq; Alexandrum III. istud ibi decreuisse. Quæ sententia condẽnatoria F.Rom. duas continet propositiones, quarum altera minimum erronea, altera falsa est. Erronea hæc est, falsum esse hoc dictum, quòd Monachi non regulariter viuentes per alterius debeant Ord. institutionem puniri. Cum tamẽ hoc dictum, sit decretum vniuersalis Ecclesiæ, & Concilij generalis legitimè sub Alexandro III. cõgregati, atq; ab eodem approbati. Adeoq; hæc Propositio F.Rom. repugnat doctrinæ morum Ecclesiæ, certè atq; ab vniuersa Ecclesia receptæ, vt iam vidimus. *Consequenter* hæc Propositio Fr. Romani minimum est erronea. Nam quando aliqua propositio asserit falsum, quod definit Ecclesia esse verum, saltem in genere moris, dicitur minimum erronea, si absit contumacia, vt docent Theologi *in 2. 2.* ex S.Augustino *Enchirid.c.17.& contra Academicos.c.4.*

Altera F.Romani propositio, Alexandrum III. istud ibi non decreuisse, est apertè falsa, cum expresse in d.appendice d. Concilij Lateranensis (prout videre est *in tom.3. Concil.*) habeatur, Alexandrum illud ibi decreuisse. Si igitur F.Romanus in re tam manifesta falsus est, quid in alijs à sensu magis reconditis illi accidisse credendum est. Sed illud ego prudentis cuiusque iudicio relinquo ac permitto.

Hæc de solutione I.Obiect. à Fratre Romano allatæ sufficiant.

5. Quæ secundo loco sibi obijcit Fr. Romanus, ijsque respondet, non huc sed *ad q.5.* spectant, vbi agetur de ijs, quibus bona Monasteriorum emortuorum sint conferenda. *Hæc* enim Obiectio eiusque responsio, vt ex terminis patet, ab hoc loco, vbi agitur de iure in re, est aliena. Cum ipsa versetur circa ius ad rem, per notata Fr. Rom. *q.1.n.49.fol.57.* *Solutionis ad 2. obiect. Resp. remissiue. 1. Obiect. eiusque respons.*

Miror autem Fr. Romanum, quòd hîc *q.1 n.12.& seqq.* contendat, Ordini conferenda esse emortua Monasteria. Nam per hanc propositionem ipse euertit Ordini ius in re vel Dominium in bonis dictorum Monasteriorum, quod Ordini asserebat, cùm ius in re prius post collationem nascatur, ipso F.Romano fatente *quæst. 1. num.49.*

Proinde si Ordo agit, vt ipsi emortua Monasteria prius conferantur, ipse Ordo ante collationem neque habet, neque habuit ius in re, quod tamen F.Romanus illi adscribebat.

* *
*

CAPVT TERTIVM.

Respondetur argumentis F. Rom. *c. 3. sect. 1.* allatis pro possessione bonorum emortuorum Monasteriotum Ordini asserenda.

1. Sibi contradicens non est audiendus.
Respondens contraria est & habetur suspectus de falsitate,
F. Romanus probaturus, Ordinem possidere, bona emortuorum monasteriorum, probat, eum ista non possidere.
Spoliatus, interdicto recuperandæ possessionis agens, non possidet.
Postliminio res perditas recuperaturus, non potest dici nunc ante eas possidere.
2. Bartolus malè à F. Romano citatus.
Regula, quod quis habitare dicatur, vbi familia ipsius habitat, explicatur.
De qua familia intelligatur?
F. Romanus transit à vera significatione familiæ ad manifestè falsam.
Cauillatio est, quando quis à vera significatione transit ad manifeste falsam.
3. Bonorum & Collegiorum Societatis Iesu alia est ratio, ac rerum vel locorum Religionis solitariæ.
Societas Iesu est vnum corpus politicũ, prout hoc distinguitur à Corpore œconomico, aut familia.
Eius Caput Generalis habet iurisdictionem præcipuam,
Etiam quasi territorialem, terris & non solis personis terminatam.
Vnde potest bona Collegij vi occupata, etiamsi tempore inuasionis præsentes essent mortui, repetere.
Non tamen habet dominium rerum.
Aliud est iurisdictio, aliud dominium rerum.
Monachorum solitariorum conuentus omnes simul sumpti non constituunt corpus politicum, sed familiæ δεσποτικὸν.
Nec habent vnum caput, quod cum iurisdictione præsit.
4. Societas Iesu 4. modis accipitur
1. Strictissime, vt Professos solos includit.
2. Strictè, vt Coadiutores formatos comprehendit.
3. latè, vt & Scholasticos approbatos continet.
4. Latissimè, vt etiam Nouitios, &c. plectitur.
Societas latè accepta, est domina bonorum & rerum suorum Collegiorum eaque possidet.
5. Scholares Societatis indiscriminatim sunt domini & possessores bonorum & rerum

rerum Collegiorum Societatis.
Professi habent dominium in communi earum domorum, quarum membra sunt.
Bona Collegij Societatis vi occupata, possunt à Societate latè accepta, etiam defunctis, tempore inuasionis in illo collegio personis præsentibus, repeti.

6. *Professi Ordinis S. Benedicti voto se obligant ad stabilitatem claustri illius, vbi profitentur.*
Formula illorum Professionis allata idem arguit.
Transituris ad aliud monasterium dandæ sunt literæ absolutionis à primo.
Transiturus ad aliud monasterium eiusdem Ord. vt illic officium aliquod administret, aut ius acquirat, debet de nouo profiteri.
Inter professos in illo Ordine & Monasterium contrahitur matrimonium spirituale.
Hinc Monachi ex alijs Monasterijs, non possunt bona huius monasterij in eodem Ordine vi occupata, & nunc recuperata, defunctis huius loci Collegis omnibus, repetere.

7. *Eminentissimus Dominus Archiepiscopus Treuirensis erat pars collitigans.*
Parti collitiganti in iudicio, non plus creditur, quam probauerit.
Qui rem adhuc possidet ciuiliter, non agit recuperandæ interdicto, sed ne in possessione turbetur.
Ciuilis possessio decennio perditur
Vel si absente possessore tertius rem occupet, & possessorem reuertentem nolit admittere.

8. *Mortuis omnibus alicuius loci Monastici Collegis, non datur postliminium personarum, licet rerum detur.*

9. *Ordo agere potest actione populari, non tamen propria pro bonis Monasteriorum occupatis, nec vt sibi tanquam spoliato restituantur. n. 17.*
Ex ordine substituti vel spem iuridicam habentes à superiori, agere possunt pro bonis occupatis, non tamen nomine suo, sed defunctorum Collegarum.

10. *Rescriptum principis habet hanc clausulam, si preces veritate nitantur.*
Rescriptum impetrans debet narrata docere esse vera.
Ordo narrata in rescripto nec docet, nec docere potest esse vera.
Rescriptum Imperatoris ex parte Ordinis in supplicatione, non vera narrantis, & non ex parte aulicorum Cæsareorum, est obreptitium.
Tota quæstio IV. F. Romani est frustranea.

11. *Rescriptum principis vt valeat, debet fieri in causa iuri non contraria, nec iurisdictionis suæ terminos egrediente.*
Termini iurisdictionis sæcularis principis in causa bonorum Ecclesiasticorum, circumscribuntur iudicio possessorio contra laicum.
Si contra Clericum, vel alias de proprietate ac titulo eorum agitur, termini iurisdictionis principis sæcularis exceduntur.

12. *Monasteria ex rescriptis Imperatorum restituta vel ijs religiosis qui inde eiecti erant, vel alijs tacitè vel expressè à superiore substitutis vocabulo restitutionis etiam impropriè acceptio. n. 13.*

Ita & Recessus imperij intelligendi, vel generatim de restitutione bonorum Ecclesiasticorum facienda.
14. *c. Redintegranda 3. q. 1. impertinenter à F. Romano adfertur, & n. 15.*
15. *F. Romanus in circulum it.*
16. *Alij ex alijs Monasterijs, non sunt defunctorum successores, nisi à superiore substituantur.*
17. *Vide suprà n. 9.*
18. *Possessio non continuatur in hæredem.*
Possessio defuncto possessore dicitur extingui.
Possessio plurimum facti habet.
Iura quando actiuè & passiuè transeant in hæredem.

Resp. Gen.

1. RESPOND. 1. Generatim, F. Rom. valde sibi contradicere, ideoque non esse audiendum *ex l. 1. C. de furtis* vel, vt F. Romani *q. 1. n. 46.* verbis vtar, respondentem contraria, esse & haberi suspectum de falsitate, vt ait Abbas *in c. vt nostrum vt Eccles. beneficia sine dim. confer. n. 12.* atque ex varietate responsionis, præsumi fraudem, iuxta Alciatum *tom. 4. reg. 2. præsump. 31.* Antecedens nostrũ probatur. Nam F. Rom. *q. 1. n. 85. fol. 77. q. 6. n. 50. §. præterea nulli auferenda est possessio fol. 196.* probaturus, Ordinem adhuc possidere, ostendit *q. 1. n. 25. 26. fol. 40. & n. 80. cum seqq. fol. 74. & seqq.* eius CONTRADICTORIAM Prop. Ordinẽ nõ possidere, sed possessione spoliatum esse; adeoque agere posse interdicto recuperandę possessionis. At quisquis spoliatus agit interdicto recuperandæ, non possidet *§. recuperandæ Inst. de interdictis.* igitur &c. DEINDE oppugnatur F. Romanus ex principio paulò ante *capite 2. huius sect.* allato, Quod ad quem prius res reuertetur postliminio, antè non possit dici eam possidere, idque ex natura postliminij *tit. ff. de captiu. & postlimi. reuers.* Atqui F. Romanus *q. 1. n. 20. 33.* &c. ait, ad Ordinem bona emortuorum monasteriorum postliminio esse reuersura. Igitur antè Ordo bona illa non possidet. cuius tamen contradictoriam Fr. Rom. receperat se comprobaturum, vt ostenderet bona monasteriorum emortuorum non esse vacantia *q. 1. n. 48.*

2. Nunc speciatim ad singula F. Romani argumenta RESP. & ad primum quidem; 1. malè citari Bartol. *in l. municipes ff. de acq. posses.* cum citandus sit *in l. 2. §. municipes ff. de acq. posses.* vbi tamen nihil ad rem nostram præsentem affertur. *Secundò* Bartolũ *in cit. l. si mulieri ff. quemadmodum vsusf. amitt.* asserere quidem, quod quis habitare dicatur, vbi familia sua habitat, sed familiam illic intelligi domesticam *d. l. si mulieri, Bald. in l. consentaneum. n. 41. C. quomodo & quando Iudex sentent.* vel quæ in domini est ministerio *Bald. in l. cum quis de dolo. Alex.* *Resp. spec. ad arg. 1. F. Rom. pro posses. adduct.*

Alex. in d. l. si mulieri. In qua significatione propositio Bartoli est vera & iuridica. Verum ab hac significatione F. Romanus *q. 1. n. 80.* transit ad aliam, qua familia iure iam non proprio sed communi appellatur, de qua *in l. inter donum & munus §. familiæ ff. de verb. sig.* & sic manifestè falsam constituit propositionem Bart. allatam.

Nam manifestè falsum est, quod quis illic etiam dicatur habitare, vbi alius ex diuersa linea, ipsius tamen familiæ habitat. Vnde viderit F. Romanus, quomodo à cauillationis nota, quam quis incurrit, quando à vera significatione transit ad manifeste falsam, *l. natura cauillationis ff. de verb. sig.* vt in proposito facit F. Romanus, sese expediat.

3. Alia est ratio rerum aliquando possessarum à SOCIETATE IESV, tum EX PARTE admodum R. P. Generalis, tum ex parte ipsius SOCIETATIS. *Ex parte* quidem Generalis, quod ipse tanquam Caput vnius veri corporis politici (distincti contra corpus Oeconomicum aut familiæ planè δεσποτον) in singula collegia iurisdictionem habeat, tum præcipuam, quod illam per Rectores &c. *ex part. 9. Constit. Soc. c. 3. §. 3.* exerceat *per tradita à Caval. com. opin. contra com. q. 757. n. 61. & multis sequentib.* tum etiam quasi territorialē, *per not. Caval. com. opin. q. 897. n. 5. 6. ex Bald. in l. si quis ex consensu n. 9. C. de episcopali audient. & com. Dd. in c. cum Episcopus de off. ord. in 6.* Nam ipsius Iurisdictio non per-sonis solum, sed etiam terris, rebus, bonis Collegiorum terminatur; cum res & bona Collegiorum, ipsius gubernationi potestatiuæ subsint *ex p. 9. Constitut. c. 3. §§§. 3. 4. 5.* adeoque eius muniantur iurisdictione, quæ eo nomine quasi territorialis habetur, *secundum Dd. iam supra citatos.* Vnde ratione huius iurisdictionis ipsi Generali Societatis tanquam Capiti vnius veri corporis politici, licet non bonorum competat Dominium *per notata Aluari Valasc. de iur. emphyt. q. 8. n 38.* (quia aliud est iurisdictio, aliud dominium *Valasc. cit. loc.*) tamen competet bonorum Collegioȗ ab hoste occupatorū vel etiā personalis Collegiorū illorū tépore inuasionis prȩsentibus post defunctis, repetitio; quæ in eiusmodi casu negatur alijs aliorū Ordinū non mendicantiū Præsidibus, Visitatoribus, quod illi, istiusmodi destituantur jurisdictione, Cum nec verum, illorum religiosi, corpus constituant politicum, sed tantū familiæ aliquod planè δεσποτον.

4. Ex *parte* verò SOCIETATIS non *strictissimè* acceptæ, vt dicit tantum PROFESSOS; nec etiam *strictè*, prout præter illos includit Coadiutores Formatos, sed *latè*, prout præter Professos ac Coadiutores Formatos comprehendit etiam Scholasticos *ex p. 5. Constitut. c. 1. in declar. lit. a.* hæc ratio diuersitatis est, quare ipsa possit bona Collegiorum ab hæreticis occupata etiam præsentibus, pro tempore occupationis Collegis, post de-

functis repetere, quia SOCIETAS ita latè accepta est domina bonorum & rerum suorum Collegiorum, eaque possidet, cum illi sint bona incorporata.

Obi. 5. Nec obest, quod fortè personæ Scholares tempore occupationis illic existentes, sint postea mortuæ. *Resp.* Quia Scholares indifferenter atque indiscriminatim se habent ad omnia Collegia Societatis. nec enim vouent huius vel illius loci stabilitatem, ideoque ad nutum admodum R. P. Generalis ex vno in aliud transferuntur Collegium *d. part. 9. Constitut. c. 3.* Cõsequenter Scholares Societ. indiscriminatim bonorum Collegiorum Domini sunt & possessores. Professi quoque habent dominium in communi bonorum earum domorum, quarum membra sunt P. Valent. Mãgin. *in opusc. de religios. paup. part. 1. n. 11.* Vnde nec mirum, si etiam defunctis ijs, qui tempore occupationis Collegium hoc vel illud incoluerant, reliqui Scholares habeant ius bona huius vel illius collegij ab hoste occupata recuperandi.

6. SECVS res habet in Ordine S. Benedicti &c. quia Professi illius, voto se obligant ad stabilitatem claustri, Ant: de Butr. *in c. sicut ex literis. de iureiur: n. 2.* & quidem illius, vbi profitentur, Speculat. *l. 4. de regular. & transeunt. n. 1.* vbi hanc pro- *Ratio diuersitatis.* fessionis monasticæ formulam describit:

Ego N. promitto Deo & Sanctis eius & VOBIS DOMNO Abbati vel Priori coram vobis & conuentu vestro, me perpetuam continentiam seruaturum IN HAC DOMO VEL MONASTERIO, quantum Deus fragilitati meæ permiserit, & renuncio proprijs, & vobis debitã secundum regulam talis Ordinis obedientiam & reuerentiam ac stabilitatẽ, & conuersionem morum promitto. Post recipit habitũ, & talis professio facit Monachum *c. vidua 20. q. 1.* Hactenus Speculator. Illi subscribit Bartholomæus à S. Fausto Ordinis Cistert. *l. 6. thes. relig. q. 158. n. 1.* *vbi* „ tradit, quod omnes Regulares emittẽ- „ tes professionẽ, vouent suã stabilitatẽ „ & permansionem in monasterio, sub „ obedientia talis vel talis Prælati, vt „ constat ex forma profitendi, quam „ omnes ferè religiones obseruant. Ita „ & Nauarr. *com. 4. de regul. super cap. statuimus* 19. *q. 3. n. 30.* Innocentius *in d. c. sicut.* probat idem per *c. si. cupis. c. placuit c. si quis 16. q. 1.* Honorius *l. 3. sum. decret. tit. 35. de statu Monachor. n. 8.* Ita verò Innocentius *in d. c. sicut ex literis*, infert, nunquam, inquiens, Abbas debet dare literas absolutionis suo Monacho. nisi prius habeat aliud monasterium vel aliam Ecclesiam, ad quam vadat, sed tunc bene licet, & ex tunc nihil habet facere in primo monasterio. *58. dist. c. 2. & 3. 19. 3 statuimus. 16. q. 1. si quos &c.* quæ illatio Innocentij Papæ nulla esset, si Monachus ad hoc monaste-

nasteriū, sese voto, licet accidentario, non obstrinxisset. (quorsum enim alias literæ darentur absolutionis nisi â voto stabilitatis loci absolueretur? Et quia ab illo absolutus, ideo nihil habet facere, vt ait Innocentius, in primo monasterio. *Deinde* professus in illo Ordine quasi matrimonium spiritale init cū hoc monasterio, adeoq; ipse se huic & hoc se ipsi vicissim tradendo obligat, vt docet ex communi Panormitanus in *c.non est.n.3.de regularibus.* Igitur &c.3. Tū quia Monachi trāsituri ad aliud Monasteriū eiusdem Ordinis & institutionis debēt in illo alio nouam emittere professionē *per c.præterea de præb.* ibi, & in vtraq; Ecclesiâ regulariter professus, vbi Abbas & Decius *n. 2.* plures pro hac sententia contra alios affert Dd.authoritates,, & probat â simili militis ex vna cohorte ad aliā transeūtis Frid. de Senis.*q.5.per l.ex eo ff.de milit.Test.l.pē. ex quib. causis maiores, & vtrobiq, Dd.* Militi enim] transeūti ex vna cohorte in aliam, de nouo iurandū est suo Capitaneo, & signo, sicut & alijs, qui sūt eiusdem cohortis; quamuis ipse Fridericus & contrariam illic proponat simul Dd.opinionē. quā Panormitā. & Decius *cit.loc.* & maximè Nauar. *in comm.4.de regularib.n. 22.* refutant, ac nostram allatam sententiam latè propugnant. Ratio praecipva petitur, ex *c.Abbate* & ibi Panormit. *n.4.de verb.sign.* vbi Guarinus professus Alciatensis electus in Abbatē monasterij S.Bertini, nō admittitur, nec vllū illius monasterij obtinet ius, ni- » si in monasterio S. Bertini prius ali- » quamdiu hæreat, & professionem no- » uam illic emittat, licet in alio mona- » sterio eiusdem Ordinis & institutio- » nis fuerit professus. Igitur hoc signū » est, quod & monasterium Professo & professus monasterio suo, in quo professus est, per vota sit tantum obligatus, ac *consequenter* Monachi aliorū monasteriorum indiscriminatim in huius monasterij bonis ius non acquirant, adeoque nec de spolio, suo nomine, possint experiri.

7. Ad authoritatem eminentissimi Domini Treuirensis Archiepiscopi *Resp.* ipsam sua sponte collabascere. Nā 1. ipse erat pars aduersa in iudicio contendens. Igitvr ipsius assertioni non statur, nisi etiam probetur *l.non nudis C.de probat.* *Ad auth. eminent. Archiep. Treuer.* *Resp.1.* *Resp.2.*

Deinde ipsius assertio ita eneruatur. Si Ordo adhuc ciuiliter possidet bona emortuorum monasteriorum, non poterit is agere de spolio; sed tātum, ne in sua turbetur possessone, *per not.Menochij in prælud. recuperand. possess. num.21.22.36.& seqq.* Atqui F.Romanus vult, Ordinem posse agere de spolio *d.q.1.n.80.* Igitur Ordo bona emortuorum monasteriorum nō possidet ciuiliter, quæ est propositio contradictoria superiori Archiepiscopi assertioni. Tvm falsvm est, quod Ordo adhuc habeat ciuilem illorum monasteriorum possessionem. Nam hæc licet animo solo

retineatur, tamen decennio elapso est perdita Menoch. 7. *rem. recup. posses. n. 25.* Dynus *in. c. sine possessione n. 32. de reg. iuris* quam sententiam ferè omnes Dd. sunt secuti, ex quibus multos congessit Tiraq. *tract. de iure constit. in 3. p. limitatione 21.* & latè Crauet. *cons. 235. n. 1. 2.* proinde hoc in casu, etiam posito, quod adhuc Monachi illorum Monasteriorum superessent, tamen quia non decennio tantum, sed aliquot decennijs, bona sua neglexerunc recuperare, non interpellando aut impetendo detentatores, ciuilem eorum perdiderunt possessionem. *Denique* ciuilis possessio perditur, quando absente possessore tertius aliquis rem illius occupat, possessorem reuertentem non vult admittere *l. 1. §. deijcitur. iuncto §. siue autem corpore meo ff. de vi & vi armata* Ioannes Schneidevv. *in §. recuperandæ n. 21. Inst. de interdictis.* Atqui ex F. ROMANI mente *n. 96. d. q. 1.* absentibus viuis adhuc Monachis illorum monasteria occuparunt hæretici, & Monachos ad ea reuersuros noluerunt admittere. Igitur Monachi ETIAM VIVI illorum monasteriorum possessionem ciuilem amiserunt.

Ad secūdæ ratio Anteced. Resp.

8. Ad secundæ rationis antecedens, quod Ord. monasticorum collegiorum emortuorū bona ab hæreticis occupata, postliminio veniant restituenda, RESP. 1. illud negando, quia hoc casu domini immediati ac veri possessores sunt mortui omnes; Ideoque nec hoc casu datur postliminium personarū, licet detur postliminium rerū, id est, bona monastica ab hæreticis quondam occupata & nunc recuperata, veniant restituenda Religiosis ac sacris vsibus; non tamen ipse Ordo venit restituēdus in bona recuperata, quia Ordo ille nec fuit bonorū illorū dominus nec possessor, nec habuit spem iuridicā illa obtinendi.

RESP. 2. posito antecedente, non tamen concesso, potius contra F. Romanū ex eo concluditur, quod Ordo dicta bona non possideat. NAM si Ordini restituerētur postliminio bona, facto superioris, vtiq; Ordo, antequā ipsi dicta bona postliminio restituātur, ea non possidet, quod tamen F. Rom. probaturo ea vacantia nō esse, ostendendum erat. *Resp.*

Ad tertiā rationem Resp.

9. Ad 3. rationē *Resp.* 1. distinguēdo antecedens, Ordo agere potest actione populari, vt quiuis alius de spolio, cōcedo, vid. Felin. *in c. dil. n. 2. & 3. de maioritate & obed.* & ibi Dd. post Host. *per text. in §. si autem locor. auth. de Ecc. tit.* quē, allegat Specul. *de inst. ed §. nūc aliqua. vers. sed nonne quil.* Bart. *in l. ne quicquā §. fin. ff. de off. procons.* Aretin. *pulchrè in. c. cum. olim 5. col. de test.* alleg. tex. & Bald. *in l. ciuitatib. de leg. 1. Vide* & ipsū F. Rom. *q. 1. n. 26.* Nō tamē Ordo agere poterit actione propria, vt sibi tanquā spoliato restituātur illa bona, cū ipse ordo illa ante non possederit. Quod si vel à superiore legitimo substitutus Ordo in collegio extincto vel etiā spē iuridicā & proximā restituēdi haberet, ipse agere posset, nomine tamen nō suo sed antecessorū Monach.

Poste-

POSTERIVS distinctionis nostrę membrum probandum erat F. Romano, nec tamen probatur, sed ipse vel ad alia digreditur, vel probat PRIVS membrum, vt videre licet ex locis Dd. ab ipso F. Romano citatis. De PRIORI verò nobis cum illo non est controuersia.

Ad rescriptũ Imp. Respond.

10. Neque nobis officit rescriptum & mandatum Imperatoris de bonis monasticis Ordini religioso restituendis. NAM I. omne rescriptum & mandatum Principis habet vel expressè vel tacite hanc clausulam & conditionem, si preces veritate nitantur, vel si qui rescriptum impetrarit, doceat esse, vera omnia, quæ retulit in preces, quippe aliàs rescriptum & mandatum Principis censetur sub, & obreptitium *l. vlt. C. de diuersis rescriptis & prag. Sanction. & ibi Dd.* Vide & Fr. Romanum, *q. 4. n. 51. §. qui omnia vers. vnde ait Alphons. Soto fol. 210.* Atqui Ordo teste F. Romano supplicauit Imperatori pro Monasterijs occupatis & emortuis recuperandis *q. 1. n. 92.* ibi supplicationib. ad Imperatorem diuersimodè factis, *q. 7. nu. 15. & seqq.* ac impetrauit rescriptum Imperatoris *d. q. 7. n. 17.* & quidem quasi ipse possessione Monasteriorum emortuorum esset spoliatus, *q. 1. nu. 98.* & alibi; IGITVR necesse est, vt Ordo doceat esse vera, quæ retulit in preces de sua possessione eiusque titulis & causis Imperatori exhibitis, At cùm Ordo hæc nec ostendat nec ostendere possit vera, ideò Imperatoris rescriptum censebitur sub, & obreptitium ex doctrina F. Romani *q. 4. n. 51. d. §. quæ omnia.* & quidem ex parte Ordinis in libello suo supplici falsas causas suggerentis verasque supprimentis, vt videre licet ex toto hoc tractatu; non verò vt ratiocinabatur F. Romanus *qu. 4. n. 51. 52. q. 7. n. 13. & 22.* ex parte aulicorum Consiliariorum Imperatoris. Proinde tota illa disputatio à F. Romano *q. 4.* suscepta est frustranea, si non calumniosa. *Ad quæst. 4. F. Rom. Resp.*

II. F. Rom. petit princip.

Ex dictis patet, malè à F. Romano ex ipso rescripto Imperatoris probari, quod Ordo possessione Monasteriorum emortuorum sit spoliatus, cum rescriptum Imperatoris supponat ab Ordine illam spoliationem priùs probandam esse. *ex tit. C. de prec. Imp. off.* Quòd si F. Rom. Imperatoris RESCRIPTŨ & quidem in causa possessionis & proprietatis vult esse DEFINITIVVM, vtiq; vult Imperatorem non legitimè rescripsisse. NAM vt rescriptum Principis sit LEGITIMVM, debet illud dari in causa iuri non contraria, nec iurisdictionis suæ terminos egrediente, *vt* notatur *in tit. Cod. de prec. Imp offer. & de quib. reb. precari lic.* TERMINI autem Iurisdictionis sæcularis Principis in causa bonorum Ecclesiasticorum circumscribuntur iudicio possessorio, & quidem instituto contra Laicum (id est quando Clericus, qui reipsa bona eiusmodi vel possidet ac à Laico turbatur in possessione illorum bonorum, redituum &c. vel si ea ante pos-

sedit sed à laico inde deiectus) agit, ne amplius à Laico turbetur in possessione, vel deiectus restituatur. *Gail. lib.1. obs.38.* Cæual. *p.1.com.opin.q.403.* Aufrer. *de potestate secul. super person. Eccles. resp.* 4. Termini verò Iurisdictionis sæcularis exceduntur, si quando Laicus contra Clericum vel Clericus contra Clericum etiam in possessorio coram Principe seculari agit. Gail.1.*obs.38.n.*1.2.*vsq, ad* 5. Aufrer. *d. reg.4.n.23.* Couarruv. *var.res.c.3.vers. rursus.* Cacheran.*decis.137.n.11.* Atqui hoc casu si, vt vult F. Romanus, Imperator sine conditione absolutè & quasi definitiuè rescripsit pro Ordine, quòd ipsi bona Monasteriorum emortuorum ab hæreticis occupata, sint restituenda; exinde quòd Monasteria illi debeantur, sint sua Religiosorum modernorum; vtique rescripsisset in petitorio iuris seu iusti Canonici, adeoque in causa suæ iurisdictionis terminos egrediente. *Consequenter* ex hoc capite rescriptum Imperatoris foret nullum ex proprijs principijs F. Romani *d.q.4.n.51.§. quæ omnia.*

Instantia F. Rom. refellitur.

12. Quod à F. Romano additur, Ordini sæpe ex Imperatorum rescriptis restituta Monasteria & quidèm iuste, RESPOND. tunc legitimi eorum incolæ, qui fuerant atque ea possederant adhuc viuebant. Atque de hoc casu intelligendæ sunt etiã TRANSACTIONES AC RECESSVS IMPERII vel certè tantum IN GENERE de restitutione bonorum Ecclesiasticorum iniuste occupatorum non autem ipsarum personarum Ecclesiasticarum defunctarum. Nec contrariũ prolixo suo discursu ex allatis transactionibus probat F. Romanus *q.1.n.98.& seqq.* quia vt dixi IN GENERE tantum volunt bona Ecclesiastica iniustè occupata &c. esse restituenda. Adeoque de restitutione agunt rerum Ecclesiasticarum, non vero ipsarum personarum defunctarũ.

13. Quod si defunctis huius loci Monachis, alij eiusdem Ordinis eorum bonorum restitutionem impetrauerint; Illud ideo factũ, quia superiores legitimi illos vel expressè vel tacitè (nimirum scienter tolerando) Gloss. *pragm.sanct.de collationibus, §.Frustra enim.verb.tolerandas.* in defunctorum Monast. substituerant. Cæval. opin. *com.q.757.n.107.* vel restituerant, accepta hac voce non in PROPRIA & STRICTA significatione, vt supponit ante habuisse ac possedisse, prout malè arguit F. Rom *qu.1.n.81.82.83.88. & seqq.* sed LATA, vt significat etiam dare id, quod ante quis non habuit, vt supra *in resp. ad 1. in verb. recuperare* notaui. Adeoque ratione huius substitutionis alij eiusdem Ordinis petebant bonorum, antecessoribus ablatorum restitutionem. Atqui hoc casu nostro alij aliorum Monasteriorũm Monachi ex eodem Ordine in emortua eiusdem Ordinis Monasteria à superioribus legitimis non sunt substituti. Igitur, &c.

14. Atq; hæc ad Antecedentis probatio- *Ad alterã anteced.*

probationē ex c. redintegrāda 3. qu. 1. Respond. bationem primā ex reſcripto Imperatoris deſumptā reſpondiſſe ſufficiāt: NVNC AD ALTERAM EIVSDEM ex c. redintegrandam *3. q. 1.* petitam. RESPONDETVR eſſe eam manifeſtiſsimam principij petitionem. Nam Fr. Romanus oſtenſurus, Ordinem poſſediſſe aut etiam poſsidere bona emortuorum Collegiorum Monaſticorum, illud ita probat *ex d. c. redintegranda.* Quia Ordo habuit antiquiorem poſſeſsionem. Si hoc eſt probare, neſcio quid non poſsit probari.

Inſt. 15. *Fortè dices*: Frater Rom: ita argumentatur: Ordo ſpoliatus poteſt agere remedio *d. c. redintegranda.* Igitur Ordo ante poſſedit. ANTECED. PROBATVR, quia Ordo habuit poſſeſſionem & ingreſſurus ad ſua Monaſteria non admittitur. Igitur Ordo fuit ſpoliatus, poteritque agere dicto remedio. F. Romanus, *q. 1. n. 90. 92. 93. 94. maximè nu. 6.* Præclarè ſanè. Nunquid hoc eſt in circulum ire?

16. Quod addit Fr. Romanus *q. 1. n. 24.* alios ex alijs Monaſterijs eſſe defunctorum eiuſdem Ordinis collegarum ſucceſſores; PER HOS vel intelligit ipſe Fr. Romanus, qui hæreditario iure ſucceſsionem obtendere volunt, vt *d. n. 24. & 41.* vel qui ſunt à ſuperioribus legitimis ſubſtituti in emortuis Monaſterijs *vt n. 15. 16.* SI PRIVS, iam fundamentum ſuum (quod alij iſti fuerint & ſint poſſeſſores bonorum Monaſteriorum in eodem Ordine emortuorum) euertit. Nam ſi ſunt defunctorum ſucceſſores, quomodo iam ante illorum bona poſſederunt? SIN POSTERIVS, non hic caſus eſt noſter, de quo in præſenti agitur, ſed ſpectat infra *ad q. 5.*

17. DE TERTIA ANTECEDENTIS PROBATIONE iam ſupra, RESPONDI, nihil eam ad rem facere, cum tantum oſtendat, quemuis poſſe de ſpolio Eccleſiarum agere actione populari; de qua hic non controuertitur. Nam quæſtio noſtra eſt, vtrum poſſit Ordo SVO nomine agere de ſpolio, vt SIBI tanquam poſſeſſori antiquiori bona Monaſteriorum emortuorum reſtituantur, quam affirmat quidem Fr. Romanus, ſed non probat. *Ad tertiam anteced. probat. Resp.*

18. AD IV. ANTECEDENTIS PROBATIONEM de continuato ipſius poſſeſsionis iure in hæredem, RESPONDETVR. Inde iterum argui F. Romanum ſuæ in iure imperitiæ, Quo enim iure, quauè Dd. authoritate fultus aſſerit, poſſeſsionem ipſo iure in hæredem continuari? Quia licet adita hæreditate, (quod ſolo fieri poteſt animo *§. fin. Inſt. de hæred. qual. & diff.*) omnia iura actiuè ac paſsiuè tranſeant, non tamen ipſa poſſeſſio, niſi naturaliter ſit apprehenſa *l. cum hæredes in princ. ff. de appreh. poſſ. ff.* Nam poſſeſsio quidem eſt quid iuris, verum plurimum habet facti, ideoque non continuatur, niſi animo & corpore *l. licet. C. de acquir. poſſeſſ.* & ſic oportet hoc factum interueniat, vt præterquam animo quis etiam corpore ingre- *Ad IV. Anteced. probat. Resp.*

diatur bona *d. l. licet* &c. CONFIRMATVR ex eo, quia per mortem possessoris dicitur extincta voluntas *l. 4. ff. locati.* & ipse possessor, qui fuit, post obitum corpore amplius insistere nequit bonis, adeoque possessio illa est exstincta. Vnde necesse est vt realis fiat per hæredem apprehensio possessionis, cum exstincta prioris possessio non possit dici continuari in hæredem: *Consequenter* in illa apprehendenda requiritur hæredis & animus & corpus *leg. 3. in princ. ff. de acquirend. possess. §. possidere Institut. de interdictis.* Schneidevvinus *in §. retinendæ, numero 34. & 35. Institut. de interdictis.* Proinde cum in hoc casu possessio mortuorum Collegarum Religiosorum sit exstincta, non ipsa poterit dici continuari in hæredes (si darentur, qui tamen IVRE non dantur) adeoque nec ipsi alij ex alijs Monasterijs possunt asseri dictorum possessores bonorum, maximè cum ipsa possessio ab illis putatitijs hæredibus animo simul & corpore non sit apprehensa.

Relinquitur igitur bona E-mortuorum Collegiorum Monasticorum nec esse ab Ordine aut Vnione aliquâ occupata vel possessa; adeoque ex principio ipsius Fratris Romani *qu. 1. num. 48.* esse vacantia. *Conclus. collect.*

QVÆ-

QVÆSTIO III.

Vtrum Ordo vel Vnio habeat ſpem Iuridicam certam ac proximam bona Monaſteriorum Emortuorum occupandi?

Status quæſtionis proponitur.
1. Spes quotupliciter hic accipiatur.
Spes hic obiectiuè accipitur
Spes iuridica quæ?
Spes Vana ſeu non iuridica quæ?
2. Vtrum hic detur ſpes iuridica 1. ex parte ſubiecti.
2. Vtrum ex parte tituli ſeu cauſæ acquirendi dominij &c.
3. Non datur hic ſpes iuridica ex parte ſubiecti.
4. An detur ex parte tituli, controuertitur.

IN præcedente quæſtione oſtendi, ex rationis à Fr. Romano allatæ (quod bona vacantia dicerentur, quæ nec occupata eſſent nec poſſeſſa) obiectu & interpoſitione, maximam oriri aſtri Hayani eclipſin; attamen quia ſunt nonnulli, qui nube aquilæ pennis ſuperatâ exiſtimant ſe aliquot ſubtiliores aſtri illius videre & obſeruare radios, (quaſi bona vacantia non tantum ſint, quæ nec occupata ſint, nec poſſeſſa, ſed nec ſperentur, vt ab aliquo hærede occupentur aut poſſideantur, aut non ſpes vlla ſit recuperationis illorum bonorum, F. Romanus *q.1.num.53.*) ideò ab ijs illos non verè ſed imaginariè tantum viſos fuiſſe oſtendam, Et licet bona excluſo Domino, eiuſque hærede ab hæreticis occupari & teneri poſſint, ita vt nulla eorum ſpes recuperationis affulgẽt; nec ſint propter ea dicenda vacantia; attamẽ fortè dixeris, de bonis te agere nunc ex A catholicorũ manu receptis; quæ ſi nec occupata ſint nec poſſeſſa, nec ſperentur ab aliquo tãquã Domino aut eius hærede repetitum iri, eſſe vacantia.

Status quæſt. proponitur.

Quare quæſtio mouetur, (Vtrum detur Ordini hoc caſu SPES ALIQVA reſtitutionis aut recuperationis bonorum Monaſteriorum emortuorum) Eaq; dependet à ſequenti notabili.

1. NOTANDVM enim eſt. SPEM non hic conſiderari, vt eſt paſſio appetitus ſenſitiui, ſed vt eſt vel habi-

tus appetitus rationalis; vel formaliter, vt est actus ipse sperantis seu desiderium efficax boni ardui absentis obtinendi. Vel etiã obiectiuè, vt res est ipsa ardua obtinenda. Ita *Rom.* 8. vbi notat id P. Tirin. Quòd si res illa sit debita vel ratione subiecti, vt quia ex Collegio adhuc vna superest persona, ideoque adhuc spes est restituendi Collegij: vel si sit debita ex aliqua causa aut titulo pariente ius ad rem illam, dicitur SPES IVRIDICA. Si verò non sit debita subiecti exigẽtiæ aut conuenientiæ, vel ex eiusmodi titulo; sed directo pendeat ab alterius voluntate & dispositione, dicitur ICtis SPES VANA. Atq; de hac obiectiua, qua formalis vel habitualis nituntur, nos agimus.

Ea igitur duplex ICtis est, vt supra *q.1.c.1. in resp. ad 1 Arg. minorem* inculcaui: Alia IVRIDICA fundata vel in exigentia subiecti vel in iure ad rẽ, seu in prçuia aliqua legitima causa aut titulo præsente: Bald. *in proœm ff. col.2. ex Bart. in l. si vxor. §.1 ff. ad l. Iul. de adult.* ALIA VANA, nõ iuridica. Petrus Anto. de petra *in tract. de iure quæsito non tollend. c.30. n.35.36.37.38. & c.32. in princ. n.74 ex Aretin. consil.7. incip. procedendum est breuiter col.2. in fin. Rom. cons. 256. incip. approbo sententias, per l. si ita scripsisset de leg.2.* hæcque est communis Dd. approbata à Rota *decis. 25. de rescript. in nov.*

2. Duplex quæsitio. 2. Hoc posito fundamento DVPLEX formari potest quæstio. 1. Vtrum hic ex parte subiecti seu Collegij emortui competat alijs eiusdem Ordinis Monachis spes Iuridica Collegij reparandi & bona eiusdem Collegij emortui occupãdi? 2. Vtrum ex parte ipsius tituli, vt est causa acquirendi Dominij & possessionis, detur spes illis iuridica & Collegij reparandi & dicta bona obtinendi?

3. De PRIORI palam est, quòd nulla Ordini amplius superfit ex parte subiecti spes iuridica, cum ne vnus quidem ex Collegis illis religiosis supersit, per quem possit reparari Collegium, perinde ac nullo ex gregis legato superstite, spes illius instaurandi est nulla & exstincta *§. Grex legatus Inst. de leg.* Consequenter nec ex parte subiecti erit Ordini spes iuridica, bona illa occupandi. *Prior deciditur negatiue.*

4. De posteriori manet difficultas, Vtrum Ordo vel Vnio habeat ex parte tituli aut causæ, spẽ Iuridicam, an vanam de bonis Monasteriorum emortuorum. *Posterior est cõtrou.*

§. IVRIDICAM SPEM Ordini vel Vnioni asserit Fr. Rõ. *q.1. n.53.* VANÃ illi negat, quo videntur omnia illius argumenta (licet ea ipse pro Dominio asserendo afferat, sed malè, vt vidimus) tendere. Nos CONTRA Ordini SPEM IVRIDICAM negamus, VANAMQVE illi concedimus. *Diuisio quæst.*

Vt autem tota controuersia facilius dirimatur, TRIBVS ea capp. proponetur, ita vt *Primò* Capite Fr. Rom. afferantur argumenta; *Secundo*, adducantur nostra; *Tertio* denique F. Romani argumenta dissoluantur.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

Afferuntur F. Romani argumenta, pro spe Iuridica Ordini vel Vnioni ex parte tituli vel causæ asserenda.

1. *Ordini videntur bona Monasteriorum emortuorum competere titulo fundationis.*
2. *Fundatio est facta pro familia S. Benedicti.*
Quid notet familia S. Benedicti.
3. *Ex clem. quia contingit de rel. dom. legata pia ad vnum vsum, non sunt conuertenda ad alium.*
Verba illa, salua sedis Apostolicæ authoritate, F. Romano sunt conditio & reseruatio.
4. *Mortuis omnibus alicuius loci Religiosis sunt alij eiusdem Ordinis substituendi.*
5. *Ex c. alterius 7. q. 1. Ecclesia sponso defuncto, nubet alij homini suæ professionis.*
6. *Pontifex est obligatus beneficia sæcularia dare sæcularibus, & regularia regularibus.*
C. Trid. sess. 14. de refor. c. 40.
Non est in boue arandum & asino, nec debet quisquam vestem induere de lana linoque contextam.
7. *Mortuis omnibus de Collegio, prouisio deuoluitur ad Superiorem,*
Quando deuolutio locum habeat.
Tempus prouidendi Monasterio de Abbate currit à die non vacationis, sed notitiæ,
Estque trimestre, quo lapso, deuoluitur ad superiorem, eumque qui habet ius confirmandi electum.
Deuolutio fit cum eodem onere, quo primus prouisor obligabatur, idque ex natura surrogationis.
8. *Gal. 4. Quod si filij. Ergo & hæredes.*
Quotquot sunt de Ordine S. Benedicti, sunt eius filij.
Videntur patrimonij S. Benedicti esse hæredes.
Patrimonium S. Benedicti sunt bona S. Benedicto dicata.
9. *Ex iure Canonico vult F. Romanus ostendi, quod Monasteria, quamdiu poterint, per Regulares eiusdem Ordinis perpetuo debeant manere ordinata.*
Eidem quid reformatio significet.
Vis Verborum, Oportet, debent, quæ?
10. *Abbatia Castri Mosabin erigitur in Episcopatum, ita tamen, vt à Monasterio Monachi non excludantur.*
In sanctionibus Canonicis statuitur, vt quæ semel Deo dedicata Monasteria, semper maneant Monasteria.
Ordo Monasticus, qui in aliquo Mona-

sterio secundum Deum & D. Benedicti regulam est institutus, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter seruetur.

Indultum à Iure beneficium, non est alicui auferendum.

Posse petere beneficium, ex Canone vel fundatione sibi competens, in confuso toti Ordini debitum, & alicui de familia Ordinis in particulari concedendum, est habere ius ad rem.

11. *Vt aliquid dicatur constitutum & ordinatum, quot requirantur.*

Institutus & Constitutus toto cœlo differre videntur.

Concl. F. Rom.

I. ORdini vel Vnioni ex parte TITVLI seu CAVSAE, competere spem Iuridicam in bona emortuorum Monasteriorum.

Prob.

PROBATVR I. quia Ordo vel Vnio habet ius in dicta bona, seu hæc illi sunt debita ex titulo fundationis alicuius PIAE F. Rom. *q.1.n.58. 60.* factæ in Testamento per institutionem vel legatum F. Rom. *q. 1 n. 58. q.2. nu. 22. infi. q.3. n.3. q 4. n. 51. §. præterea,* AVT ex titulo alius donationis. Nam vt ait F. Rō. *q.1.n.60*, fundator Monasterij transferendo rerum suarum Dominium in Abbatem & conuentum „ introductum, non fecit illud intuitu „ stēmatis personarū in Indiuiduo, vel „ natalium ipsorum Monachorum, neq; „ intuitu prioris Monasterij, in quo e- „ rant professi (alias incorporatio facta „ fuisset stemmati vel priori Monaste- „ rio &c.) nec in quantū erant purè cle- „ rici duntaxat, quia si hoc voluisset „ donator, debuisset purè Clericos sæ- „ culares nō Monachos introducere. Iā „ aūt fundator bona sua in eos transtu- „ lit immediatè in quantū erant Mona- „ chi siue mēbra huius illiusuè regulæ „ vel Ordinis prout erga quēlibet Ordinem sese inspirari vel affici sēsit) & „ sic Monasterium, cum omnibus bonis „ fuit incorporatum Ordini. Adeoq; „ hinc INFERTVR à Fr. Rom. Ordini „ ius in bonis illis acquisitum; cùm tamen potius colligendum esset, Ordini ius in d. bona fuisse acquisitum.

2. Confirmat Antecedens 1. quia facta est fundatio pro familia S. Benedicti, *q.1.n.80.* id est, tota congregatione viuente sub regula S. Benedicti, *d. numero 80.* Atqui tota Congregatio viuens sub Regula S. Benedicti comprehendit etiam Monachos aliorum eiusdem Ordinis Monasteriorum *q.1. n.67.68. fol.67.* Ergo & pro his, & non alijs alterius Ordinis hæc Monasteria emortua sunt fundata.

3. CONFIRMATVR 2. ex Clem. *Quia contingit de relig. dom.* vbi statuitur, quod ea quæ ad certum vsum, „ largitione sunt destinata fidelium, ad „ illum debeant, non ad alium (salua „ quidem Sedis Apostolicæ authoritate „ conuerti. F. Romanus *q.7.n.§. III. eod. modo fol. 254.* quæ conditio inclusa „ parenthesi tametsi non exprimeretur „ semper tamen subintelligeretur; ne- „ que est illa dispositio sed reserua- „ tio Generalis, Vnde patet eidem „ *Conf. Antecedens.*

Ordini

Ordini ex fundatione ius esse in d. bona monasteriorum suæ regulæ emortuorum.

Prob. 2. Concl.

4. Probatur 2. quia deficientibus seu mortuis omnibus Collegis alicuius loci religiosis, alij eiusdem Ordinis sunt substituendi, nec monasteria sunt ad alios alterius, sed eiusdem Ordinis religiosos transferenda Hostiens. *ex c. cum ex iniuncto 2. sub n. 9. vers. & in hoc casu: de noui oper. nunciatione* & ibi Butr: *n. 4. vers. & dicit quod omnibus* Ancharan. *n. 9. vers. per hoc etiam potest inferri*, & Socin. *n. 12. vers. imò alij* gloss. *in c. statutum. de electione in 6. verb. collegiatas* Vid. Astri *fol. 38. 39. q. 1. n. 20. & ante eadem q. 1. n. 13. 14. 15. 16. fol. 34. 35. 36.*

Conf. 1.

5. Confirmatur 1. *ex c. alterius 7. q. 1.* vbi dicitur, similiter & sponsa Episcopi (quia sponsa vxorque eius dicitur Ecclesia) eo viuente ei est alligata, eo verò defuncto soluta est, & cui voluerit, nubat, tantum in Domino (id est regulariter) vbi glossa *in verbo. regulariter.* ait, i. e. homini suæ professionis *28. q. 1. caue* vid. Astri *q. 1. n. 43. fol. 35.*

Conf. 2. ex Côc. Trid.

6. Confirmatur *2. q. 1. n. 43. fol. 52. 53. & num. 12. fol. 34.* quia Pontifex obligatur, vt beneficia sæcularia det sæcularib.; regularia regularibus; Lelius Zechus *de rep. Eccles. tractat. de beneficiatis sub n. 3.* ex text. Concil.
„ Trid. *sess. 14. de reformat. c. 40.* vbi
„ prohibet beneficia (inter quæ com-
„ putantur ibi *n. 2.* & apud Less. *lib. 2.*
„ *de iustit. c. 41. dub. 12. n. 95.* Abbatiæ, prioratus) dari in titulum sæculari, „
imò nec regulari, nisi sit illius Or- „
dinis, eò quod non sit in boue aran- „
dum & asino, nec quisquam debet „
vestem induere de lanâ linoque con- „
textam, vt ait Concil Trid. & habe- „
tur *c. cum causam 27. de elect.* Nec e- „
nim superior, potest aliter conferre „
beneficium (vacans etiam obitu) „
quam natura ipsius beneficij requi- „
rit. Innocent. *in c. fin. de Cleric. nō resid.* „
Abbas *in c. cum accessissent de constit.* „
n. 5. & in c. fin. de confirmatione vtili „
vel inutili n. 10. facit, quod notatur *in* „
c. Et si Clerici. de iudicijs in §. de adulterijs. Ioan. Selua. *de benef. in 3. parte q. 49.* vide Romanū *q. 1. n. 43. fol. 53. n. 14. fol. 35. & n. 43.* Vnde videtur reliquis ex ordine in mortua emonasteria ius tribui.

Conf. 3. ex iure deuolut.

7. Confir. 3. *q. 1. Astri n. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. &c.* ex iure deuolutionis. Nam vacante monasterio, Monachi si Prælatum eiusdem Ordinis inrra trimestre temporis spatium *c. cū Vintoniensis 25. c. ne pro defectu 41. & ibi glos. de elect.* eligere neglexerint, vel etiam omnes mortui fuerint, ius eligendi prælati cum onere suo deuoluitur ad immediatum superiorem, ita vt â die non vacationis; sed notitiæ *c. quia diuersitatem. de concessione præbendæ c. vnico, de iure patronatus in 6. c. licet de supplenda neglig. prælatorum.* Rota decis. *263. si propter. in antiq.* teneatur intra trimestre tempus aliquem ex eodem monasterio, si dignus habeatur; sin minus, ali-

unde ex eadem familia in Prælatum cooptare Rebuf. *in tract. de deuolut. numero. 18. & c. quamquam de elect. in 6. in fin.& ibidem Canoniſtæ.* Archidiac. *in c. hoc tantum 18.q.2.* Panormitan. *in c. nullus in Eccleſ. de elect. n. 10.* " vbi ait: quæro *3.* quod ſi omnes de " collegio ſint mortui,ad quem tunc " ſpectabit prouiſio? Dd. *in Clem. in pleriſque. de elect.* & Archidiac. *in d.c. hoc* " *tantum 18 q. 2. & in cap. cum ſimus 9.* " *q. 3.* dicunt, quod ad Epiſcopum,qui " eliget nomine collegij; Sed tu limita hoc dictum,quando ad ipſum pertinet ius confirmandi electum â col- " legio, Vnde in hoc pono meliorem " regulam,quod propter negligentiam " Collegij VEL MORTĒ OMNIVM DE " COLLEGIO ius prouidēdi deuoluitur " ad eum,qui habet poteſtatem confir- " mandi electum , ſiue ſit Epiſcopus, " ſiue alius Prælatus. *hæc ibi,* & *in. c. quia* " *regulares Clem: de ſupplenda negligentiâ* " *Prælat. n. 3. & in c.cum Eccleſia. de e-* " *lect. ſub n. 9. & 15.* inquit: Quid au- " tem ſi eſſent mortui omnes de Eccle- " ſia collegiata, dic quod ſuperior " immediatus prouidebit de prælato, " vt notat Compoſtel. *in d. c.ne pro de-* " *fectu.* Frid. de Senis *conſ. 34.* Facit " quod notatur *18. q. 2. c. 1.* Hæc om- " nia procedunt , niſi contrarium ha- " beret conſuetudo, quæ in prouiſione " beneficiorum præfertur. Hactenus " Abbas. Quod ſi & ipſe Prælatus in eligendo negligens fuerit, nec intra trimeſtre illud, aliquem ex ea familia deſignauerit, ius eligendi ſpectabit cum d. onere (ſcilicet ex natura ſurrogationis ad mediatum ſuperiorem,qui ex eadem familia dignum aliquem cooptabit vid. *q. 1. à n. 1. vſque ad n. 15. â fol. 29. vſque ad 36.* Hinc ſi Prælatus eiuſdem familiæ & Ordinis , ab omnibus etiam ſuperioribus eligendus eſt , conſequitur Ordinem ius in d. monaſteria obtinere.

8. Probatur 3. ex iure diuino. Gal. 4. *vid. q. 1. n. 58. fol. 61.* Quod ſi *ſunt* Filij , ergo & hæredes. At quotquot ſunt de Ordine S. Benedicti, ſunt huius filij. Ergo & eius patrimonij (qualia ſunt bona S. Benedicto dicata) hæredes. Conſequenter quotquot ſunt de Ordine S. Benedicti habent, ius in dicta bona. *iunge q. 1. n.24.fol.40.n.17.fol.38.* *Prob. 3. ex iure diuino.*

9. Probatur 4.ex ſacrorum canonum diſpoſitione *c. inter quatuor. c. cum venerabilis. de relig. domibus c. relatum. Ne Clerici vel Monachi. c. quæ ſemel ſunt dedicata 19.q.3.* ibi oportet &c. Quibus canonibus iuncta gloſſa ſtatuitur, vt monaſteria , quamdiu potuerint,per regulares eiuſdem Ordinis perpetuo debeant manere ordinata; Cum gloſſ. conſpirat Panormitan: *in c. Abbas 18. q. 2.* vbi ita inquit: Nota quod eccleſia ſēper debeat reformari per homines eiuſdē profeſſionis *vid.q. 1. Aſtri n.16. fol. 36. 37.* Nomine autem Reformationis ſignificatur & inſtitutio & prouiſio ſeu ordinatio, vt oſtendit titulus *in c. inter quatuor. de relig. domib.* collatus cū *Prob. 4. ex iure Canonico.*

ipſo

ipso textu *in d. c. inter quatuor*. Atque in ea significatione accipitur ab Abbate *in c. conquerente de off. iud. ordinar. sub n. 2. & in c. cum Ecclesia de elect. in 6.* vid. *d. q. 1.* Astri *n. 16. fol. 36.*

Illatio

Vnde videtur colligi, mortuis omnibus huius monasterij monachis, alios eiusdem Ordinis in illud habere ius. Cum verba OPORTET, DEBENT, quibus vtuntur Canones & Dd. non ad facultatem iudicis, sed ad veritatem debiti referantur, & omnem omnino actionem cóprehendãt *l. 37. iuncta glossa l. 108. l. 178. ff. de verb. signif.* vid. *q. 1.* Astri *n. 23. fol. 40.* Adeoque monasteria quam diu poterunt per eiusdem familiæ personas ordinari, illis erunt debita, nec poterunt de iure communi monasteria, de quibus loquimur, transferri in Collegia Societatis & seminaria. Vnde porro sequitur, quod Monachi ex alijs monasterijs ius habeant monasteria sui Ordinis emortua recuperandi. *Cõsequenter* etiam sibi petendi *vid. Astri fol. 28. §. Sed contra est. ante decisionem quæstionis.*

Prob. 5 ex Breui Inn. III.

10. PROBATVR 5. ex Breui Innocentij III. ad VVilh. Archiep. Remens. dato *Romæ 5. Id. Maij. Anno Christiano 1198.* Nos, ait, Papa vt in Abbatia castri Mosabin Episcopatum erigere valeas, vel si malueris in eodem castro cathedralem Ecclesiam, cui præficiatur Episcopus, fabricare liberam tibi concedimus facultatem, ita tamen, quod ab eodem monasterio Mònachi nullatenus excludantur, ne fortè venire contra sanctiones canonicas videremur, quibus prouidâ fuit deliberatione statutum, vt quæ semel Deo dedicata sunt monasteria, sẽper maneant monasteria, cũ & hodie generaliter statuatur, vt Ordo monasticus, qui in aliquo monasterio secundum Deum & S. Benedicti regulam dignoscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter seruetur. Hoc ergo statutum pro Ordine S. Benedicti cum non sit priuilegium contra ius commune indultum, sed sit priuilegium Canonis, adeoque ius peculiare specifice expressum, & in corpore iuris generice contentum *d. c. quæ semel 19. q. 3. c. priuilegia 25. q. 2. c. inter quatuor de relig. domibus c. relatum. ne Clerici vel Monachi. alijsque plurib.* Nec hactenus vnquam legatur in communi fuisse reuocatum aut annullatum, videtur Ordini tribuere ius & actionem ad sua monasteria repetenda, vt vbicunque dignoscitur aliquando fuisse institutus, & per fortuitas causas vel casus fatales eiectus, remoto obice, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter posthac obseruetur. Indultum enim â iure beneficium, non est alicui auferendum *de reg. iur. in 6.* nec debet quisquam iure suo sine propriâ culpâ fraudari *c. Iordan. de consanguinitate & affin.* glossa & Dd. *ibid.* Iam autem ex Canone vel fundatione posse petere beneficium sibi competens, in confuso toti Ordini debitum, & alicui de familia Ord. in parti-

culari

„ culari concedendum, eſt habere ius „ ad rem. Gloſ. *in c. vnico de conceſſ. præb.* „ *extra. Ioan. XXII. verbo ius ad rem* & ſic „ datur actio ſiue ius agendi. Quod i- „ dem ſecundum Canones vniuerſales „ dicendum de alijs Ordinibus Reli- „ gioſorum. Hactenus Fr. Romanus „ *q. 1. §. ſed contra præcedente deciſ quæſt.*

P. Foreri reſp. impugnat F. Roman.

II. Nec eſt quod P. Forerus *ſect. 5. n. 6. Antanatomiæ* obijciat, Pontifici ſermonem non eſſe, niſi de Monaſterijs, quæ vt Canones loquuntur, reipſa per regulares ſunt ritè conſtituta & ordi- » nata. adhoc autem DVO neceſſaria eſſe; » ALTERVM, vt in cœnobio ſit tantus » Religioſorum numerus, quantus con- » gregationem ſeu conuentum ex præ- » ſcripto iuris ſolet cóficere: ALTERŪ » vt ijdem religioſi, approbatæ regulæ » conuenienter viuant. Quòd ſi alteru- » trum horum deeſſe contingat, ita vt » nullus amplius Religioſus in cœno- » bio ſuperſtes ſit, aut illi ipſi, qui ad- » ſunt, ab inſtituti formula deceſſerint » &c. Tunc transferre in alios illicitum non eſt. Nam ita RESPOND. F. Rom. *q. 7. n. 4. §. 2. alter locus eſt, &c.* Theolo- » go fas eſt Canones allegare, non fin- » gere. Quod Ordo Monaſticus in Mo- » naſterio perpetuò debeat obſeruari, » in quo dignoſcitur inſtitutus, Cano- » nes rectè pronunciant. Quod autem i- » bi ſermo non ſit niſi de Monaſterijs, » quæ reipſa per regulares ſunt conſti- » tuta, figmentum eſt, non Canon. In- » ſtitutus & reipſa conſtitutus toto cæ- » lo differunt. In omnibus enim deſo- » latis Monachorum cœnobijs Ordo » Monaſticus per primam fundatio- nem & introductionem dignoſcitur „ eſſe inſtitutus, in quibus tamen Ordo „ reipſa non eſt conſtitutus. Nec Inno- „ centius III. vnquam dixit, Ordinem „ Monaſticum in Monaſterijs reipſa „ per regulares conſtitutis, ſed in Mo- „ naſterijs, in quibus Ordo dignoſcitur „ inſtitutus (ad quod prima fundatio & „ introductio ſufficit) perpetuis ibi- „ dem temporibus inuiolabiliter ob- „ ſeruari debere. Proinde figmentis ve- „ ros Canones tranſuerſim agere, aut „ per principij petitionem id quòd de- „ monſtrandum eſſet, pro medio de- „ monſtrationis vſurpare non oportet; „ præſertim cum binæ illæ recens affi- „ ctæ conditiones vt iacent, ab ipſiſmet „ ſacris Canonibus eorumq; Interpre- „ tibus reijciantur, quemadmodum ſu- „ pra fusè demonſtratum fuit, vbi do- „ cuimus, omnibus de Collegio mortuis „ alios eiuſdem profeſsionis & familiæ „ homines, ſicut in fundatione fuit ex- „ preſſum, & natura beneficij requirit, „ ſubſtituendos eſſe, &c. Hæc F. Roma- „ nus *q. 7. num. 4. §. 5. II. Alter locus eſt, &cæt.*

Relinquitur igitur alios ex alijs Monaſterijs Monachos in Monaſteria ſui Ordinis emortua ius, adeoque ſpem Iuridicam habere.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

Proponuntur contrariæ sententiæ nostræ negantis Argumenta.

1. *Ordo non habet spem iuridicam aut ius aliquod in bona emortuorum Monasteriorum ex fundatione testata.*
De casu, quo omnes huius Monasterij Monachi instituti morerentur, nihil in literis fundationum prospectum.
Instituti & substituti quomodo differant, quid institutio & substitutio.
Monachi ex alijs Monasterijs eiusdem Ordinis non sunt primo gradu instituti.
Nec vlteriori gradu directò substituti.
Vel Substitutio hæc foret vulgaris.
Ipsa expirat quando directò institutus adit hæreditatem.
Nec illi alij sunt mortuis substituti obliquè.
2. *Neque veniunt ex fideicommisso familiæ.*
Variæ Dd. sententiæ de fideicommisso familiæ propositæ.
Ad quotum gradum se extendat illud fideicommissum familiæ.
Quo ordine videatur relictum.
3. *Hoc casu nostro non datur fideicommissum familiæ simpliciter, sed limitatum.*
Vnius inclusio, est alterius exclusio.
Causa limitata, limitatum producit effectum.
4. *Posito etiam hic fideicommisso familiæ simpliciter, tūc vocarentur, qui haberēt se tanquā descendentes Institutorum, non verò tanquam collaterales.*
5. *Collegatarij qui & quot modis sint.*
Ipsorum alij sunt coniuncti verbis, alij re, &c.
6. *Legatum familiæ habet se secundum proportionem aliquam vt fideicommissum familiæ.*
Legatum familiæ simpliciter factum intelligitur de his, qui sunt in domo, non de alijs, seu factum Familiæ iure proprio consideratæ.
Ita Testatores ostenduntur fundasse Benedictinos in hac vel illa domo, loco, &c. ex varijs fundationum literis.
7. *F. Romanus non videtur agnoscere fundationem intestatam.*
Donatione inter vivos bona huius Monasterij, nunc emortui, non sunt translata ad alios alterius Ordinis Religiosos.
Donatio inter viuos duplex, verbalis & realis & quid sint?
Qui vtriusq; effectus.
Verbalem ostendere nequeunt Monachi aliorum Monasteriorum.
Realem multò minus.
Nec etiam donationem mortis causa.

Quis huius effectus.
8. Ordo pro se nullum habet Canonem aut legem.
Ordo in concreto quid dicat.
Vnio in concreto hic quid dicat?

Conclusio Negans.

QVod Ordini vel Vnioni non competat ius ad Monasteria emortua, adeoque nec spes iuridica.

Ratio dilemmate proponitur.

1. RATIO EST, quia Ordini vel Vnioni nec ex fundatione testatâ vel intestata, nec ex sacris Canonibus, nec aliunde competit ius in dicta bona emortuorum Monasteriorum. Igitur nullum Ordini vel Vnioni in ea bona ius competit. Consequenter nec spes iuridica.

Anteced. pars 1. quoad fũdationem testatam Prob.1. Prob.2. per tria membra.

Antecedens de fundatione testata probatur 1. Quia in literis fundationũ nihil est cautũ, quid in casu, quo omnes in Monasterio instituti nullo submisso morerentur, sit de bonis emortui Monasterij faciendum. 2. Si alij alterius Monasterij monachi in emortuorũ huius Monasterij Monachorum bona haberent ius ex fundatione testata, esset ideo, quia alij alterius Monasterij Monachi essent simul in vltima testatoris volũtate instituti, vel quia emortuis huius Monasterij Monachis essent ipsi substituti vel Collegatarij. Nihil horum à F. Romano probari potest. Non

Primum membrum non ex vi institutionis.

primum, quia institutio propriè est successionis primo gradu à testatore facta designatio & vlteriori quæ fit gradu in locum deficientis successoris, vocatur substitutio. Treutl. *vol.2.disp.11.th.1.lit.b.* Proinde primo gradu à testatore designatus successor, dicitur institutus; vlteriori verò gradu in locum deficientis successoris nuncupatus aut scriptus, dicitur substitutus. Atqui alij aliorum Monasteriorum monachi non sunt cum emortuis primo gradu à testatore designati successores, ex ipsius F.Rom. principio, quo vult ipse illos deficientibus huius Monasterij Monachis prius succedere. IGITVR illi alij aliorum Monasteriorum Monachi non sunt cum emortuis, etiam ex F.Rom. doctrina, instituti.

Secundũ. membrũ est, nec ex vi substitutionis.

Non secundum; quia si alij aliorũ Monasteriorũ Monachi essent substituti, essent vel substituti directo vel obliquè. Neutrum. non substituti directo, patet, quia si essent directo substituti, vtique substitutione vulgari. Non enim alia hic sibi substitutio locum vindicare potest. At non substitutione vulgari. Hãc enim quæso nobis Fr.Rom. exhibeat. Quin & si exhiberet, non hîc tamen ea ipsis aliorũ Monasteriorum Monachis ius aliquod exhiberet. Quia substitutio vulgaris expirat, quando directò institutus adit hæreditatẽ, *l. post aditã ff. de impub. & alijs substit.* At eo casu, quo alij ex alijs Monasterijs essent vulgariter substituti, ipsi Monachi directò instituti adiuissent hæreditatem, eam-

que

que hucusque ad omnium morté tenuissent & possedissent. Igitur alij ex alijs Monasterijs Monachi erunt perpetuò ab huius Monasterij hæreditate exclusi. *Consequenter* nec habebunt ius ex substitutione vulgari ad Monasterium emortuũ. Neq; etiã alij aliorum Monasteriorum Monachi sũt mortuis huius Monasterij monachis substituti obliquè, seu per fideicõmissum, contra ac voluit Fr. Rom. *q.3.n.5. §.quorcira sub fi.fol.158.* quia sic directò instituti monachi non potuissent hæreditatem sibi retinere, sed debuissent eam alijs restituere, saltem pro parte *§.2.& 5.Inst.de fideicom.hæred.* Quod patet experientia esse falsum.

II. Fortè dices, Fideicõmissum familię esse factum. At priusquã respondeã

Obiect. 2.

Nota, Variè à Dd. fideicommissũ familiæ accipi, 1. vt ex illo veniunt, qui minimum mortis tempore Forster. *li. 4.de success.c.23.n.2.* in domo testatoris fideicommittentis fuerũt. Vnde post propinquos dicuntur etiam venire gener ac nurus *l.fin.C.de V.S.* quamuis *ibid.* Albericus de Rosate velit generum ac nurum venire, eo quod nõ apparerent illic alij propinqui, quibus familiæ nomen posset applicari.

2. Vt ex illo admittuntur, qui nominati sunt, post eos verò extinctos, hi qui ex nomine defuncti eo tempore cum moreretur, fuerunt, & hi qui ex his primo gradu procreati sunt, nisi specialiter defunctus ad vlteriores voluntatem suam extenderit, *l.cum ita §.in fideicom.ff.de legat.2.* Cuiac. *15. obs. 2.* Mantic. *de coniect.vlt.vol. lib.8.tit.18. n.19.* Menoch. *4.præs.71.nu. 27. & seqq.* Basileens. *tom.5.disp.34.thesi 28.lit.a.*

3. Vt Fideicõmissũ familiæ simpliciter relictũ Ordine quidé successiuo relictum videtur, sed ita, vt vulgari tantũ modo reliqui de familia substituti esse videantur. Cũ etiam in fideicõmissis vulgariter substitutio facta intelligatur, Mantica *l.8.de coniect.vlt.vol.tit. 12.n.11.* Simon de Prætis. *l.3.de interpr. vlt.vol.fol.9.per l.vt hæredibus.ff.de leg.2. l.vn.§.sin autem aliquid sub conditione.C. de Caduc.toll.* Verum ab hac opinione dissentiũt ferè cõmuniter Dd. Volunt.n. in fideicommisso familiæ simpliciter omnes de familia, nõ per modum vulgaris, sed fideicõmissarię substitutionis Ordine successiuo vocari. Dissident tamen inter se, Vtrũ Ordo ille successiuus, tantũ seruãdus in lineã rectã, an etiã in reliquis lineis. Et quidem sunt, qui in linea recta nonnisi vsque ad quartum gradum etiam cum prohibitione alienationis extra familiam, extendi putant. text. expr. *in Nouell.159.* H[illegible]s positis.

RESP. *1.* Hoc casu si ostendatur fideicommissũ familiæ relictũ; ego demonstrabo, illud familiæ non simpliciter, sed pro hoc tantũ loco relictum. Igitur reliqui aliorum locorum erunt exclusi; Consequentia probatur, quia limitata pro hoc loco testatorum voluntas, tanquam causa limitata, limitatum producet effectum, seu fideicõmissariam substitutionem ad hunc locum limitatam *2.* quia vnius inclusio est alterius exclusio, *l.cum prætor.ff. de iudic.* Vnde reliqui fideicommisso ex- *Respons. 1.*

cluſi habentur perinde ac ſi de familiæ numero non eſſent. Cephal. *conſ. 614.n.12.per l.1.§.quibus ff.de ſucc. edict.*

Reſp.2.

4. Quin etiam poſito, dari hoc caſu fideicommiſſum familiæ ſimpliciter; non ideo tamen ex veriori & cõmuniori Dd.ſententia, alij aliorum Monaſteriorum Monachi fideicommiſſariâ ſubſtitutione erunt ſubſtituti, ſed hi, qui in hoc Monaſterio inſtitutis ſubſtituti, tanquam deſcendentes eorum habebũtur: nõ verò alij collaterales arg.*l.cum ita §.in fideicommiſſo* & notat. *ibi.à* Cumano *ff.de leg.2. Nouell.159.*Simon de Prætis *in tract.de interpret.vlt.vol.lib.3.ſolut.9.* Intrigliol. *de ſubſtitut.cent.3.q.830.n.5.* Menoch. *4.præſumpt.88.n.2.* Collaterales autem hoc caſu cenſebuntur, quotquot ex alijs Monaſterijs erunt Monachi.*Vid. nos inf.q. 6.c. 2.* vbi ex profeſſo hanc tractamus difficultatem. Igitur &c.

Tertium membrũ nec ex vi Legati.

5. DENIQVE nec TERTIVM, quod alij ex alio Monaſterio Monachi ſint huius loci defunctorum Monachorũ COLLEGATARII, probari poteſt, quia ijs nec coniunctim nec disiũctim eadẽ res eſt legata. Non coniunctim cum ipſi nec ſint coniunctiverbis, nec re, quales oportebat eſſe, ſi ſimul illis eadem res legata eſſet *§ ſi eadem res & ibi Dd.not. Inſt.de legat* Quòd verò alij aliorum Monaſteriorum eiuſdẽ Ordinis Monachi non ſint *cõiuncti verbis*, patet quaſi *à priori* ex ipſis fundationum literis, ex quibus contrarium oſtendere nequit F. Romanus. Quodq; nec *re ſint coniuncti*, patet quaſi à *poſteriori* ex ipſâ experientia. Cũ alij aliorũ Monaſteriorum Monachi viuentibus adhuc huius Monaſterij in eodem Ordine Monachis, nullum vnquam ius in huius Monaſterij bona oſtenderint, ſicut nec exules in alia viuorũ ſui Ordinis Collegiorum Monaſteria hoc bellicoſo tempore ius vllũ prætenderint, & licet ad ea petiuerint admitti; non tamen ſint admiſsi, qui haud dubie, ſi ipſis aliquod ius in aliorum ſui Ordinis Monaſteriorum bona fuiſſet, citra grauem iniuſtitiam inde excludi non potuiſſent, *vt ſuprà q.2.*pluribus inculcaui. At cum citra vllam iniuſtitiam exules non ſint admiſsi ad alia Monaſteria ſui Ordinis, ſequitur ipſos non habuiſſe ius ad illa Monaſteria, *Conſequenter* nec alios ex alijs Monaſterijs eiuſdem Ordinis habere ius in huius Monaſterij nunc emortui bona.

Quod ſi dixeris, ex fundatione apparere, eſſe legatũ familiæ, Ideoq; reliquos ex Ordine tanquam ex familia, ius ad illud ſibi quæſiuiſſe, *Inſtantia*

RESPOND. ego ad Antecedens, illo caſu idem ſtatuendũ eſſe, quod de fideicõmiſſo familiæ. Vide Graſſ. §. *Legatum q.41.* Huc accedit, quod quãdo teſtator legat aliquid ſimpliciter familiæ, intelligatur de his, qui ſunt in domo, non verò de alijs. Mantic. *d. l.n.5 & n.11.12.& ſeqq.* Vnde ſi teſtatores legarunt aliquid ſimpliciter familiæ S Benedicti, vtique intelligendi ſunt legaſſe ijs, qui ſunt in hac domo, nõ verò alijs, maximè cũ literæ fũdationũ doceãt eiuſmodi legata pro fratrib. ſub regula S. Benedicti eo in loco *Reſponſio ad Inſtãtiam.*

procu-

procurandis vel famulantibus facta fuiſſe, vt videre licet apud F. Rom. *q. 1. n. 58.* vbi ait, id ipſum loquuntur literæ fundationum. Nobis occurrit diploma Henrici IV. Imperatoris apud Mart. Mager. *c. 9. de advoc. arm. n. 624. & 625.* aſſerentis, quod Comes Adelbertus Monaſterium Hirſaugienſe reſtaurauit pro fratribus ſub regula S. Benedicti IBI procurandis. & apud D. Gelenium in S. Engelberto, vbi VVichmannus Comes Eltinenſis Abbatiæ fundator Ludgardi filiæ ſuæ cæteriſque Virginibus Deo eo in loco famulantibus bona legat &c. Vide literas Ottonis I. de anno 968. Ind. XI. Anno eius regni 33. Imperij 7. &c. Vnde ſequitur fundationes teſtatas pro alijs aliorum licet eiuſdem Ordinis Monaſteriorum & locorum Monachis non fuiſſe factas. Ac conſequenter alijs aliorum eiuſdem Ordinis monaſteriorum monachis non eſſe ex fundatione teſtata in emortuorum monaſteriorum bona ius acquiſitum.

Anteced. part. prima coll.

Antec. pars ſec. quoad fūdat. inteſt. prob. 1.

7. Deinde alij ex alijs monaſterijs nec ex fundatione inteſtatā vllum ius obtendere queunt. Nam 1. F. Romanus hanc non videtur agnoſcere, dum vbique in aſtro ſuo & inter alia totâ fere *q. 2. n. 17. q. 3. n. 5. §. quocirca &c.* clamat, contra vltimas teſtatorum voluntates veniri, ſi monaſteria emortua non eiuſdem Ordinis Religioſis reſtituantur. Igitur vbique teſtatam vult eſſe fundationem, adeoque inteſtatam non agnoſcit.

Quod ſi tamen F. Romanus velit etiam dari fundationem inteſtatam, illa haud dubie facta erit vel per *donationem inter viuos*, vel *mortis cauſa*. Non per donationem inter viuos. Nam hæc eſt actio, qua quis rem aliàs ſuam nullo iure cogente licitè in alium transfert, vt ſit eius propria Hoſt. *in ſumm. decret. de donat. n. 1. per l. donationes* 1. *l. donari 29 ff. de donat. l. donari ff. de R. I.* Illa autem actio eſt vel ſtipulatio aut promiſſio proprie dicta ex liberalitate promittentis profecta, cum intentione ſe ex iuſtitia obligandi alteri, ſeu pactum veſtitum iure Novell. *162. c. 1.* de re liberaliter in aliquem transferenda. Laym. *lib. 3. theol. mor. tract. 4. c. 12. n. 1.* Leſſ. *lib. 2. de iuſt. c. 18. dub. 2.* Azor. *tom. 3. inſtit. mor. lib. 11. de donat. cap.* 1. Treutl. *vol. 2. diſp. 14. theſ. 1. & theſ. 7.* & ibi Bacch. Vel eſt realis datio doni gratuiti *§. per traditionem Inſt. de rer. diuiſ.* Treutl. & Bach. *d. l.* Vnde duplex Theologis datur donatio, *Altera verbalis & imperfecta, quæ incipit à promiſſione*, vt ſi dicatur dono tibi equū meū, vel donatus ſit tibi equus meus, qui tamen abſens eſt, *Leſſ. Laym. dd. loc. Bacch. d. l.* vbi ait hanc metonymicè dici donationem; Altera REALIS & perfecta, in qua res, quæ donatur, etiam traditur, vt ſtatim fiat accipientis Leſſ. Laym. Bacch.

dd. loc. Prior Verbalis licet rei donatæ dominium non transferat (eo quod traditionibus & non pactis, rerum dominia transferantur *l.Traditiobus.20.C.de pact.*)parit tamen obligationem & condictioně ex lege Nov. *162.c.1.* ad rem donatario reipſa dandam. Laym. & Bacch. *dd.loc.* VVeſemb. *de donat. n.7.* Poſterior realis, rei dominium ſtatim in donatarium trans fert. *d. §. per traditionem. Inſt. de rer. diuiſ.* Atqui donationem verbalem alijs aliorum monaſteriorum monachis â fundatoribus factam, F. Romanus nuſquam probat, nec probare poteſt,quam tamen,ſi ea facta eſſet, probare tenebatur *ex l. cum de in debito 25. in pr. verſ. qui enim fouit. ff. de prob. &c.* |Vid Hunn. *in Encyclopæd. iur. part. 3. tit. 26. cap. vlt. n. 1. & 2.* Nec etiam donationem realem ijsdem factam,patet experiětia.Nam per donationem realem trāsfertur ſtatim rei donatæ dominium. *§.Per traditionem Inſt.de Rer.diuiſ.* Layman. *l.3.theol. mor. tract. 4. c. 12. n. 2. Leſſ l.2.de iuſt-c.18.dub.2.* Atqui in alios aliorum monaſteriorum monachos non fuiſſe vnquam translatum dominium,experientia comprobatur & ego *ſupra q. 2.* fuſe oſtendi. Igitur in alios aliorum monaſteriorum monachos bona emortuorum eiuſdem Ordinis Collegiorum non ſunt à fundatoribus donatione inter viuos translata.

Nec etiam fundatio inteſtata facta eſt per donationem mortis cauſa, pro alijs aliorum eiuſdem Ordinis monaſteriorum monachis.Nam alias illa donatio iiſdem argumentis, quibus inſtitutio, ſubſtitutio, legatum fideicommiſſum ſupra fuerunt impugnata, conficietur,per not. Schneid. *in princ. Inſt. de donat. & tot. tit.de don.cauſ.mort. verſ. in quibus conueniunt.& differunt legatum & donatio cauſa mortis n. 24.* Et quidem ex eo, quod in donatione cauſa mortis dominium à die mortis donatoris ipſo iure transferatur in donatarium abſque traditione *l. 1. in fin. iunct. l. ſeq. ff. de Publician.* Atqui à die mortis donatoris in alios aliorum eiuſdě Ordinis monaſteriorum monachos, bonorum illorum donatorū dominium non tranſijt,vt probatum eſt *q.2.* Igitur &c.

Vnde relinquitur, alijs aliorū Monaſteriorum monachis aliquod ius ad dicta emortuorum eiuſdem Ordinis Monaſteriorum bona nec ex fundatione teſtata nec inteſtata competere.

8. Denique ex nulla lege vel Canone poteſt oſtendi, quod alij vel omnium ſimul, vel aliquorum ſaltem monaſteriorum monachi habeant ius in emortuorum eiuſdem Ordinis non mendicantis Collegiorum à ſe inuicem non dependentium bona, vt ex Canonum & iurium allegatorum ſolutione patebit. Igitur nec Ordo nec Vnio non mendicans poteſt dici habere ius in Collegiorum eiusdem regulæ emortuorum à ſe inuicem non dependentium bona, Conſequentia *Ant.pars tert.de lege Can. prob.*

pro-

probatur; quia Ordo concretè sumptus nihil aliud dicit, quam omnia simul monasteria eiusdē regulæ, & Vnio, quàm aliqua saltem monasteria eiusdem Ordinis. IGITVR si nec omnia simul, nec aliqua monasteria habent ius in emortua eiusdem regulæ monasteria, etiam nec Ordo nec Vnio in illa eadem ius habebit.

CAPVT TERTIVM.

Soluuntur F. Romani argumenta cap. I. proposita.

1. *Alijs aliorum monasteriorum monachis non competit ius in bona huius monasterij emortui ex fundatione testata.*
Quæ sit fundationis ratio formalis aut finalis mouens proxime.
Aliqua monasteria fundata intuitu stēmatis personarum.
An fundatio monasteriorum monachis in quantum erant monachi, facta. n. 2.
F. Romanus sibi contrariatur.
Quod Clericorum officium?
Quod Monachorum?

2. *F. Romanus terminis valde abutitur, Monachos appellando membra regulæ, & regulam cum Ordine confundendo.*
Cuius intuitu fundatio sit monasterij, illi incorporantur bona.
Eiusmodi Bona non incorporantur toti Ordini, sed huius loci conuentui.
Ordo in concreto sumptus quid dicat?

3. *Monachus suo acquirit monasterio, & non alij, multo minus toti Ordini.*
Legatum Monacho transeunti ad aliud monasterium eiusdem Ordinis, illi & non priori Monasterio dicitur incorporari.

4. *Fundatio facta Monachis huius illiusue Ordinis, quomodo intelligatur.*
Certi ex Ordine veniunt ab Episcopo designandi.
Episcopus eo casu gratificari potest, cui vult.
A communi opinione in consulendo & iudicando non est recedendum.
Iudex contra communem iudicans, litem facit suam.

5. *Fundatio pro Monachis facta quomodo intelligatur?*

6. *De Fundatione pro familia S. Benedicti quid sentiendum.*

7. *Ad Clem. quia contingit. de rel. dom. respondetur remissiue ex q. 6.*

8. *Ad Dd. authoritatem, quod omnibus alicuius loci monachis mortuis alij ex eodem Ordine sit substituendi, respondetur remissiue ex q. 7.*

9. *Gloss sicut alterius 7. q. 1. vers. regugulariter, & regula hæc, quod beneficia regularia, regularibus, secularia sæcularibus sint danda, à F. Romano huc impertinenter allegantur.*

10. *Conc. Trid. sess. 14. de refor. c. 10.*

& c. cum causam 27.de elect.agunt de Collegio ex sistente, non extincto, vt probant illic subiectæ rationes.
F. Romanus suæ doctrinæ contraria tradit.

11. Deuolutio in Canonijs Monachalib.& Prælatura Monasterij omnibus illius loci Collegis mortuis locum non habet.
Nec in Ecclesf. non numeratis.
Electio tum actiua tum passiua obliqua seu deuoluta non datur, vbi nec datur directa.
Deuoluta electio quando detur?

12. Deuolui est verbum commune seu nunc directum, nunc obliquum.
Quid sit verbum directum.
Quid obliquum.
Quãdo verbũ deuolui directè accipitur, ineptè illi affingũtur conditiones deuolutionis prout hoc notat verbũ obliquũ.
Oppositorum opposita est ratio.

13. Panormitanus & Rebuff. quando tradunt, morte omnium de Collegio prouisionem deuolui ad superiorem, quomodo intelligendi.

14. Viuis huius Monasterij Monachis, quod alij ex alijs eiusdem Ordinis Monasterijs eligi possint in prælatum fit, quia sunt subiectum capax electionis passiuæ, non tamen ideo habent aliquod ius Monasterij.

15. Monachus Euocatus ex vno Monasterio in aliud vt illic officium aliquod gerat, tenetur ibidem de nouo profiteri.
Dominium passiuum Fr.Rom. est commentitium.

16. Textus & glo. in c. ne pro defectu. de elect. agentes de Prælato aliunde postulando, si dignus in loco electionis non reperiatur, agunt de Collegio exsistente, non emortuo.
Puniri non potest Ecclesia, quæ non exsistit.
F.Romanus malè argumentatur.

17. Locus Gal. 4. quod si filij, Ergo & hæredes.
Nihil ad rem nostram præsentem facit, & si quid faceret, impugnat potius F. Romanum.
F.Romanus ostenditur abuti scripturis sacris.

18. c.inter quatuor. de rel. dom. cum inscriptione explicatur.
Ordinare quotupliciter in iure accipiatur.
Verba, quamdiu Monasteria per Regulares remanere potuerint ordinata, &c.explicantur.
Remanere quid significet?
In dubio à propria significatione non est recedendum.

19. Reformare in iure quid significet.
Vtrum hic significet ordinationem?
F.Romani acceptio refutatur.
Vox, seu, in iure quid significet & quotupliciter accipiatur nim.ampliatiuè, & exclusiue.
Reficere à facere quomodo distinguatur.
Reformare à corrigere quomodo distinguatur.
Verbum Reformare in quacunque significatione supponit de facto esse.
Reformatio est aliqua alteratio.
Alteratio requirit terminum à quo positiuum.
Casus d.c.inter quatuor proponitur & discutitur.

Ec-

Ecclesiam decet de virtute in virtutem progredi, & nu. 20.

20. De hac propositione Monasterium manebit ordinatum ex religiosis eiusdem professionis, quamdiu potest, quid sentiendum.

Legatum gregis quomodo intelligatur.

Benedictini quid respondebunt Hieronymianis, Augustinianis, Guilielmitis, Eremitis, &c. quorum Monasteria occuparunt. & n. 26.

Ratio illa, quod quæ semel Deo dicata sunt, non sunt amplius ad humanos vsus transferenda, nihil concludit contra Clericos sæculares.

Vitam mixtam agentes sunt præferendi ijs, qui vitam agunt merè contemplatiuam.

21. c. Cùm venerabilis de rel. domib. nihil ad rem præsentem facit, vt patet ex ipsius casus propositione & decisione.

22. c. relatum. ne Cler. vel Mon. breuiter discutitur.

23. c. Quæ semel sunt dedicata, 19. q. 3. discutitur.

F. Romanus illius textum immutauit.

Distinctio quæ sit inter maneant, & debent manere.

Vox Maneant dicit necessitatem legis.

At debent manere, dicit omnem necessitatem, siue ex natura rei, siue ex lege ortam.

Quod per se perpetuo mansurum erat, per accidens aliquando non manet.

d. c. quæ semel, nihil ad rem præsentem.

Nec enim agitur de re sacra profananda.

24. c. peruenit. il. 2. 18. q. 2. proponitur & discutitur.

F. Romanus omittit ex Canone, quæ ipsius euertunt intentionem.

Quod non est, non potest destrui.

25. Breue Innocentij III. ostenditur nihil pro Fr. Romano facere.

Quando dicitur, quod Ordo Monasticus, qui in aliquo Monasterio secundum Deum, & S. Benedicti regulam dignoscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur, intelligitur, per se loquendo, secus per accidens.

Perpetuitas sæpe per accidens impeditur.

Vox perpetuo quomodo accipienda.

Omnis dispositio intelligitur rebus sic stantibus, & in eodem statu permanentibus.

26. Regula, indultum à iure beneficium, non est alicui auferendum, quomodo intelligatur.

27. Ordo Religiosus quot modis accipiatur.

P. Forerus à Fratre Romano defenditur.

Vox Institutus in Iure quot modis accipiatur.

F. Romanus affingit P. Forero, quod ipse non docuit.

Institui & inuestiri quomodo differant?

Aſſumptũ F. Rom. negatur.

RESPONDEO negando Fr. Rom. aſſimptum, quod Ordini vel Vnioni competat ex parte tituli ſpes iuridica, aut vllum ius in dicta bona ex fundatione.

Ad prob.1. Reſp.1. 1. Et primo quidem Ad probat. 1. nego illis alijs deberi Monaſteria eiuſdem Ordinis emortua ex fundatione teſtata, vt *c.2.* oſtendi: eò quod nec titulo inſtitutionis, nec ſubſtitutionis aut alio aliquo ad ea vocẽtur: ſicuti omnibus Collegiatæ alicuius Eccleſiæ Canonicis & Vicarijs ex fũdatione inſtitutis ac poſt mortuis, alij aliarum Eccleſiarum Collegiatarum Canonici & Vicarij eiuſdem licet Vrbis & diœceſis ad emortuam Eccleſiam nec titulo inſtitutionis, nec ſubſtitutionis, aut alio quopiam vocantur. Igitur, &c.

Ad ea, Quæ Fr. Romani probationi conlungit; RESPON. Nihil contra allata facere, ſed petere ſolum rationem formalẽ aut finalẽ mouentẽ proximè (vt patet ex membrorũ à F. Rom. allegatorum oppoſitione, licet alias videatur etiam innui cauſa finalis non tam mouens quam impulſiua) fundationis primæ, ſub qua primi, qui adiere hunc locum, ſint inſtituti. Quicquid ſit, nos ad ſingula reſpondebimus.

NEGAT I. F. Rom. fundationem & donationem factam fuiſſe intuitu ſtẽmatis perſonarum in indiuiduo, vel natalium ipſorum Monachorum. RESPOND. ego, hoc in multis eſſe falsũ, quia cõplures fundationes factæ ſunt à principibus, Comitibus intuitu liberorum ſuorum, (vt patet ex fundatione Gerenrodenſi in ſylua Hercinia à Gerone Comite intuitu filiæ ſuæ Haduidis, de qua Dithmar. Merſpurgenſis Epiſcopus *in Chronici ſui lib. 2.* Eltinẽſi ad Rhenum à VVichmanno Comite reſpectu filiæ ſuę Ludgardis, &c. Heslingenſi diœceſis Bremẽſis ab Heddone Comite reſpectu filię ſuæ VVendilgerdis; Heruordienſi Quedlinburgenſi, &c. factis. Igitur, &c. Atque huic noſtræ reſponſioni ſubſcribunt ICti Dilingani *in tract. de compoſ. pacis. cap. 7. q. 51: n. 29.*

Hinc II. Colligitur, Fr. Romanum falli, quando negat fundationes factas intuitu illuſtrium perſonarum; cum quotidianus vſus contrariũ oſtendat.

III. NEGAT F. Romanus fundationem factam religioſis, intuitu prioris Monaſterij, ex quo ad hunc nouũ locum euocati erant profeſsi, qui nunc ſunt mortui. RESPOND. bene ſentire F. Romanum. Sed hinc ego contra ipſum ita argumentor: ſi fundatio facta eſt, vt vult F. Romanus, intuitu totius Ordinis, Igitur & fundatio erit facta intuitu ſimul prioris illius Monaſterij, Vnde euocati profeſsi. Cum & illud prius Monaſterium comprehendatur, in Ordinis aggregato. At non hoc, vt hic concedit F. Rõ. Igitur nec illud. Vnde palã eſt, vel F. Rõ. ſibi cõtradicere; vel propoſitionẽ paulò ante ab ipſomet allatam omnino euertere.

IV. NEGAT F. Rõ. Fundationẽ factã Religioſis, in quantũ erant purè Clerici RESP. ſi de prima agit F. Rõ. fundatio-

datione, non eam in omnibus obtinere Monasterijs. Nam multæ Ecclesiæ principio pro purè Clericis sæcularibus fuerunt fundatæ, quæ postea translatæ sunt ad Regulares, vt ipse F. Romanus testatur *q. 2. in resp. ad 3 n. 6.*

V. Denique asserit & ait F. Romanus Fundationem factam Monachis, in quantū erāt Monachi, siue mēbra huius illiusve Regulæ, vel Ord. Resp. hanc F. Rom: assertionem tacitè videri contrariam alteri, quâ voluit fūdationem non fuisse factam Monachis vt purè Clericis; adeoq; videri innuere, fundationem ijs factam, vt mixtim Clericis. Cum Religiosus quà etiam Clericus, & religiosus in quantum Monachus sibi videantur opponi apud S. Thom. *2. 2. q. 187. art. 1.* Vide F. Rom. *q. 2. astri n. 36,* Igitur, &c. Deinde si ex fundatione instituti Monachi, in quantū Monachi, qua ratione Fr. Romanus *q. 2. n. 36. & seqq. ac q. 8. n. 10. &c.* asserit, Monachos S. Benedicti posse suscipere animarum curam, docere, vel ad ea se offerre? Nisi velit neglectam aut mutatam fundatorū voluntatem; Cum Monachorum quà Monachorum sit non docere, sed sua aliorumuè peccata plangere, teste ipsomet F. Rom. *d. q. 2 n. 36.* ex S. Thom. *2. 2. q. 187. art. 1.* Quod si Fr. Romanus vult Monachos non neglecta nec mutata fundatorum suorum voluntate, posse docere; necesse est, cōsequenter adstruat, Monachos non qua seu in quantum Monachos, esse in fundatione institutos: quæ est propositio quintæ ipsius assertioni repugnans.

2. Tum etiam Nota, quod Fr. Rom. terminis valdè abutatur, quando Monachos vocat membra regulæ, & regulam cum Ordine confundit. Quis ita vnquā locutus est? Sed hac omissa logomachia, quomodo F. Romanus probat, Monachos, in quantum sunt membra Ordinis, in fundatione esse institutos. Hactenus ego eiusmodi nec dū audiui nec vidi. Ex ijs; quæ audiui, ita F. Rom. oppugno. Si facta fuisset fundatio pro Monachis, quatenus sūt membra huius Ordinis absolutè considerati, nec ad hunc locum limitati, adeoque pro ipso toto Ordine; consequenter facta fuisset incorporatio huius Monasterij toti Ordini. Cum *ex princip. F. Rom. q. 1. nu. 60.* Cuius congregationis intuitu fundatio fit, illi donatorum bonorum fiat incorporatio. Atqui non facta est incorporatio bonorum toti Ordini. Ergo nec fundatio toti Ordini est facta.

Minor syllogismi probatur. Quia alias facta fuisset incorporatio omnibus eiusdem instituti Monasterijs, quod falsū esse superius demonstraui. Igitur nec toti Ordini facta fuit illa bonorū incorporatio. *Cōsequētia* probatur. Nā vt suprà ostensum est, Ordo in concreto sumptus nihil aliud est, quā aliquod totū ex omnibus eiusdē regulæ Monachis & Monasterijs per accidēs aggregatū, sicuti exercitus, cui SS. Patres Ordinem religios. cōparāt.

3. Deinde si fundatio Monasteriorū dicitur facta toti Ordini; quę ratio est cur monachus huius Monasterij dica-

tur legatum,&c. in testamento relictũ,acquirere suo, & non alijs omnibus Monasterijs,seu toti Ordini *Auth. ingreßi.C.de SS.Eccl.* ADHAEC cur Fr. Rom.*l.cit.*negat,relicti vel legati incorporationem fieri illi Monasterio, in quo monachus prius fuit professus,atq; ex quo ad hoc Monasterium est translatus? Certè hoc signum est, bona ex fũdatione nõ acquiri omnib' ex eiusdẽ regulæ præscripto viuẽtibus monachis,ac Monasterijs seu Ordini.

Vnde consequens est, hanc indefinitã F.Rom. propositionem; Fundatio facta est pro monachis in quantũ erant monachi,veram non esse, si ipsa ex ratione superius allata ęquipolleat huic vniuersali;pro omnibus eiusdem Ordinis monachis,in quantum erant monachi,siue mẽbra huius illiusue ordinis facta estfundatio, quæ vt paulò ante ostẽdi,est falsa.Et nũ monasteria Guilielmitis,Augustinianis, Hieronymianis olim fundata, nunc verò à Benedictinis occupata, concedet Fr. Rom.omnibus illorum Ordinũ monachis concessa?iusque illis acquisitũ.

RESPONS.2. Si facta fuit subinde fundatio pro monachis huius illiusue Ordinis in genere (vt fieri potest validè in causa pia,per not. Dd.*in §. Incertis vero Inst.de legat.*illo casu non toti Ordini, sed certis ex Ordine religiosis ad hunc locum euocandis, eorumque substitutis facta intelligitur fundatio. Certos autem designabit Episcopus per not.Bonac. *in tract. de contract.disp.3.q.18.punct.4.num. 4. per l.si quis ad declinandam. C. de Episc. & Cleric. & Author. de Ecclesia. §. si quis autem.* Nam in dubio Monachorum euocandorum Episcopus aliquibus prę cæteris gratificari potest, qui ius acquirant per tradita à Grasso *in §. Legatum q.64.n.5.ex Host.& Dd.in c.indicante de testam.* & hanc communẽ dicit opinionem Capra *in tract. Regular.Regula 113.n.11.*à qua in consulendo & iudicando non est recedendũ. Euerard.*in loc.à contrar.sens.n. 43. per l.1.in verb. & crebrior. ff. de off. quæst.l. cum quidam.§.quod dicitur 2. ff. de acquir.hæred.* Vnde qui iudicat contra communem, venit puniendus. Pan. *in c.1.de constit.* eò quod iudex contra communem iudicans,litem facit suam Bart. *in l.fin. C. de pœn. iud. qui malè iud.*

5. Adhæc Monachi semel ad hunc locum admißi,cæteros aliorum Monasteriorum eiusdem Ordinis Monachos perpetuò excludunt, vt *cap. 2.* probaui.

Hinc sequitur *1.* Fundationem, quæ facta est pro Monachis, factam esse in effectu non pro Monachis vt sic in genere,sed vt huic loco à Superiore legitimo deputatis (sicut ordinariè fundationum literæ loquuntur;) qui ius in bona & bonis acquirant.

Sequitur *2.* Falsam esse F. Rom. consequentiam, quòd Ordo ex fundatione in dicta huius Monasterij emortui bona ius acquisiuerit.

6. AD CONFIRM. 1. RESPON. 1. Factam esse fundationem pro familia S.Bene-

S. Benedicti hoc in loco habitante, prout ipsæ fundationum literæ declarant, non autem pro toto Ordine.

Respons. 2. RESPON. 2. Etiam posito, quod facta sit fundatio pro familia S. Benedicti simpliciter, non tamen tunc omnium & singulorum eius Ordinis Monasteriorum Monachi censebuntur instituti per tradita *c.* 2. sed ab Episcopo designandi aut designati, vt paulo ante ostendi.

Instant. *Responsio.* Si dixeris, monachis huius loci mortuis, reliquos ex fideicõmisso vocari, iam tibi *q. 6.* respondebitur; à superiore legitimo substitutos ex fideicommisso vocari, non verò alios aliorum Monasteriorum, licet eiusdem Ordinis. Cum illi velut descendẽtes, hi verò velut collaterales se habeant. In fideicommisso autem familiæ, veniunt descendents, non verò collaterales *l. cum ita §. in fideicommisso. ff. de leg. 2.* vide supra *c. 2. hic & inf. q. 6.* Et si ex fideicõmisso familiæ veniũt collaterales qua ratione tui Benedictini exclusis Hieronymianis, Augustinianis Guilielmitis, horum Monasteria obtinuerunt?

Ex superius dictis falsa ostenditur Maior propositio Fr. Rom. si in ea accipiatur familia S. Benedicti pro omni Congregatione sub S. Benedicti regula viuente; vera autem erit, si familia accipiatur pro Congregatione aliqua particulari, ab Episcopo vel superiore legitimo designanda vel designata, eiusque substitutis, &c.

Ad Conf. 2. Responsio remissiua. 7. Ad Confirm. 2. ex Clem. *quia contingit, de rel. domib* infra *quæstione nostra 6. cap. 2.* respondebitur, vbi vide.

8. Ad probationem 2. qua asserit F. Rom. ex Dd. authoritate, emortuis omnibus alicuius Monasterij Monachis, alios ex alijs eiusdem Ordinis eandem regulam profitentibus esse substituendos, Respondetur infra *q. nostra 7.* *Ad proc 2. Responsio.*

9. Ad Confirmationem eius 1. ex glo. *in c. sicut alterius 7. q. 1. verb. regulariter desumptam*, RESPOND. Eam nihil ad rẽ nostram facere. Nam illic apud glos. statuitur, vt Ecclesia viduata suo Episcopo nubat alij in Domino, seu regulariter, id est, vt ait. *ibi.* glos. homini suæ professionis *per c. caue 28. q. 1.* quæ sunt aliena à nostro casu, vbi non tantum caput Congregationis, sed & ipse cœtus mortuus est. Apud glos. verò cœtus Ecclesiæ adhuc supererat. Cum dicatur nubere posse alij scilicet prælato & capiti, quod præcedens suum caput obijsset. Mortui autem non nubunt. DEINDE quòd si Ecclesia vidua ante habuisset Prælatum & Episcopum religiosum, num & illius successor erit eiusdem professionis religiosæ postulandus, cuius fuit antecessor? Sẽsus illius glos. est, vt vacantia beneficia regularia dentur regularibus, & sæcularia sæcularibus, quemadmodum prudentissimè constituit Concil. Trident. *sess. 14. de reform. c. 10.* At hæc nihil contra nos pugnant; quia nos agimus non de beneficijs & titulis vacantibus, sed extinctis, Igitur, &c. *Ad illius Confirm. 1.*

10. AD CONFIRM. 2. RESP. Eam nihil ad rem facere; quia loquitur

de Collegio adhuc exsistente; non verò emortuo, de quo nostra est disceptatio, vt palam est. PRIVS probatur ex subiecta Concilij Trid. *s. 14. de refor. c. 10. & c. cum causam. 27. de elect.* ratione, quâ astruitur, quod " non sit in boue arandum & asino, nec " quisquam debeat vestem induere de " lana linoque contextam *d. c. causam 27. de elect.* Velle autem arare in boue & asino, supponit vtrumque iumentum exstare & viuere; ita velle indui veste ex lana linoque contexta, supponit lanam linumque illic extare. Nam alias si alterutrum vel vtrumque iumentum, bos vel asinus, esset extinctum seu mortuum, non posset quis dici, velle illic arare in boue & asino; nec si alterutra vel vtraque vestis materia, lana vel linum, esset destructa, posset dici vestis ex lana & lino simul fieri. Quare quando Concilium Trid. & ius Canonicum cauent, ne vno in loco aretur in boue & asino, aut ne vestis ex lana linoque conficiatur, illud agunt, ne, quando alterum iumentũ, asinus v. c. adhuc illic extat ac viuit, alterum, bos, isthic illi adiungatur, hoc est, quando vno in loco religiosi alicuius Ordinis adhuc adsunt & viuunt, ne ijs quis alios sæculares adjungat. Vnde formatur hæc regula Iuris, quod beneficia sæcularia danda sint sæcularibus, regularia regularibus.

Adhæc miror hic F. Romani ingenium, quod cum *q. 1. n. 34.* Canoniam monachalem ex Azorio neget esse beneficium, nihilominus pro Canonia defuncti Monachi extincta argumentetur, ac si verum esset beneficium & quidem vacans. Adeoque sibi multifariam contradicat.

II. Ad Confir. 3. ex iure deuolutionis petitam RESPOND. I. Nihil contra nos concludere; quia vel agitur de Canoniis Monachalibus, vel de prælatura Monasterij. Si de Canonijs Monachalibus; iam deuolutio hic non obtinet. Nam licet in Ecclesijs Collegiatis & quidem numeratis strictè acceptis locum habeat deuolutio; non tamen in Ecclesijs nõ numeratis *c. ex parte de concess. præb.* Anton. de Butr. *de elect. in c. vacante n. 3.* ibi; in non numeratis non habet locum *c. 2. ne sed vac. seu* Concilium Lateranense. *& num. 16. ibid.* Atqui monasteria emortua fuerunt Ecclesiæ non numeratæ, vt probaui supra *q. 1. cap. 1. & 2.* IGITVR in moasterijs emortuis locum non habet deuolutio, adeoque ex iure deuolutionis nulli rationum radij peti possunt, qui astrum effictum collustrent. Nam vbi nulla deuolutio est, nec vllum deuolutionis ius, qualitates ac effectus locum obtinere possunt, cum non entis nullæ sint qualitates, nulli effectus. *l. eius qui in prouincia. ff. si cert. pet. l. quidam referunt. ff. de iure Codic. l. 1. Comm. præd. l. item eorum. §. sed si ita ff. quod cuiusque Vniuers.* *Ad quod Conf. 3. Resp.*

§. Quod si agatur de Prælatura monasterij, iam iterum non habet hic locum deuolutio; quia omnibus omnino de Collegio cum ipso Prælato

lato emortuis, illic nec est nec datur electio actiua vel passiua, directa. IGITVR nec potest illic electio dari obliqua seu deuoluta. Antecedens patet de directa electione actiua, quia hæc penes monachos illius monasterij esset *c. 1. de elect. c. congregato 16. q. vlt.* id est, electores iure proprio essent monachi illius monasterij congregati. At non sunt; cum ponantur omnes mortui. Igitur non datur directa electio actiua. Nec etiam passiua datur istic electio. Nam hæc itidem iure proprio *ex c. Abbate de V. S.* esset penes Monachos illius Monasterij, vt citati docent Dd. id est, monachi illius monasterij essent eligendi, modo digni sint; vel si aliunde assumantur, tum hi illic de nouo vt profitentur, necesse est. *d. c. Abbate.* At hic nulli omnino monachi dantur; cum ponantur omnes mortui, nemine omnino superstite. IGITVR nec electio passiua hic locum habet. CONSEQVENTIA probatur. quia electio deuoluta supponit ius proprium directum. Nam electio deuoluta non datur, nisi persona intermedia, (cui iure proprio ac directo competit eligere,) vel iure non potuit *v. c. propter delictum*; vel si potuit, tempus electioni præscriptum neglexit, vel si non neglexit, indignum elegit. Gonzalez *in prom. ad reg. 8. Cancell. glo. 5. n. 144.* Et arguit ipse titulus de supplenda negligentia prælatorum, vnde deuolutionis conditiones Dd. desumpserunt. Proinde cum hoc in casu nostro non detur electio propria &, directa; nec dabitur electio deuoluta seu obliqua, cum conditionibus electionis directæ.

12. Et quamuis verbum deuolui sit commune, seu nunc directum, nunc obliquum Bart. *in l. centurio in 54. ff. de vulg. & pupill. substit.* Felin. *in c. in præsentia n. 2. de probat.* tamen hac in materia est verbum obliquum; non directum, per rationem modo allatam. Cum verbum directum sit, cuius virtute aliquid alicui sine intermedia persona præcedente defertur; Verbum verò obliquum sit, quando res illa defertur intermedia persona præcedente. Felin. *in c. in præsentia n. 2. de probat.* *Instant.* *Resp. 1.*

Et posito quod verbum deuolui, acciperetur tanquam verbum directum, ita vt directa prouisio, seu quæ iure proprio competit, dicatur spectare ad superiorem Episcopum, vel Papam, quid inde? *Resp. 2.*

Quod si illi conditiones deuolutionis, prout hæc notat verbum obliquum, attribueris, de quibus supra; non nisi ineptissime egeris, vt patet ex terminis. Cũ oppositorũ opposita solat esse ratio *l. fin. §. fin. ff. de legat. 3.* Atqui deuolui directo seu deferri iure proprio; & deuolui oblique, seu deferri iure deuoluto sunt opposita. IGITVR. &c.

13. Panormitanus *in c. nullus in Ecclesia. de elect. n. 10.* & Rebuff. *de deuolut. n. 18.* aguni 1. de prouisione beneficiorum, vt ostendunt ipsorum verba superius allegata. Atqui Cano-

niæ Monachales non sunt F. Romano beneficia *q. 1. sub n. 33. in respons. ad 1. argumentum in princ.* IGITVR Panormitanus & Rebuffus non agunt de Canonijs Monachalibus, earumque institutione; adeoque impertinenter huc â F. Romano adducuntur.

2. Posito etiam, quod Canoniæ Monachales sint beneficia; tamen nihilomagis nobis obest Pan. sicut nec Rebuffus. Nam vterque agit de eo casu, quo Episcopus nomine Collegij eligit Prælatum; adeoque agit de prouisione Collegij, quod vel adhuc actu est, vel habitu. Actu quidem Collegium intelligitur, superesse, & quidem si illud sit numeratum, quando omnibus de Capitulo mortuis, supersunt alij Canonici admissi tantum ad residentiam, non ad Capitulum. Sin vero illud sit Non numeratum; quando mortuis omnibus, qui ius eligendi Prælatum habent; supersunt alij, quibus iura eligendi non competunt &c. Boer. *de elect.*

Habitu Collegium esse intelligitur si mortuis omnibus de Collegio spes iuridica adsit similis Collegij reparãdi, vt quia adhuc nouitij submissi super sunt, qui ius eligendi nõ habent Boer *de tract.* quemadmodum matrimonium in spe dicitur, esse, quando sponsalia sunt inter sponsum sponsamque celebrata. Bart. *in l. si vxor. §. 1. ff. ad l. Iul. de adult.* Vnde Bald. *in procem. ff. col. 2.* bene definit spem instaurationis tunc adesse, quando illa fundatur in aliqua causa exsistente de præsenti, ex qua possit restaurario; vel si nec Nouitij supersint, à superiore legitimo, ipsi Ordini per promissionem spes instaurationis iuridica iniecta est.

Atqui in hoc casu nostro nec actu superest Collegium, nec habitu; cum non adsit vlla spes iuridica similis omnino Collegij reparandi, fundata in causa exsistentè de præsenti. Igitur. &c.

Et licet Panorm. *d. l.* proponat casum, quo mortui omnes de Collegio, intelligitur tamen vel de morte omnium Capitularium; (cum collegium & Capitulum quoad electionem videantur æquipollere gloss. *pragm. sanct. de electión. cap. sicut. §. quanta. in verb. Collegium. pag. mihi 110.*) vel etiam de morte omnium Collegarum de Collegio decedentium cum d. spe iuridica. Nos verã agimus de omnibus omnino mortuis sine spe iuridicâ, adeoque hic casus noster à præcedentibus est separatus. Ab vno verò separatorum ad aliud non fit illatio Euerard. *à separat.* CONSEQVENTER illatio confirmationis 2. *supra cap. 1.* proposita est nulla, suaque sponte ruit.

14. At instabis. Viuis adhuc monasterij nunc emortui monachis, ante desolationem si inter eos dignus non reperiebatur prælatus, ex alijs monasterijs erat is postulandus. *text. & glo. in c. ne pro defectu. de elect. c. cum singula de præb. in 6.* Igitur mortuis etiam post desolationem huius monasterij monachis, ex alijs erit quis *Inst.*

postu-

postulandus Prælatus; adeoque habebunt illi alijſius saltem pasiuę electionis; quod cum nec per mortem, nec per desolationem ijs sit ablatum, imò nec auferri posſit; Cum id quod nostrum est, sine facto nostro, ad alium transferri nequeat nec alicui per alterum iniqua inferri debeat conditio *ff. de R.I.* IGITVR adhuc penes illos alios erit ipsum ius pasiuæ electionis.

Si quæras, penes quos? RESPONDES Non quidem penes singulos, sed penes omnes simul & coniunctim. Fr. Rom. *d. q. 1. n. 6. 42. maximè n. 59.*

Responsio Ego RESP. Negando consequentiam. Nam inde tantū sequitur, quòd alius in alia Ecclesia sit subiectum capax electionis pasiuæ, sicuti quando in vacante Ecclesia Cathedrali vel Metropolitana dignus non inuenitur, qui eligatur in Prælatum vel Episcopum aut Archiepiscopum, aliunde aliquis postulatur Prælatus ex Capitularibus, qui tamen propterea nec vt singuli, nec vt coniuncti, dicuntur habere ius electionis pasiuæ in Ecclesiam hanc vacantem.

Confir. Responsio. 17. Et Confirmatur ex eo, quod Abbas vel Prior aliunde postulatus vt ius aliquod habeat in hoc Monasterio independente, ad quod euocatur, de nouo debeat illic ante profiteri *per text. expreſ. in c. Abb. de V. S.* Vnde sequitur, non morte omnium alicuius loci Collegarum, in alios aliorum Monasteriorum eiusdem Ordinis Monachos ius aliquod esse translatum; quia alias non esset opus, vt illud ius nouâ in hoc Monasterio profeſione trāsferendi acquirerent, si ipsum ante haberent. Cum quod semel alicuius est, amplius ipsius fieri nequeat. *§. sed si rem. 10. Inſt. de legat.*

Atq; hinc patet, commentitium omnino esse Dominium pasiuum, quod ex superiori fundamento Fr. Romanus *ſup cit. loc.* Ordini conatus est asserere.

16. Quod affertur ex text. & glos. *in c. ne pro defectu. de elect.* de postulando aliunde prælato, si alicubi dignus nō reperiatur; planè huc impertinens est. Cum illic supponatur Collegium adhuc existere, quod hîc amplius non adest. Ideoq; hic frustra quæritur de postulando aliunde prælato, vt supra ex Baldo *in proœm. ff. n. 2.* notaui. Antecedens probatur. Nam glossa illic asserit, quod licet electio actiuè sūpta, propter negligentiam eorum, qui in Ecclesia viduata Pastore suo seu Episcopo, eligendi potestatem habebant, nec infra tres menses elegerunt, deuoluatur ad superiorem; tamen electio passiuè sumpta penes ipsam Ecclesiam viduatam maneat, eò quod bene ex ipsa posſit eligi Prælatus vel Episcopus. Ita enim ait glos: Sed quare dicitur hic, quod Metropolitanus eligat de eadem Ecclesia, cū ipsi perdiderint ius eligendi? Respondeo. Ipsi perdiderunt ius eligēdi actiuè, id est, quia ipsi non possunt eligere: sed non pasiuè; quia bene possunt eligi: Et satis puniūtur in hoc, & non debēt propter hoc dupliciter puniri; quia pœnę restringendæ sunt. *de pœnit. dist. 1.* Vn-

de patet illic agi de Ecclesia adhuc existēte, licet vidua; & in qua adhuc sit, qui possit eligi. Cū ipsa illic dicatur, electionē quidem perdidisse actiuam, atque ita puniri; non tamen passiuam, ne dupliciter puniatur. Igitur ipsa Ecclesia debuit adhuc exsistere; Quomodo enim aliàs, si non amplius extaret, ipsa diceretur, non debere dupliciter puniri, & retinere electionem passiuam, seu vt ex ipsa eadem eligatur Prælatus. Num non Entis erunt aliquæ qualitates vel effectus?

Deinde quænam, quæso, hæc est consequentia? Ecclesia, electione actiuâ propter negligentiam priuata, retinet adhuc electionem passiuam. Ergo Ecclesiâ aliquâ Religiosorum emortuâ, alij aliorū eiusdem Ordinis Monasteriorum Monachi, seu totum aggregatum Monachorum illius Ordinis habebit adhuc ius in dictorum Religiosorum defunctorum bona. Scopæ profectò dissolutæ.

Ad prob.3. ex iure diuino. Respons. 17. Ad prob.3. ex Gal.4. desumptam Respond. Ex illo loco ostendi; Fr. Romanum nihil ad rem dicere vel afferre, sed tantum iuribus abuti; sicuti hoc loco Scripturæ Sacræ abutitur. Nam Apostolus ex hoc antecedente, quod Christiani probi sint filij Dei, concludit, Ergo & hæredes salutis æternæ. Atq; hic non agimus de hæreditate salutis æternæ, sed de hæreditate bonorum temporaliū Monasterij emortui. Igitur locus ille nihil ad rem. Nam alioqui simili modo argumentarer. Omnes omnino Christiani sunt filij Christi, Ergo omnes omnino Christiani sunt & hæredes bonorum temporalium, in quæ Christus habet Dominiū. Quod consequens cum sit falsissimum, ideo cū vero antecedente nullam potest habere connexionem. Nec enim ex vero in bonâ formâ potest vnquam sequi aut concludi falsum, nedum falsissimum. Multo minus ex eo, quod omnes Monachi Ordinis S. Benedicti, sint filij, S. Benedicti, scilicet spirituales; sequetur, Igitur omnes Monachi Ordinis S. Benedicti sunt etiam hæredes bonorū temporalium, quę habuerunt alij filij spirituales S. Benedicti. Nam consequens hoc nullam cum antecedente habet connexionem. Ad haec in bonis Ecclesiasticis successio hæreditaria non habet locum, vt probaui *sup.q.1.c.4.* Ergo nec in bonis emortuorum Monasteriorum, de quibus hic agimus, datur successio hęreditatia; adeoque eam Monachi eiusdem Ordinis prætexere nequeūt. Deinde considerato hoc dicto S. Apostoli, prout à ICtis vsurpari solet, ac posito etiam, non concesso, quod detur in bonis Monasteriorum emortuorum successio; non ea tamen successio hoc casu nostro foret tanquam filij. Quia monachi aliorum Monasteriorum respectu Monasterij eodem in Ordine emortui, cui succedere volunt, non sunt filij, sed potius fratres, aut quasi ex his descendentes, adeoq; collaterales. Igitur monachi aliorum Monasteriorum non tanquam filij succederent monachis monasterij emortui. Vnde Consequenter

ter infertur, locum Gal. 4. tanquam ad rem præsentem non facientem, hic à Fr. Rom. allegari.

Ad prob. IV. Resp. 1. 18. AD PROB. 4. Ex sacris Canonibus desumptam RESP. 1. Generatim ex allegatis sacris Canonibus, siue cõiunctim, siue diuisim sumptis nõ posse ostendi, Ordini vel alijs aliorum Monasteriorum monachis competere vllum ius in bona emortui in eodem Ordine Monasterij. Et quidem quod cit. Canones coniunctim sumpti illud non ostendant, probatur ex eo, quia ipsi agunt de separatis & diuersis materijs, vt patebit ex responsione ad singulos allegatos Canones, adeoque nec diuisim nec coniunctim sumpti Canones Ordini ius ad rem tribuunt. Quod vt manifestius euadat, ad singulos me conuerto Canones.

Ad c. inter quatuor. de rel. dõ. Ad c. inter quatuor, *de relig. domib.* vbi statuitur, vt quamdiu Monasteria per regulares remanere potuerint ordinata, non sint ad sæculares Clericos transferenda, priusquam respondeam, pro solutione.

Notab. Ordinare quid significet. Notandum est, quod verbum ORDINARE variè in iure accipiatur, vt videre licet apud Rebuff. *in rubr. de regia ad prælat. nomina. facienda. §. 1. in verb. Ordinemus. lit. b.*

Nam significat 1. Disponere & quasi in Ordinem redigere, *per illum text.* Ita dicitur Ordinari lis, iudicium, &c. 2. Consecrare *c. quia diligentia. de elect.* 3. Benedicere *c. 2. de testa.* 4. Ordines conferre, *c. Episcopus de præb. c. Episcopus 24. dist.* 5. beneficium conferre *c. si tibi absenti, de præb. in 6. c. nulla c. pen. de concess. præb. glo. in c. super eo. de off. delegat.* 6. Instituere *c. 1. 16. q. 5. & ibi glo.* 7. Vel prouidere *c. nullam 18. q. 2.* licet glossa ibi exponat eligere, sed reijcitur à *Rebuffo d. l.* 8. eligere *c. cum in illis. & ibi Archid. de præb. in 6.* 9. Institutionem confirmare *c. 2. de arbitr. c. postquam, & ibi Præpos. 50. dist.* Vnde dicit glossa in verb. ordinationem, *in extrav. vn. de off. delegat. in commun.* Verbum hoc multum esse generale comprehendens quemuis modum, quo quis habet de re propriâ disponere iure suo, quod est notandum. vide text. & glo. *in l. sancimus 2. §. personis. C. de administrat. tutor.*

Hinc facilè ad d. can. inter quatuor. RESPONDETVR si verbum ORDINARE accipiatur, in 1. 5. 6. 7. significationibus, licet tantum in 6. vel 7. accipiatur à Fr. Romano, (reliquæ enim huc non spectant) dictum Canonem nostro à scopo alienum & separatum esse, quia ille agit de Monasterio ordinato, seu disposito, collato, vel etiam instituto, prouiso; nos autem de Monasterio NON ordinato, seu non disposito, non collato, nec etiam instituto, prouiso, sed potius ordinando, disponendo, conferendo, instituendo, prouidendo, &c. IGITVR, &c. *Responsio.*

Fortè inquies, Monasteria, de quibus est in dictis verbis quæstio, fuere olim, licet nunc non sint, ordi- *Instantia. Respons.*

nata. At huic obiectioni occurrunt allata verba *d. cap. inter quatuor.* Quamdiu Monasteria per Regulares remanere potuerint ordinata, &c. quæ inculcant persistentiam & durationem ordinatorum Monasteriorum. Nam remanere in propriâ & potissimâ significatione (à qua in dubio non est recedendum *l. non aliter 69. in princ. ff. de leg. 3. l. si is qui de exercit. act.*) significat persistere, perdurare *l. aliud est capere §. fin. ff. de V. S. l. tale pactum §. fin. ff. de pact. Rebuff. ad l. 67. & l. verbum reddendi ff. de V. S.* At quomodo potest dici remanere ordinatum, quod ordinatum non est, imò ne amplius quidem est?

19. Ais *q. 1. n. 16.* Titulum illius *c. inter quatuor.* aliud significare. Nam is *Instātia 2.* ita se habet; Locus religiosus debet reformari de religiosis duntaxat, non de sæcularibus, nisi in defectum religiosorum. Vbi nomen reformationis significat institutionem, prouisionem seu ordinationem, prout idem eodem in sensu vsurpat Abbas *in c. conquerente. de off. iud. Ord. sub n. 2. & in c. cum Ecclesia. de elect. n. 6.* & communiter ita intelligunt Can. & glos. *19. q. 3. c. statuimus. verb. quæritur.* quem sensum confirmat textus ipse, dum ait, Quamdiu Monasteria remanere potuerint ORDINATA, id est, prouisa, instituta &c. Nam ordinare Monachos, est illos creare; ordinare Abbates, est illos eligere, &c. 18. *q. 2. cap. Abbas.* Quamdiu (inquit Pontifex *in d. c. inter quatuor*) Monasteria per regulares remanere potuerint ordinata, non sunt ad sæculares Clericos transferenda. Sed si regulares defuerint, propter eorum defectum in eis sæculares Clerici poterunt ordinari. In quem locum dicunt hic glo. & Abb. quod quærebatur à Domno Papa, Vtrum Ecclesiæ regulares possint fieri sæculares. Et nota, quod Ecclesia debet semper reformari per homines eiusdem Professionis ait glo. cum communi. Itemque *7. qu. 1. sicut alterius. verb. regulariter & c. quæ semel 19. q. 3. in titulo c. possessiones de reb. Eccles. non alien.* quamdiu inueniri possunt regulares, nunquam ponendi sunt sæculares. Hæc F. Romanus *cit. loc.*

Notab. Pro solutione notandum est, quod verbum reformari, quo vtitur inscriptio seu titulus *d. c. inter quatuor,* non significet, vt vult Fr. Romanus, institui. Id enim ex nullo locorum ab ipso Fr. Romano citatorum probari potest. Nec contrarium ostenditur ex Pan. *in c. conquerente sub n. 2 de off. iud. Ord.* per hæc verba, institutio seu reformatio, &c. quia particula (seu) illic ampliatiuè debet accipi., vt loquitur glossa *ad pragm. sanct. de collationibus. §. videlicet in verb. seu,* per illum textum; ibi Magistris seu licentiatis. *c. nullus de tempor. Ord in 6.* non vero expositiuè, licet ita aliquando accipiatur, vt d. glossa *pragm. sanct.* ostendit. Nam hoc modo apud Pan. dicta particula (seu) nequit accipi. Aliàs oporteret dicere, quod vox institutio explicaretur per vocem informationis, quod esset absurdum. Nam ita vocabulum institutionis satis notum explicaretur per igno-

ignotam reformationis significationem, quam illi F. Romanus affingit.

Apud authores varie accipitur verbum REFORMARI; nemo tamen illud eâ, qua F. Romanus, accepit significatione. Nam apud alios

Reform. quid significet.

1. REFORMARE idem est, quod rescindere *ex l. interpositas. C. de transact.* vbi dicitur pactum reformari, id est, rescindi, secundum glo. & Barbos. *in collect. ibid.* Ita & pensio dicitur reformari, id est, nulla declarari apud Rebuff. *tract. de pacif. possessor. n.121.*

2. ABROGARE vel amouere aliquẽ aut aliquid, alio tamen substituto. Ita dicitur quis reformari in officio, quando illi abrogatur officium, *v.c. centurionatus, prælaturæ. &c.* & alius in eius locum surrogatur. Corset. *de potest regia. q. 2. &c.* Ita dicitur actio reformari, quando sublatâ primâ actione, noua ex pacto secundo producitur. Fortun. Garc. *in repet. l. iurisgentium. §. quinimo n. 6. de pact.* Ita dicitur cœtus reformari, quando ille amouetur, atque alius illi substituitur.

3. Disposita tollere non in totum, sed pro parte, vt ait glos. *in c. statutum in verb. reformandum. de rescript. in 6. ibid. à Franc. & Dd.* approbata. *l. iurisgentium. §. adeo. ff. de pact.* Dec. *cons. 174. sub n. 3. & in c. 1. in 2. lectur. de constit. n. 4. Rochus de visitat. ad Bullam Gregorij Papæ in verb. reformatorem.*

4. Quodammodo quasi innouare *l. iurisgentium. §. adeo. ff. de pact.* siue in materia *l. lectâ ff. si cert. pet. & ibi Dd.* siue in forma *l. vectigalia ff. de publican. & vectigal.* Et hæc est præcipua apud Legistas significatio. Vide glo. *in d. l. vectigalia.* Iason. *in d. l. iurisgentium. §. adeo. & in d. l. lecta. n. 2. ff. si cert. pet.* & ibi *in illius repetitione n. 2.* Hieronymus Burigellan. glos. *pragm. sanct. c. frequens. de auct. gener. Concil. in verb. reformat.*

5. Rei veteri aliquid addere. ita enim apud glossam *pragm. sanct. d. c. frequens. verb. reformat.* reformatio definitur, quod sit rei veteri facta additio. *arg. l. 3. §. pen. ff. de itin. actuq; priuat.* Vbi reficere ita distinguitur à facere; igitur à pari, reformare à formare distinguetur *gl. pragm. sanct. d. l.* Vide & Rebuff. *in rubr. de regia ad prælа nominat. facienda. §. 1. in verb. reformatis.* Rochus *in d. tract. de visitat. ad Bullam Gregorij Papæ. verb. reformatorem.*

6. Emendare, scilicet deformata *pragm. sanct. d. c. frequens. de auct. gen. Concil. in verb. deformata reformat.* Vel etiã mores, atque ita frequẽtius in iure Canonico accipitur Ant. de Butr. *in pr. c. sicut olim. c. 1. olim. de accusat.* Pan. *in d. c. conquerẽte, sub n. 2. de off. Ord.* Hac significatione dicuntur Monasteriorum fieri reformationes tum in capite, tum in membris. *Gregorius Papa in d. Bulla sua apud Rochum de visitat.* Et hoc sensu distinguitur verbum reformare à corrigere, quod reformare respiciat mores; corrigere verò defectus, excessus, vicia. Roch. *d. l.*

pragm. ſanctio. d. c. frequens. in verb. exceſſus corrigit, deformata reformat. &c. d.c. conquerente. & ibi Pan. n. 2. de off. ord.

VII. Quam illi affingit F. Romanus, ſignificatio, nec ex *d. c. inter quatuor* nec aliunde oſtendi poteſt, vt paulò ante monui, & refutatur à glo. *pragm. ſanct. d.l.*

Atque hæ omnes germanæ ſignificationes verbi reformari, ſupponunt de facto aliquod eſſe reale. Nam quomodo aliquid reſcinderetur, abrogaretur, alio ſubſtituto; aut deformatum reformaretur, ſi de facto & reipſa non eſſet. Num non Entis erunt aliquæ qualitates vel effectus? DEINDE reformatio dicitur aliqua alteratio apud Gozadin. *in repetit. l. petens. C. de pact. n. 2. per d. l. lecta. ff. ſi cert. pet. l. vectigalia. ff. de publican. d. c. irrefragabili. de off. iud. Ord.* Omnis autem alteratio requirit actu ſubiectum reale, habens terminum à quo poſitiuum, non priuatiuum *1. phyſ. c. 7. & de gener. c. 4.* IGITVR & reformatio requiret actu ſubiectum reale (quod in caſu cit. canonis erunt Collegij monaſtici perſonæ) habebitq; terminum à quo poſitiuum, ſeu aliquam qualitatem realem, quæ pro varia reformationis ſignificatione varia eſt, non verò terminum priuatiuum, ſeu non Enſ. CONSEQVENTER vbi fiet reformatio, ponetur aliquod ſubiectum reale, ſeu perſonæ exſiſtentes &c. realis aliqua qualitas naturæ reformationis v. c. in officio moribus &c. reſpondens.

Hinc omnino ſequitur, *d. c. inter quatuor*, neque quod ad textum ipſum, neque quod ad inſcriptionem, contra noſtrum caſum militare. cum illic, vt notant ibidē Dd. quæratur, Vtrum cœtus regularis, qui in illo loco eſt poſſit abrogari, & illi ſubſtitui ſæcularis, ſeu nū Eccleſia regularis poſſit conuerti in ſæcularem? ET RESPOND. ſecundum Dd. ibid. non poſſe, quia monaſteria debent remanere ita Ordinata, non verò reformari per ſæculares, accepto verbo reformari in ſecunda ſignificatione, eo quod deceat Eccleſiam de virtute in virtutem progredi; non verò à virtute deſciſcere. Quod ſi *in 4. vel 5. ſignificatione* verbum reformari accipiatur, vti accipi videtur in inſcriptione *d. c. inter quatuor*, quæ vult monaſterium reformari per homines eiuſdem profeſſionis, iam iterum ſupponitur, monaſterium ſeu Collegium monaſticum extare, quod ſubſtitutione nouæ & nouæ perſonæ quodammodo quaſi innouetur in materia, vt patet *ex q. 1. noſtra c. 1.* eiq; fiat quædam acceſſio, adeoque ſupponat Collegium adhuc exſtare; quod in noſtro caſu non amplius exſtat, adeoque conſequenter Collegiorum tituli erunt extincti. Nam vt Bald. *in prœm. ff. n. 5.* affirmat; ſi aliqua ciuitas deſtruatur, eo quod eius incolatus deſeratur, ibi deinceps non eſt ponendus Epiſcopus; quia vbi amplius populus fidelium non eſt, non poteſt eſſe Epiſcopus. Et conſequenter ibi Titulus Epiſcopalis non vacat,

vacat, ſed extinctus eſt. Si denique verbum reformare in ſexta accipiatur ſignificatione, quis eſt, qui non videat, monaſterium, id eſt, monaſticum Collegium debere extare, quod quoad mores ſit emendandum; cum non tituli, iura, lapides dicantur in moribus reformari, ſed perſonæ religioſæ Collegiatæ; quæ hîc nullæ adſunt. Igitur, &c.

20 Ex dictis nullo negocio ſoluitur hoc F. Romani argumentum;

Arg. F. Rom. ſolu

Monaſterium manebit Ordinatum ex religioſis eiuſdem profeſſionis, quamdiu poteſt. At quamdiu ſupereſt in orbe terrarum monachus illius Ordinis, tamdiu poteſt. Igitur quamdiu ſupererunt in orbe terrarum Monachi illius Ordinis, tamdiu monaſterium manebit Ordinatum. Quæ concluſio haud dubiè abſurda eſt. Nam quis vnquam dixerit, quod quamdiu in orbe terrarum ſupereſt aliquis Religioſus alicuius Ordinis non Mendicantis, monaſterium hoc, in quo nullus religioſus ſupereſt, dicatur remanere Ordinatum. Ecquis eſt, qui non videat abſurditatem; nim. quod quæ monaſteria non ſunt ordinata, maneant ordinata. An aliquid, quod non eſt, perſiſtere ac perdurare poteſt? Hæc concluſio igitur abſurda ex abſurdo oreitur principio alterutrius præmiſſarum. Non MAIORIS, quæ eſt Canonis & gloſſæ. IGITVR EX MINORE, quæ eſt F. Romani principium. Quodque hæc MINOR ſit falſa, oſtenditur ex ſimili. Nam ſi fuiſſet diſpoſitum à teſtatore, vt grex ouium legatus, quamdiu potuerit, maneat per oues conſtitutus; nemo niſi abſurdus dixerit, quod quamdiu in orbe terrarum aliqua ouis reperiri poteſt, dicatur grex ouium manere conſtitutus. Næ ab omnibus rideretur. Cum grex legatus dicatur extingui, quando nulla ouis ex ipſo grege ouium huius loci ſupereſt, licet alibi adhuc mille & mille ſuperſint oues. Quomodo enim nulla huius loci ſuperſtite oue poteſt dici adhuc grex manere. Grex igitur dicitur poſſe manere conſtitutus, quamdiu ex ipſo reliqua eſt vel vna ouis, vnde reſtituatur, non verò quando nulla. Ita & monaſterium tamdiu ordinatum manet, quamdiu potuerit. Poteſt autem manere ordinatum, quamdiu vnus ex congregatione illius reliquus eſt, vnde reſtituatur, vel certè iuridica ſpes ſubeſt ex parte ſubiecti, vt quia adhuc illic vel conuerſi ſunt, vel alijs eiuſdem Ordinis promiſſio à Superiore legitimo facta ſimilis Collegij reparandi; non verò quando vel nullus ex congregatione illa ſupereſt vel non ſubeſt ſpes eiuſmodi iuridica.

Et quid reſpondebit F. Romanus Auguſtinianus, Hieronymianis, Guilielmitis, Eremitis alijſque, ſi idem ipſi Ordini Benedictino argumentũ obijcerent; cũ hic ab illis plura obtineat monaſteria, *vt infra q. 6.* videbitur. Adhæc demus gratis, Canonem *inter quatuor. de rel dom.* agere etiam de ordinandis monaſterijs. At rurſum nihil contra nos. Quia tunc d. canon.

ſtatueret, vt monaſteria eſſent ordinanda per regulares eiuſdem profeſſionis,ſi aliquæ illic loci deficiant perſonæ,quod arguit verbum reformari, vt ſupra notaui:non autem ſi omnes omnino defecerint ; hic POSTERIOR, non PRIOR eſt noſter caſus.

Denique poſito, quod agretur illic de monaſterio emortuo,adhuc nihil nobis officeret,quia nos non agimus de quibuſuis ſæcularibus Clericis introducendis in monaſteria emortua, ſed de alijs alterius Ordinis Religioſis vitam actiuam cum contemplatiua coniungentibus, ac Clericorum ſeminarijs , quorum diuerſa eſt conditio , & pro quibus militat ratio. *d. c. inter quatuor* , tum illa aliquorum , quod quæ ſemel dedicata Deo, non ſint amplius ad humanos vſus transferenda ,(quamuis hæc ratio contra ſæculares Clericos non cōcludat, quo minus ad illos fieri poſſet monaſteriorum translatio, cum & ſæculares Clerici deputati ſint ad cultum diuinum, Card. *in d. c. inter quatuor.*)tum illa vera apud Card.*d. l.* nim. quod in via Dei de virtute in virtutem fieri deceat aſcenſum, non verò deſcenſum. *c. licet. de translat. prælа.*. At quando religioſi , vitam contemplatiuam & actiuam degētes, tum per ſe pirmò intendentes lucro animarum , in locum religioſorum monachorum vitam ſolum contemplatiuam agentium ſubſtituuntur, fit de virtute in virtutem aſcenſus. Et vitam mixtam viuentes,docet S.Thomas. *2. 2. q. 188. act. 7. O.* præferendos ijs, qui vitam merè contemplatiuam degunt,eo quod ad plura bona, vita eorum ordinetur , atque ipſorum actio ex plenitudine contemplationis proficiſcatur.IGITVR &c.

Pro ſeminarijs iam ſatis ſuprà egi, quæ hic non repeto.

Ex dictis relinquitur neque ex textu *d. c. inter quatuor.* neque ex gloſ. eius oſtendi , ullum ius aliis aliorum monaſteriorum ex eodem Ordine in dicta emortua monaſteria competere. ***Illatio.***

21. Ad cit. *c. cum venerabilis,de relig. domib.* RESPOND Illud cap. nihil ad rem facere. Cum illic Abbas Farbienſis & conuentus adhuc viuant , & quæſtio ſit, vtrum Epiſcopus Sabinenſis non tantum in ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus,puta decimis, penſionibus contra dictum Abbatem , & conuentum Farbienſem obtinere debeat.

Ad c. cum vener.de rel.dom. Reſp.

RESPOND. Epiſcopum in ſpiritualibus contra Abbatem & Conuentum obtinere ; non vero in temporalibus. Vid. gloſſ. hîc *& ibid.* Collectar. Iuris.Innoc. Card. & alios. At nos agimus,quando nec Abbas, nec Conuentus loci alicuius religioſi viuit. Igitur *d.c. cum venerabilis.* nihil contra noſta aſſerta facit.

Ad c.rel. ne Cler. vel mon. Reſp.

22. Ad *c. relatum , ne Cler. vel Monach.* RESP. Illud agere de monaſterijs adhuc ordinatis per monachos incorrigibiles. At nos de Monaſterijs emortuis , vtrum tunc alij aliorum eiuſdem Ordinis monaſteriorum monachi in ea habeant ius , quæ præ-

quæstio *in d. c. relatum.* non attingitur, ideoque illud cap. nihil in rem præsentem.

Ad c quæ semel. 19. q. 3.

23. Ad cit. *c. quæ semel sunt dedicata 19. q. 3.* vbi dicitur, quæ semel sunt dedicata Monasteria Consilio Episcoporum, maneant perpetuo monasteria, & res, quæ ad ea pertinent, monasterijs reseruari oportet.

Resp. 1.

RESP. I. Hunc textũ à F. Romano in sententiis operi suo prĕmissis nõnihil esse immutatum. Nam isthic ita eum recitat. Quæ semel dedicata sunt monasteria cum consilio Episcoporum, perpetuo Debent manere monasteria. Atqui hæc duo maneant (quo verbo vtitur textus *d. c. quæ semel*) & debent manere (quæ F. Romanus loco prioris substituit) sensu differunt. Nam ex priori infertur tantum necessitas orta ex lege; Cum, maneant, sit verbum imperatiui modi inducens obligationem ex lege; At ex posteriori infertur omnis omnino necessitas, siue ea ex natura rei, siue ex lege oriatur. Nam deberi dicitur, quod vel naturali vel ciuili vel honorario iure peti potest. *l. 1. l. 3. ff. de constit. pec.* & ab inuito exigi *l. 108. ff. de V. S.* Proinde cum F. Romanus verbum imperatiui modi, maneant, immutarit in hæc verba, debent manere; sequitur ab ipso textum iuris esse immutatum.

Resp. 2.

RESPOND. 2. Hoc caput nihil contra nos facere. Quia per monasteria Deo dicata, illic intelliguntur Collegia Religiosa. iis enim seruãtur res ac bona. Prohibet autem *d.* canon, ne Collegia Religiosa aboleantur & substituantur homines sæculares, atq; ita monasteria fiant sæcularia habitacula, adeoq; ad vsus cõuertantur profanos, vt ex totius apparet Canonis cõtextu, qui pro eius intellectu semper est inspiciendus. *l. inciuile. ff. de LL.* Deinde Collegia religiosa perpetuo manebunt per se talia; per accidens tamen morte omnium Collegarum pereunt, atque exstinguuntur, vt *q. 1. c. 23.* ostendi. Consequenter inferri non potest, quod mortuis omnibus alicuius monasterij Collegis, alij ex alijs monasterijs eiusdem Ordinis habeant ius ad d. monasterij emortui bona. Ne alias non Entis dentur aliquæ qualitates aut effectus, aut sine subiecto detur qualitas, contra *l. 4. in fin. de act. empt. l. 1. de hæred. vendit.*

Denique retenta etiam *in d. c. quæ semel,* verba, *debent manere*, sicut & in alijs Canon. *oportet*, intercedente, ex F. Romani suppositione, omnium Collegarum religiosorum huius loci obitu, impõnent quidem necessitatem Superioribus, ne monasteria aut loca Deo peculiariter dedicata transferant ad sæculares, nec ex ijs faciant sæcularia habitacula. Sed nihil contra nos. Nec enim nos agimus, vt loca pia transferantur ad vsus profanos, aut fiant sæcularia habitacula &c.

24. Ad *c. peruenit il. 2. 18. q. 2.* vbi ita scribentem inducit F. Romanus *q. 1. n. 16.* Pontificem. Peruenit ad me, quod in Ecclesia fraternitatis " tuæ aliqua bona dudum monasterijs " *Ad c. peruenit. il. 2. 18. q. 2.*

R con-

conſecrata, nunc habitacula aut Clericorum aut etiam Laicorum facta ſunt. Et paulo poſt. Proinde fraternitas tua hoc quolibet in loco factum ſit, emendare feſtinet, quia ego nullo modo patior, vt ſacra loca per Clericorum ambitum deſtruantur.

Reſp. RESPOND. Nihil illum Canonem pro alijs aliorum monaſteriorum eiuſdem Ordinis contra nos facere. Quia in hoc Canone S. Gregorius agit de Monaſticis Collegijs, quæ ambitu Clerici volebant deſtruere. Ait enim S. Gregorius, Peruenit ad me, quod in Eccleſijs fraternitatis tuæ aliqua loca dudum monaſterijs conſecrata, nunc habitacula Clericorum aut etiam Laicorum facta ſunt (NB. ſequentia verba, quæ omiſit F.Rom. quia euertebant ipſius ſcopum) dumque, hi qui ſunt in Eccleſijs, fingunt ſe religioſe viuere, monaſterijs præponi cupiunt, & per eorum vitas, Monaſteria deſtruuntur. Nemo enim poteſt Eccleſiaſticis officijs &c. & infra. Proinde (eſt nota illationis ex præcedentibus) fraternitas tua, ſi hoc quolibet in loco factum eſt, emendare feſtinet, quia ego nullo modo patiar, vt ſacra loca pro Clericorum ambitu deſtruantur. Hæc ILLE. Vnde patet illic adhuc extitiſſe monaſticum Collegium; cum illi ſæculares Clerici cupiebant præponi, ſeu præfici. Ideoque illic de ambitu accuſantur. Summus autem Pontifex illud fieri prohibet, & factum ſi alicubi, irritat, ne eiuſmodi malâ ſuâ vitâ, bonorum religioſorum mores corrumpant, atque ita monaſteria deſtruant. Vnde iterum concluditur, monaſticum Collegium illic adhuc extitiſſe, quia alias non poſſet dici deſtrui. Nam quod non eſt, non poteſt dici deſtrui *l. ſtipulatio 21. §. ſi quis autem in fin. ff. de nov. oper. nunc.* Proinde cum S. Pontifex agat de monaſterijs bene conſtitutis, pro Clericorum ambitu non deſtruẽdis, nihil contra nos facit.

25. AD PROBATIONEM V. ex Breui Innocentij III. ad Guilielmũ Archiepiſcopum Rhemenſem S. Sabinæ Cardinalem dato 5. Idus Maij, Anno Chriſti 1198. RESP. Illic S. Pontificem agere de Conuentuali Eccleſia efflagitatu Guilielmi Archiepiſcopi Rhemenſis in Cathedralem erigenda, vt conſtituatur illic Epiſcopus, relicto tamen, quod ibidem ante fuerat, Collegio religioſo, ita vt nunc à Priore regeretur, *vti in c. nouit. ne ſed. vac.* Cui prudentiſſimè timet ſummus Põtifex ab incommodis, quæ ex huiuſmodi Eccleſiæ religioſæ in Cathedralem erectione oriri ſolent, vt videre licet *in d. c. nouit,* & ibi Card. *n. 5.* Anton. *n. 11.* Innoc. *n. 1. ne ſed vac.* Ideoque ſubiungit Pontifex, ne fortè venire contra ſanctiones Canonicas videremur. At quid hæc ad præſentem quæſtionem, qua quæritur, vtrum in emortua monaſteria alij aliorũ eiuſdem Ordinis Monaſteriorum monachi habeant ius. *Ad prob. V. ex breui Innoc. Reſp.*

Inſtantia. Forte vrgebit F. Romanus, ſequentia il-

tia illic verba; quod sanctionib. Canonicis prouidâ fuit deliberatione statutū, vt quæ semel Deo dedicata sunt monasteria, semper maneāt monasteria cū & hodie generaliter statuatur, vt Ordo Monasticus, qui in aliquo monasterio secūdū Deū & D. Bened. regulam dignoscitur institutus, perpetuis ibidē temporib. inuiolabiliter obseruetur. VERū hinc data nostra responsio ad sanctiones Canonicas supra citatas confirmatur, quod illæ agant de Collegijs religiosis adhuc existētib. & inprimis *d.c.quæ semel 19. q.3.& d.c.int.quat. de rel. Dom.* in quib. omne robur suum F.Rom. collocarat.

Ad hodiernū generale statutū RESP. Illud PER SE loquendo, perpetuò obseruandū esse, nim. vt vbi Ordo S. Benedicti dignoscitur institutus, illic perpetuò maneat per se loquendo. Nā PER ACCIDENS interdū fit, vt Ordo illic deficiat & desinat esse, nim. si personæ, quib adhærebat perpetua institutio, in hoc loco sacro, emoriantur. Quippe vox PERPETVÒ, restringitur ad personas, quibus adhæret. Alciat. *resp. 95* Mynsing. *decad.14.resp.10.n.36.* Proinde si personæ, quib. inhærebat institutio passiua Canonica, emoriantur, desinet etiā per accidēs eius institutionis perpetuitas, vt supra *q.1.c. 2. & 3.* ex emphyteusi & feudo docui. Quin etiā, quod per accidēs sæpe impediatur perpetuitas, docet Alb. Brū. *in tract. de perm conc. 10. & in tract. de interitu. Hunn. in Encyclopæd. iur. part. 1. de rium* Igitur mirū nō erit, quod Ordo Monasticus, qui perpetuo hoc loci obseruandus erat, per accidens morte omniū huius loci Collegarū nullo omnino superstite dicatur exstingui. Accedit, quòd omnis dispositio intelligenda sit reb. sic stantib, & in eodē statu permanentib. Vnde mutatione cōditionis vel status, vel noua causa secuta mutatur, & variatur etiā dispositio, quantumuis hæc iurata fuisset. Barbos. *in loc.comm. lit C. nu. 59. & lit. B. n. 28.* post Tuschum *lit. D. concl. 502.* Albert. Brun. *in tract. de perman. concl. 5.* Atqui hoc casu mutata est cōditio Monasterij Personæ n. hîc institutæ omnes sūt emortuæ. Igitur, &c.

26. Neq; huic contrariatur regula, Indultū à Iure beneficiū, nō est alicui auferendū. *de R. I. in 6.* Quia practicè loquendo, indultū fuit hoc priuilegium Ordini Monastico, hic, non verò alibi, instituto & habitanti. Ait enim statutū, vt Ordo Monasticus, qui in aliquo Monasterio secundū Deū & D. Benedicti regulā dignoscitur institutus, perpetuis NB. ibidē temporib. inuiolabiliter obseruetur, quę est dispositio practica limitata ad personas Ordinis certo in loco institutas, ideoque limitatum respectu harum per sonarum hoc in loco institutarū producet effectum *l. in agris. ff. de acquir. rer. dom. l. cancellauerat ff. de his, quæ in testam. delent. l 2. vbi Bald. de seru. export. l. cui pacto. eod.* Vnde mortuis huius loci institutis personis alij aliorū monasteriorū, licet eiusdē religionis, monachi non possunt conqueri, quasi sibi priuilegium aliquod auferatur; cum illud idem numero huius loci non *Ad reg. Indultum Resp.*

non ſit alijs aliorum locorum Monachis indultum. Et quid F. Romanus, pro Benedictinis ſuis, Præmonſtratenſibus, reſpondebit, qui aliorum Ordinum Monaſteria obtinuerunt? Quicquid reſponderit, ſibi dictum exiſtimet. Annon & illi Ordines perpetuo inſtituti, & tamen nunc eorum habitacula ac bona habēt Benedictini, Præmonſtratenſes?

P. Forerus à F. Rom. defēditur.

27. Videamus nos, quæ circa hoc ſtatutum contra P. Forerum affert F. Romanus.

1. Tradit ipſe in d. ſtatuto vocem, *inſtitutum*, accipiendam de prima fundatione & introductione. 2. P. Forerum malè docere, inſtitutum idem eſſe, quod conſtitutum. 3. Eundem Canonibus affingere, quòd ad eum effectum, vt Ordo alicubi inſtitutus perpetuò ibidem maneat, requiratur, vt ritè ſit illic conſtitutus, & 1. quidem vt tantum habeat Religioſorum numerum, qui diuino obſequio ſufficiat 2. Vt ij religioſi congruenter regulæ approbatæ viuant.

Hęc F. Romanus, SED MALE. Nam 1. Ordo prout dicit omnes vnius Regulæ approbatæ congregationes, non eſt inſtitutus, vt inſtitui ſignificat primo gradu hæredē ſcribendo deſignari, ex *l. 1. ff. de vulg. ſubſtit.* Quippe Ordo ita acceptus, non eſt primo gradu deſignatus hæres. vt ſupra *c. 2.* probauimus, & F. Rom. *q 3. n. 5. §. quocirca* approbat. Vult enim ipſum fideicommiſſariū eſſe: Ideoq; negat ipſū Ordinem primo gradu eſſe inſtitutum hæredem.

Nec etiam Ordo, ſi accipiatur pro omnibus Congregationibus ſub vnâ regulâ approbatâ viuentibus, eſt inſtitutus, vt verbum inſtitui, in materiâ Canonica & feudali accipitur à Dd. & Dyno *in reg. beneficium. de R. I. in 6* Hoſt. Bern. in *c. auctoritate. de inſtit. verb. inſtituatur.* & quidē ab Hoſt. *in ſum. de inſtit.* pro præſentialiter poni & ſtatui in poſſeſsione, & vt diſtinguitur ab inueſtiri, quod etiam abſentē in poſſeſſionē introduci ſignificat. Hoſt. *d. l. ex c. adhæc. §. in quadā verò. c. vt noſtrū. de off. Archi.* Ita. n. falſum eſt, quod Ordo (id eſt), omnes congregationes ſub vna regula viuentes) ſit præſentialiter in poſſeſsionem introductus. Quod ſi ordo accipiatur Synecdochicè pro congregatione religioſa huius loci; & verbum inſtitutus intelligatur, prout præſentialiter eſt in poſſeſſione poſitus; rurſus noſtra probatur ſententia, ac F. Romani opinio impugnatur. Nā nos aſſerimus, quod quando dicitur, vt Ordo, vbi dignoſcitur eſſe inſtitutus, illic ſit relinquendus, illud ſit intelligendum de Ordine, ſeu cōgregatione illius loci, iſthic pręſentialiter in poſſeſsione poſita. Atqui hoc caſu noſtro Ordo ſynecdochicè sūptus nō eſt in poſſeſsione huius Monaſterij præſentialiter poſitus. Cum congregatio illius loci ſit omninò emortua. Igitur dictum ſtatutum nihil contra nos, ſed pro nobis contra F. Romanum militat.

Ad 2. RESP. falsò imponi P. Forero, quaſi velit, inſtitutum idem ſignificare, quod conſtitutum. Deinde. *Ad 2. Reſp.*

RES-

ius loci institutis personis alij aliorũ Monasteriorum licet eiusdem religionis Monachi non possunt conqueri, quasi sibi priuilegium aliquod auferatur, cum illud idem numero, hu-
RESPONDEO, Etiamsi P. Forerus illud asseruisset; non tamen malè. Nam verbum instituo etiam significat 1. constituo, vt videre licet apud Rebuff. *in l. verbis legis XII. Tabularum 120. ff. de V. S. ex l. qui luminibus. in fin. ff. de seruit. vrb. præd. l. fin. de in rem. vers. d. l. vectigalia ff. de publican. & vectigal. Mozz. de feud. tit. de substantia, seu requisitis feudi. n. 33.*

2. In Ordinem redigo *l. 3.* ibi, sed & si quis Saligineas virgas instituendi Salicti causa defixerit. *ff. arbor. furtim cæsar.* Rebuffus *dict. l.*

Sed quicquid sit de hac significatione, aio, vt Ordo perpetuis alicubi temporibus obseruetur, requiri. *Primum*, vt numerum Religiosorum diuino obsequio sufficientem alat, Dd. in *c. 2. de Instit. & in c. cum Ecclesia. de elect.* Deinde vt congruenter Regulæ approbatæ viuat. *c. relatum. ne Cler. vel mon.* Quòd si verò illi non conformiter, sed dissolutè viuat, per alterius Ordinis institutionem venit puniendus, vt supra ex Concilij Lateranensis III. appendice vidimus. Vnde patet, P. Forerum à F. Romano falso insimulari fictorum Canonum, & ipsum Fr. Romanum suam vbique in iure prodere imperitiam atque inscitiam. Sed illam præterire malo, quàm pluribus exaggerare.

Ex superioribus relinquitur, Ordini & Vnioni in Monasteria emortua non competere ius, ac consequenter nec vllam spem Iuridicam ipsa Monasteria emortua iure actionis persequendi atque obtinendi.

QVÆSTIO IV.

Ad quem bona emortuorum Monasteriorum spectent? Et quo modo?

CVm bona emortuorum Monasteriorum non pertineant ad alios eiusdem Ordinis Religiosos, vt præcedenti q.3. est demonstratum, quæritur nunc; Vtrum igitur dicta bona cedant fisco & quomodo? Absoluitur autem ea tribus capitibus. 1. proponitur Opinio F. Romani 2. Traditur vera Dd. sententia. 3. Opinio F. Romani refutatur.

CAPVT PRIMVM.

Proponitur Opinio F. Romani.

1. *Bona vacantia cedunt fisco & fiunt de patrimonio principis.*
2. *Ecclesia habet etiam fiscum.*
3. *Bona Ecclesiæ, Episcopo mortuo, remanent apud Superiorem velut in custodia.*
4. *Ius vocis actiuæ qui tantum habet, non est verus Dominus bonorum, quæ remotè respicit eiusmodi ius. Ita Fr. Roman.*
5. *Qui habent ius vocis paßiuæ, sede vacante, sunt veri Domini immediati in Ecclesiasticis, non tamen vt singuli, sed vt omnes simul & coniunctim sumpti, F. Rom.*

Arg.1. F. Romanus, quia nouit bona vacantia cedere fisco *tot. tit. C de bon. vac. & tot. tit. ff. de Iur. fisc.* ideo ne cogatur concedere bona emortuorum Monasteriorum esse verè vacantia, negat ea cedere fisco *q.1.n.48. 49. 52. &c.* eò quod quæ cedunt fisco, fiant de patrimonio principis *l.2.§.3.ff. ne quid in loc. publ.* At bona emortuorum Monasteriorũ non fiunt de patrimonio Principis; cũ & in ijs alij sint substituendi *q.1. n.52.* spectentq; ad Collegium, quod superior loco prioris substituet. Bart. *in l. sicut*

ficut. §. in decurionibus. ff. quod cuiusque vniuerſ. nom. F. Rom. *q. 1. n.* 40. 48. 52. &c. Igitur eiuſmodi bona non cedunt fiſco.

F. Romani reſponſio ad Dd. auth.

2. DEINDE idem F. Romanus *q. 1. n. 52.* concedit dicta bona cedere fiſco, ſi per fiſcum intelligatur ipſa particularis Eccleſia, quæ etiam fiſcum habere dicitur ſecundum Abb. *in c. quia diuerſitatem. de conceſſ. præb. n.* 14. Nam & Eccleſia comparatur fiſco in priuilegijs ſuis iuxta not. *in c.* 1. *de in integr. reſtit. & in l fin. C. de SS. Eccleſ.* vt inquit idem Abbas *in c. potuit. de locat. & conduct. ſub n. 8.*

3. Tum *q. 1. d. n. 52.* F. Romanus reſpondendo ad Dd. oppoſitorum authoritatem, ait, dicta bona ſpectare quidem ad Superiorem & apud eum remanere velut in cuſtodia, iuxta glo. *in d. c. præſent. de off. iud. ord in 6. verb. cuſtodiam & verb. reſeruari*, quin & futuris debere ſucceſſoribus fideliter reſeruari. *in d. c. præſenti, & c. eum vos. de off. ord.* Faciunt illuc verba ſextæ Synodi *c. 35.* Non liceat alicui Metro- » politano, mortuo Epiſcopo, qui ſub » eo eſt, aut res eius, aut Eccleſiæ ſuæ » auferre, ſed ſint ſub cuſtodiâ cleri Ec- » cleſiæ defuncti Epiſcopi vſq; dum a- » lius ordinetur Epiſcopus. Si verò » Clerici in Eccleſia non fuerint (a- » deoq; omnibus mortuis vacauerit E- » piſcopatus & omnes tituli Collegij) » tunc Metropolitanus illibata omnia » Epiſcopo, qui ibi ordinabitur, reddat » *12. q. 2. c. non liceat. il. 3.*

Concluſ. collectio.

4. Vnde concludit F. Romanus; Bona emortuorum Monaſteriorum non eſſe vacantia; *& nu. 59.* præmiſſâ diſtinctione inter vocem actiuam & paſſiuam, ſeu ius eligendi actiuè & paſſiuè, inquit; Ho- » rum iurium natura eſt, vt qui habet » ius vocis actiuę tantùm, non ſit ve- » rus Dominus bonorum, quæ remotè » reſpicit eiuſmodi ius: ſed ſolùm offert » illi poteſtatem aſsignandi aliquem v- » num ex multitudine habentium ius » vocis paſſiuæ: qui deinde virtute ta- » lis electionis ſeu Ordinationis con- » ſtituatur verus Dominus ſiue Admi- » niſtrator plenarius rerum Dominij. » Vnde is, ad quem fit deuolutio vocis » actiuæ, non fit Dominus loci, ſed E- » lector Sponſi Eccleſiæ duntaxat. Vbi » vero eſt ius vocis paſſiuæ, ſede va- » cante in Eccleſiaſticis, ibi eſt verum » rei Dominium, non quaſi ſinguli ha- » bentes electionem paſſiuam, ſint veri » Domini, ſed quia in omnibus ſimul & » coniunctim ſumptis reſidet immedia- » tius Dominium. Vnde conſequens » eſt, bona emortuorum Monaſteriorum non cedere fiſco. Videat igitur P. Laymannus, quomodo falsò bona deferens fiſco, in pœnam legis non incidat.

CAPVT

CAPUT SECUNDUM.

Proponitur vera Dd. Sententia.

1. *Fiscus quot modis accipiatur.*
Datur analogicè etiam fiscus in bonis Ecclesiasticis.
2. *F. Romanus P. Laymanno falsò impingit primam fisci significationem, qua signat ærarium principis.*
Fiscus ita acceptus in bonis Ecclesiasticis locum non obtinet ex Concil. Turon.
3. *Fiscus à P. Laymanno accipitur in secunda significatione pro Superiore.*
Idq; ex Dd. Bart. Pan. Ripæ, Nauarr. authoritatibus, quibus non satisfacit F. Romanus. &c.
Verba generalia generaliter sunt intelligenda.
4. *Exempla non restringunt regulam.*
5. *F. Romani distinctio, quod bona emortuorum Monasteriorum maneant apud Superiorem velut in custodia, non verò tanquam vacantia, euertitur à Pan.*
6. *F. Romanus sibi contrarius, nostram probat sententiam.*
7. *Bona Monasteriorum emortuorum olim exemptorum pertinent ad Papam non tanquam ad Dominum proprietarium, sed tanquam ad administratorem.*
Non exemptorum, ad loci Episcopum.
Bona eiusmodi veniunt à Superiore ordinariè restituenda ijs, qui substituuntur.
8. *Vox Religio dupliciter accipitur.*
In vno Ordine S. Benedicti dantur alij Abbates exempti, alij non exempti.
9. *Deuolui est etiam verbum directum.*
10. *F. Romanus sibi contradicit; illius responsio ad Nauarrum pro nobis, non contra nos facit.*
11. *Impugnatur F. Romanus ex Concordatorum verbis.*
Contractus ligant Papam, & Principes, imò Deum ipsum.
Ex Concordatis Germaniæ non aufertur Pontifici potestas prouidendi Monasterijs vacantibus de Abbate, &c.
Ad eum deuoluitur Ecclesiæ vacantis prouisio, cuius est electum confirmare.
Concordata agunt de Monasterio exsistente, non extincto.
Electiones si in qua Ecclesia fiunt, supponunt illam adhuc exsistere.
Talia intelliguntur subiecta, qualia prædicata demonstrant.
12. *Falsum est, quod si Pontifex prouideat Monasterijs non exemptis, ipse propterea ius prouidendi auferat Ordinarijs.*
Quod aliquis non habet, nec illi auferri potest.
13. *Pontifex ob plenitudinem potestatis potest concurrere cum Ordinarijs citra iniustitiam.*
Etiam in mensibus Ordinariorum.
Suo vtens iure, nemini facit iniuriam.

Concor-

Concordata tollunt tantum gratias præuentiuas.

14. Paragraphus, Cæteris verò dignitatibus, in Concordatis Germaniæ agit de monasteriis non exemptis &c.

15. Concordata Germaniæ agunt in locis citatis, de prouisione deuoluta & obliqua, non directa, nos verò de directa.

Nota ANtequam vera Dd. & P. Laymanni sententia in medium afferatur, NOTANDVM EST, quod FISCVS varijs accipiatur modis; 1. Propriè prout à Græcis definitur, Cophinus, in quo proscriptorum bona reponebantur; postea ærarium Cæsaris factum, in quo asseruabantur fiscalia bona, & fiebant quæstoria, atque hæc quæ olim erant populi, translata sunt in Regis substantiam.

2. Prout eo nomine significatur Princeps. 3. Procurator fisci. 4. Officium fiscale 5. Statio fiscalis. Vid. Cuiac. *ad rubr. C. de iur. fisc.* Quæ omnes acceptiones licet in rigore locum sibi in bonis sæcularium temporalibus vendicare videantur; attamen ipsæ bonis Ecclesiasticis analogicè applicantur. quandoquidem & ipsa Ecclesia dicitur fiscum habere *c. quia diuersitatem, & ibi glo. de conceß. præb.* Vid. Cuiac. *d. l.*

Quæstiuncula. 1. De fisco. 2. His positis QVAESTIO EST 1. quo sensu hic accipiatur, quando ob mortem omnium alicuius monasterij monachorum, dicuntur eius bona vacantia cedere fisco.

F. Rom. responsio falsa F. ROMANVS *q. 1. n. 52.* &c. P. Laymanno impingit primam significationem, quasi hic vellet, d. bona monastica illo casu deferri ad ærarium Ecclesiæ vniuersalis, eique appropriari, ac fieri quasi quæstoria. SED FALSO. Nam ipse P. Laymannus *Refutat:* in iustæ defensionis quæstione præambula in altero fundamento, ita negat cedere fisco; ideoque frustra F. Romanus ipsum ex eo capite oppugnat; Cum fiscus ita acceptus in his bonis emortuorum monasteriorum locum non habeat ex Concil. Turonens. *can. 25.* Videatur Anton. Augustin. *lib. 15. in epitome iuris Canon. de benef. c. 34.*

P. Laym. responsio proponitur & probatur ex ipso F. Rom. & Dd. 3. AT P. LAYMANNVS FISCVM accipit (vti accipiendum esse sequẽtia demonstrabunt) pro superiore, adeoq; in secunda significatione, quã illi & ipse F. Romanus concedit. Vult enim mortuis omnibus de Collegio Ecclesiastico, bona pertinere ad Ecclesiam vniuersalem, quæ est Romana, vel particularem & singularem ex Bald. *in Margarit. verb. mortuus,* id est, ad superiorem Ecclesiæ vel vniuersalis, qui est Papa, vel particularis, qui est Episcopus. Innoc. *in c. cum super de caus. poss. & propriet. n. 4.* Cum Laymanno faciũt Dd.

qui in genere definiunt, eiusmodi bona pertinere ad Superiorem; quos inter & Bart. *in l. vlt. n. 22. ff. de Coll. illic.* Hic enim præmissis varijs dissoluendorum Collegiorum modis (nimirũ omnium de Collegio voluntate, aut MORTE, nullo superstite *l. sicut §. vlt. ff. quod cuiusq; vniu. nom.* aut authoritate Superioris ipsum ob Collegarum „ delictum destruentis) subijcit. Si Col„ legia, inquiẽs, sunt, quæ possunt bona „ habere in communi, & nihil in parti„ culari, vti sunt bona religiosorum, in „ istis dissoluto Collegio remanent bona apud SVPERIOREM, vel cui ipse concesserit. VBI NOT. quòd Bart. hũc effectum remansionis bonorum apud Superiorem, indiscriminatim tribuat dissolutioni Collegij, quæ vtpotè generalis comprehendit & eam, quæ fit authoritate Superioris, & eam, quę morte omnium accidit. Ideoque dissolutio Collegij, quoad prædictum effectum generatim & indiscriminatim erit intelligenda; Cum verbum Generale generaliter quoque sit intelligendum *per l. fin. in fin. C. de dot. promiß. l. 1. §. Generaliter. ff. de legat. præstan.* Euerard. *à generalitate n. 2.*

4. Neque quod Bart. subijcit de destructione Corporis, vel Collegiorum Templariorum per authoritatem Superioris factâ exemplum, doctrinam & regulam Vniuersalem restringit, quia exempla non restringunt regulam, vt not. Euerard. *in loc. à rat legis largæ, n. 38. per l. 1. §. quod vulgo ff. de vi & vi armat. l. damni infecti stipulatio pertinet. ff. de damn. infect.* Huc facit, quod notatur *in l. 1. ff. vti poßidet, & in c. 1. ne Cler. vel Mon. §. 5.* Bartolo subscribit Pan. *in c. recolentes num. 3. de stat. mon.* Dic ergo, in- „ quiens, generaliter, cum quæritur, „ quid fiendum est de bonis Collegij, „ dissoluto Collegio. Nam quædam „ sunt Collegia, quæ non possunt bona „ possidere in particulari, vt religioso- „ rum, & in illis bona remanent apud „ Superiorem Collegij, qui dispo- „ nit de illis tanquam de vacanti- „ bus. *argum. l. 1. ff. de bon. damnat.* „ Ergo non tantum manent ea bona a- „ pud Superiorem tanquam in custodia „ (vt vult Frater Romanus *quæst.* „ *1. numero 2.*) sed tanquam verè vacan- „ tia. „

Idem in terminis quæstionis nostræ docuit Ioan. Franciscus Ripa *in l. quo minus, n. 107. ff. de fluminib.* Destructo *inquiens*, Monasterio, vt nunc (prô dolor) euenit in Alemania propter „ hæresin Lutheranam amittuntur iura „ Monasterij secundum Bald. *in* „ *prooem. ff. col. 1.* & bona applicãtur Supe- „ riori tanquam vacantia secundum „ Pan. *in cap. recolentes de stat. Mon.* „ & sic Papæ secundum Geminian. *in* „ *c. 1. in ver. confirmatas per illum text.* „ *in c. no. de rel. dom. in 6.* Hactenꝰ Ripa. „ Approbat quoq; idẽ Nauar. *in tract. de* „ *spolijs Clericorum §. 15. nu. 5. super cap.* „ *non liceat. 12. q. 2.* Infertur, *inquiens*, „ omnium bonorum Ecclesiasticorum „ & fructuum eorum administratio- „ nem, „

nem, quæ immediatè aut mediatè non est alij à Papâ concessa, pertinere ad illum.

Ex quo subinfertu, bona Ecclesiasticorum & fructuum eorum, quæ nunc reperiuntur in Angliâ & Germaniâ, destituta Catholicis administratoribus, pertinere ad sacrosanctam eius Maiestatem (id est ad Papam) QVONIAM CERTVM EST, illa non deberi alicui nunc alij per concessionem eius immediatam aut mediatam.

Resp. coll. 6. Ex dictis colligitur, Bona emortuorum Collegiorum Religiosorũ pertinere ad Superiorẽ Ecclesiæidq; ex sentẽtia Dd. antiquorũ & recentiorum; imò ipsius F.Rom.*q.1.n.51.* & alibi, licet sibi contrarius *ibidem n. 15. 52.* Bartolum aliosque citatos Dd. *& n. 45.* Ripã allatret, sed frustra, atque inaniter.

Quare stante Dd. conclusione, quod bona emortuorum Monasterio- pertineant ad Superiorem.

Quæstiuncula 2. QVAERITVR 2. Ad quem Superiorem & quâ ratione bona illa pertineant?

7. P. LAYMANNVS *iustæ suæ defensionis quæstione sua præambula in fundamento altero & in responsione ad V. argumentũ* RESPONDET, quod monasteriorũ emortuorũ olim exemptorũ bona pertineant ad Papam, nõ tanquã ad Dominũ proprietarium, sed tanquam ad administratorem: non exemptorũ verò monasteriorum bona ad loci Episcopum. Ratio prioris est, quia cum bona illa pertineant ad Superiorem, Et exemptorum Superior sit Papa; non exemptorum verò, Episcopus, sequitur bona exemptorum pertinere ad Papam; non exemptorum, ad loci Episcopum. Ratio posterioris est manifesta; quia mortuis omnibus de Collegio, bona veniunt restituenda ijs, qui pro Ecclesiæ bono atque vtilitate ab ipso Superiore, ordinario iure substituentur, vt tradunt communiter Dd. *infra q. 7. cit.* Igitur ea bona non spectant ad Superiorem tanquam dominũ proprietarium. Alias enim ea iure Ordinario sibi retinere posset. *Ratio prioris*

Idem respondit ante ipsum P. Laymannum BONACINA *in tract. de clausur. & pœnis, violatoribus ipsius, impositis. quæst. 2. punct. 9. §. 4. difficult. 2. propos. 2. n. 4.* vbi ait, si obiter quæras, ad quem pertineant bona religionis, quæ à summo Pontifice deleta fuit, AVT CVIVS RELIGIOSI OMNES EXTINCTI FVERVNT nullo superstite; RESPONDEO, dispensationem huiusmodi bonorum pertinere ad summum Pontificem, si loquamur de religione exempta: si verò loquamur de religione non exempta, sed Episcopo subiecta, pertinẽt ad Episcopum, non tanquam dominum illorum bonorum, sed tanquam dispensatorem bonorum vacantium. Ita Sanch. *l. 7. moral. instit. cap. 32. n. 58.* Azor. *1. part. lib. 12. cap. 16. q. 10. & alij.* *Conf. resp. authoritate Bonacinæ.*

Nota. 8. Vbi notandum, quòd RELIGIO illic accipiatur pro cœtu plurium vno aliquo in loco, in Ordine ad cultum Dei ſub certâ regulâ approbata congregatorum, & non pro omnibus per vniuerſum terrarum orbem ſparſis cœtibus ſeu conuentibus ſub eadem certâ regulâ ad cultum diuinum inſtitutis, vt ſupra oſtendi, *q.2.ſect.3.cap.1.* & arguit ipſa oppoſitio religionis exemptæ, & religionis non exemptæ, quæ oppoſitio nulla foret, ſi per religionem intellexiſſet totum Ordinem; Cum in vno eodemque Ordine S.Benedicti alia dentur Monaſteria exempta; alia non exempta; vt patet. Nã ex Benedictinis Abbates alij nuncupantur exempti, alij non exempti. Igitur religio illa abſolutè non poteſt vocari exempta, nec etiam non exempta. DEINDE ſi Bonac. *in cit. loc.* religionem accepiſſet pro conuentibus omnibus vnius Ordinis per totum mundum ſparſis, iam Bonacina religionem non exemptam malè dixiſſet Epiſcopo ſubiectã. Cum religio ita accepta, non Epiſcopo, ſed Epiſcopis foret ſubiecta. ADHAEC ſi Bonacina, vt modo dictum, eſſet accipiendus, quæſiuiſſet ipſe, de caſu metaphyſico. Cum vix accidat, vt omnes Religioſi eiuſdem Ordinis per vniuerſum mundum ſimul extinguantur. Quare vt hoc tanquam abſurdum euitetur, religio illic accipietur pro conuentu aliquo plurium vno in loco ad cultum Dei ſub certâ regulâ promouendum congregatorũ, eoque nunc per mortem extincto, qui caſus eſt ſecundus Bonacinæ à priore illo, quo â Pontifice deleta dicitur religio, diſtinctus, vt arguit particula diſiunctiua AVT *l. Hæc verba 124.ff.de V.S.l.ſi is.13.§.vtrum ff.de reb. dub.* Redoan.*de reb. Eccleſ. non alien. quæſt. 18. n.9.10.per c.1. de reb.Eccleſ.non alien in 6.*

Vnde hic ad duplicem quæſtionem, quarum *prior*, ad quem pertineant Bona religionis, quæ à ſummo Põtifice deleta fuit; *poſterior*, ad quem pertineant bona religionis, cuius Religioſi omnes extincti fuerunt, nullo ſuperſtite; Bonacina reſpondet; Bona religionis exemptæ ſpectare ad Papam; non exemptæ ad Epiſcopum. Et quidem ſpectare ad ipſos tanquam ad adminiſtratores, non tanquam Dominos proprietarios.

Idem ſentiunt Dd. quotquot mortuis omnibus de Collegio, tradunt prouiſionem illius deuolui (accepto hoc verbo, prout directum eſt) ad Epiſcopum, ſi Collegium non ſit exemptum; ſin exemptum, ad Pontificem. Pan.*in c.nullus in Eccleſia nu. 10.de elect.& in c.cum in cunctis §.Clerici ſanè n.6.de elect. & in Clem. quia regulares. de ſuppl.neglig.prælat.& in c.cum Eccleſia de elect.ſub n.9. & 10.* Rebuff. *in prax. benef.de deuolutionibus n. 18.* Bald. in *Margarit.in verb.mortuus.* Dd. *in Clem. in pleriſque de elect.* Archidiac. *in c. cum ſimus 9. qu. 3.* Frider. de Senis *conſ. 34.&c.* *Probatur vlterius concluſio.*

10. His non contrariatur, ſed potius conformis eſt F.Romani *qu.1.nu.54.* reſponſio ad authoritatem Nauarri allata, *prodeſt.* *F. Romani reſponſio ad authoritatem nihil nobis officit, ſed potius*

àllata, quod d. bona pertineant ad sollicitudinem & administrationem suæ sanctitatis. NAM idem & nos asserimus, nec vllo modo negamus. Profectò videtur F. Romanus transuersim actus, si contrarium sibi persuaserit. Quod mihi verosimile fit ex eo, quia cum *d. q. 1. n. 54.* concessisset bona illa spectare ad Pontificis administrationem, idem tamen *q. 3. n. 5. §. sed insuper adhuc vrgentioribus, &c.* neget.

De Concordatis Germaniæ

11. Vult enim hic prouisionem tam exemptorum, quam non exemptorũ deuolutam non ad Papam, sed ad Ordinarios. idque ex subiectis Concordatorum verbis existimat concludi. Verba sunt hæc. Item placet, quod in „ Monasterijs immediatè subiectis sedi „ Apostolicæ, fiant electiones, &c. Cæ„ teris verò dignitatibus & beneficijs, „ quibuscumq; sæcularibus & regula„ ribus vacaturis &c. iure Ordinario „ prouideatur per illos inferiores, ad „ quos alias pertinet. Ex his F. Romanus concludit, prouisionem Monasteriorum Germaniæ tam exemptorum, quam non exemptorum, quomodocunque vacantium, non ad Papam, sed ad inferiores Ordinarios, quibus prouidere incumbit, etiam iure specialis transactionis deuolutam censeri. Ac CONSEQVENTER Pontificem Ordinarijs hoc ius dispositionis actiuæ nisi in casu grauissimæ & necdũ demonstratæ necessitatis auferre non posse, eò quod fatente P. Paulo Laymanno *fol. 185.* Pontifex Concordatis Germaniæ circa beneficia ordinariè derogare non possit, cum sint de iure naturali ac gentium, idque rectè, quia vt inquit Rebuff. *tract. de nomin. q. 18. n. 6.* Contractus ligant etiam Papam & Principes, imò Deum ipsum, *vt text. & ibi Bart.* Hæc Fr. Rom. *cit. loc.*

Fortè excusabit quis F. Rom. quod ipse propter tam varias inter *qu. 1. & 3.* interiectas materias, non sufficienter *in d. q. 3. n. 5. ad d. quæst. 1. nu. 54.* sese reflexerit. Esto, concedam hoc illi. At quare tunc hac eadem *q. 3. n. 4.* immediatè ante *n. 5. præcedente. §. plenitudo præterea.* approbat glossam *in c. 2. de præb. in 6.* quæ ita habet. Nota primò, „ quod Papa habet plenam dispositio„ nem beneficiorum in quacunque par„ te Orbis sitorum. Nam ipse fuit voca„ tus in plenitudinem potestatis, vt ip„ se CONCVRRAT cum alijs Prælatis, „ ideo inter ipsos est locus præuen„ tioni.

Excusatio F. Rom.

Inquies; F. Rom. *d. q. 1. n. 54. & d. q. 3. n. 4.* asserere, hoc obtinere, si præcisè stetur iure communi. At *quæst. 3. nu. 5.* negat illud ipsi competere iure speciali Concordatorum.

Resp. F. Roman.

CONTRA. Hoc iure speciali nihil Pontifici derogatur, quin potius ostẽditur, prouisionem in Monasterijs exemptis, si quando deuoluitur, deuolui ad Pontificem. Nam cuius est electionem confirmare, ad illum casu negligentiæ, &c. deuoluitur prouisio; vt tradit F. Romanus *q. 1. n. 6.* ex Panorm. *in c. nullus in Ecclesia. de elect. n. 10.* Atque ex recitatis Concordatorum verbis, in Monasterijs exemptis electos confirmare, est summi Pontificis. Igitur & ad illum casu negli-

Refellitur.

gentiæ, &c. deuoluetur prouisio Monasteriorum exemptorum. Quæ conclusio directè contradicit F. Romani assertioni supra allatæ.

Argumentum F. Romani ex concordatis examinatur.

Sed nos modo videamus argumentum F. Romani, quod ex hoc iure speciali Concordatorum eiusmodi firmat.

In Monasterijs exemptis secundum d. concordata fient electiones, Ergo prouisio Monasteriorum etiam non exemptorum casu, quo nulli sunt eligentes, deuoluta est non ad Papam, sed ad inferiores Ordinarios. Ergo Pontifex non potest inferioribus auferre ius prouidendi, &c. Præclarę consequentiæ! Quis non videt, cõclusiones omninò à præmisso antecedente separatas ac diuersas esse? An ex separatis & diuersis vnquam bona fiet illatio?

Consule mi frater Logicorum & Ictorum regulas. Rogo te, discas prius verè argumentari, quam erroneè scopas dissolutas alijs obtrudere.

11. Nunquid vides antecedens loqui de Monasterio existente, non de omnino emortuo, nullo superstite? Quî enim aliàs in Monasterio dici possent electiones fieri, si ipsius Collegiũ amplius non exsistat. Num nõ Entis aliquæ erunt qualitates vel effectus? Electiones in Monasterio non dicuntur fieri, nisi vbi extat Collegium, idque Probatur 1 ex partę eligentium, quos oportet esse de Capitulo *c. 1. de elect.* 2. ex parte eligendi ad dignitatem, qui ibidem ex Collegio seu ex gremio ipsius Ecclesiæ erit. Si enim aliũde petatur, necesse est, prius nouum illic faciat professionem *ex c. Abbate. de V. S. Vide supra.* Igitur ipsa electio, cum in hac propositione In monasterijs exemptis fiet electio teneat se ex parte prædicati, atque exsistentiam inuoluat, supponet ipsum quoq; Collegium religiosum seu Monasterium exsistere, & non omnino emortuum. Nam talia intelliguntur subiecta, qualia prædicata demonstrant. *l. 3. de fund. instruct. legat. l. fin. §. cui dulcia ff. de vin. tritic. oleo legat.*

Ex hoc antecedente illata à F. Romano conclusio, si ad rem nostram erit, loquetur de casu, quo Collegium Religiosum sine spe iuridica emortuum est, adeoque extinctum. CONSEQVENTER ab antecedente omnino separata & diuersa. Quod si verba conclusionis, (si nulli sint eligentes) intellexerit F. Romanus ita, vt reipsa sint in Collegio, qui absolutè loquendo possent quidẽ eligere, sed impediti per censuras vel aliàs, pro præsenti non possint; iterum nihil ad rem nostram. Cum nos agamus de casu, quo nullum amplius exstat Collegium neque actu neque habitu, vt *quæstione 1.* probatum est. Igitur.

12. Adhæc posito, quod & antecedens & conclusio prima agant de Collegio religioso exsistente, nihilo magis ex antecedente sequitur conclusio allata; quin potius, vt antè ostendi, eius CÕTRADICtoria; nim. casu, quo non sunt eligentes legitimi, prouisionem in Collegio Religioso exempto deuolui non ad Episcopos Ordinarios,

rios, ſed ad ſummum Pontificem; cum huius ſit in illo Collegio electiones factas confirmare ex d. Concordatis Germaniæ iunctis Panormitano *in c. nullus in Eccleſia num. 10. de elect. vid. nos ſupra.* Hinc non niſi ineptiſsimè infertur hæc concluſio ſecunda Fr. Romani. Ergo Pontifex non poteſt inferioribus auferre ius prouidendi in eiuſmodi Collegio, ſicut nec in alijs Collegijs exemptis, quorum prouiſio citra dubium ad Ordinarios deuoluitur, ſi deuoluatur. Ratio eſt, quia in d. Collegio non exempto neglecta, vel impedita electio deuoluitur etiam ex Concordatis Germaniæ non ad Ordinarium, vt oſtendi, ſed ad ſummum Pontificem, ideoque ad hunc, non ad illum ſpectat ius prouidendi. CONSEQVENTER ſi caſu negligentiæ vel impedimenti Pontifex Collegio religioſo exempto de prælato prouideat, non video, quomodo Ordinario vel alijs inferioribus ius prouidendi auferat; cum hoc nullum ipſi habeant. Num verò aliquid alicui, quod nec habet, nec ad ipſum pertinet, poteſt quis ipſi auferre?

Ex hypotheſi argumentatio.

13. Quin etiam poſito, minimè tamen conceſſo, quod in Collegio religioſo exempto prouiſio deuoluta ex Concordatis Germaniæ ſpectaret ad Ordinarios inferiores, Et Pontifex illi Collegio de Prælato prouideret; non propterea ipſe ius prouidendi eiuſmodi Collegio, Ordinarijs inferioribus auferret, cum non obſtantibus Concordatis, Pontifex ob plenitudinem poteſtatis, (quæ penes ipſum remanet maior *c. dudum 14. §. nos igitur attendentes & ibi Can. de præb. in 6.*) poſset etiam in menſibus Ordinariorum conferre Monaſteria per not. *Fratris Roman. in d. reſponſ. 4.* ideoque nec propterea illis quippiam iuris auferret, vt malè aſſumebat Frater Romanus *ſupra cit. loc.* Cum ſuo tantùm vteretur iure Pontifex, adeoque nemini faceret iniuriam *l. dolo facere non videtur. ff. de Reg. Iur.* Nam concordata tantum tollunt gratias præuentiuas; nec impediunt, quò minus Papa concurrat cum Ordinarijs etiam in illorum menſibus. Chokier *in reg. 8. Cancellar. gloſſ. 11. n. 48. 16. 18.* Gonzalez *in eand. regulam 8. glo. 25. nu. 15. & ſeqq.* vbi deciſionibus Rotæ id confirmat. Adde Rebuff. *ad concord. in rubr. de collationib. §. ſi quis vero. verb. ad alium ſuperiorem*, vbi ita iudicatum adſtruit. Branden *in Concord. German. notab. 1.* vbi idem in terminis docet Caſſador. *deciſ. 1. de pact.* Simon. *de reſeruat. q. 2.* Et ita tenuit Rota in vna Metenſis Canonicatus, &c. Igitur &c.

Vnde licet prouiſio vel electio deuoluta ſpectaret ad Ordinarios inferiores, non tamen ſolos; ſiquidem

ſiquidem cum ipſis Pontifex ob plenitudinem poteſtatis concurrere poſsit. Vt modo probatum eſt. Igitur.

Ad alterum §. concord. Reſponſio.

14. Nec alter Concordatorum. §. ſupra allatus Fratri Romano patrocinatur; quia cum hic §. per particulam verò, aduerſetur præcedenti §. agenti de Monaſterijs exemptis, conſequens eſt, hunc §. non de exemptis, ſed de non exemptis Monaſterijs agere. Ideoque nec aſſertionem noſtram euertere.

15. Quamuis vt vno verbo concludam, Concordata ad rem noſtram nihil faciant. Quia ipſa agunt de prouiſione deuoluta & obliqua Superioris præſupponente directã Collegij religioſi iure proprio competentem, prouiſionẽ ſed neglectam, &c. vt ſupra oſtendi. Atqui hoc caſu noſtro non datur prouiſio directa Collegij religioſi iure proprio competens; (cum Collegium religioſum ſit emortuum) multò minus dabitur prouiſio Collegij neglecta. Igitur nec dabitur hoc caſu noſtro prouiſio deuoluta & obliqua Superioris. Eo quod remoto antecedente, omne eius conſequens remoueatur, *l. veteres ff. de itiner. actuque priuat.* Atqui prouiſio directa Collegij habet ſe vt antecedens, & prouiſio deuoluta ſeu obliqua Superioris, habet ſe vt conſequens: vt patet ex iurib., cit. & ſupra probauimus, Igitur remotâ, vel non datâ prouiſione directâ Collegij, remouebitur, vel non dabitur prouiſio deuoluta ſeu obliqua Superioris.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

Respondetur ad F. Romani Argumenta & allegata.

1. *Bona emortuorum Monasteriorum non cedunt fisco, vt dicit ærarium Principis, cui bona temporalia solent incorporari.*
2. *F. Romanus pro nobis facit, Ecclesiam particularem faciendo fiscum.*
3. *Bona emortuorum Monasteriorum remanent apud Superiorem, non tantum Velut in custodia, sed etiam quod ad administrationem & dispensationem.*
Canon 35. Sextæ Synodi agit de Ecclesia tantum vacante.
Verba, si Clerici in Ecclesia non fuerint, d. Canonis 35. sextæ Synodi examinantur.
Episcopus dicit relationem per se ad Clerum & populum.
Prælatus Religiosus dicit per se relationem ad Conuentum seu cœtum religiosum, per accidens ad populum.
4. *Ex eo quod quis aliunde eligi possit aut postulari, non sequitur, se habere ius vocis passiuæ.*
Episcopi olim etiam ex Regularibus cooptabantur.
Qui habent ius vocis passiuæ, in Ecclesiasticis, non ideo habent verum bonorum alterius loci Dominium.
Regulares olim si ex F. Rom. sententia habuissent ius vocis passiuæ ad Episcopatum, non tamen ideo illius bonorum verum Dominium.
F. Rom. docet contradictoria, nim. ante electionem actiuam aliquem habere dominium, & illum idem non ante habere sed post illam electionem acquirere.

EX hactenus traditis manifestum est, quid ad F. Romani argumenta & allegata sit respondendum.

Ad 1. 1. Ad primum Concedimus, bona emortuorum Monasteriorum non cedere fisco, vt hic significat ærarium Principis, cui bona vacantia temporalia incorporari solent. Nec contrarium vnquam alicubi asseruit P. Laymannus, quemadmodum supra *cap. 2.* monuimus.

2. Ad 2. Respond. Accipiendo datam à Fr. Romano significationem vocis Fisci, quod per eã intelligatur Ecclesia particularis, quæ respectu Monasteriorum non exemptorum simul referat Superiorem Episcopum; respectu verò exemptorum, dicat ipsius supremum caput, scilicet summũ Pontificem, ad quos sub datâ *capite 2.* distinctione, bona monasteriorum emortuorũ vacantia deferantur. Quod si a- *Ad 2. Resp.*

si aliter Fr. Romanus Ecclesiam particularem hoc in casu intelligeret, pro ipsa Collegiali religiosorũ huius loci, haud dubiè malè acciperet. Cum ipsa hîc amplius non exstet. vt *supra q.1.* demonstraui. Igitur, &c.

Ad 3. Resp. 3. Ad 3. RESP. Bona emortuorũ monasteriorum remanere apud Superiorem, non tantum velut in custodia, sed etiam quod ad administrationem & dispensationem, vt ipsemet F. Romanus *q.1.n.54.* concedit.

Ad Canon. 35. sextæ Synodi Resp. Nec contrarium probat sextæ Synodi Canon. *35.* quippe qui agit de Ecclesia tantum vacante, seu cuius Clerus adhuc viuit, sed Episcopus mortuus, vt hæc ostendunt verba. „Res sint sub custodia Cleri Ecclesiæ defuncti Episcopi." Ergo illic adhuc debet esse Clerus, sub cuius custodia sint res Ecclesiæ.

Instantia. Quod si Fr. Romanus vltima illius Canonis verba vrserit, quibus casu, quo Clerici in Ecclesia non fuerint, prohibetur Metropolitano Episcopi sibi subiecto, ne res Ecclesiæ illius inuadat, vt habet inscriptio *in c. non licet il. 3. 12. qu. 2* & iubetur eas successori, qui illic ordinabitur, reddere.

RESPOND. I. Malum hic agere F. Romanum interpretem, quando verba Canonis, si Clerici in Ecclesia non fuerint, vult significare idem, quod si sint Clerici omnes mortui. Quid enim si Clerici propter pericula & hostiles incursiones aliò concessissent, nunquid illic in Ecclesia Clerici non esse, rectè dicerentur, & tamẽ non essent mortui? SED DEMVS F. Romano gratis, quòd illa verba obitum omnium significent Collegarum Monachorum huius loci, quid inde contra præsentem nostrum casum? Num Episcopo per se correlatiuè & adæquatè respondent soli Clerici? Annon & populus Bald. *in proœm. ff. col. 2.* Vide Rebuff. *praxi benef. de formula literarum dimissoriarum n. 15.* Quid igitur mirum, si Clero extincto, populo autem adhuc illius loci exsistente, Episcopatus non dicatur exstinctus; sed ibi alius surrogandus veniat Episcopus; cui omnia iura illibata restituantur, per not. Bald. *in proœm. ff. n. 5.* cum terminus correlatiuus adæquatus & per se, Episcopi, scilicet Clerus & populus, non sit extinctus; licet Clerus esset defunctus Dd. *in Clem. in plerisq; de elect.* At in nostro casu non tantum Prælatus, sed & conuentus ipse, totus & adæquatus per se terminus correlatiuus Prælati Monastici extinctus est. Igitur hic noster casus ab illo est diuersus. Proinde hoc nostro casu diuersimodè ab illo est respondendum. Quod si Prælatus religiosus subinde dicatur habere populum, id illi quà tali per accidens est. Ideoque nec per se respicit populum. Vnde nec venit populus respectu prælati religiosi quà talis, in considerationem.

4. Ad 4. & vltimum Respondeo, F. Romanum illic aberrare. Nam primò docet illic F. Romanus, Collegis huius Monasterij exstinctis penes alios aliorum Monasteriorum eiusdem Ordinis Monachos esse ius vocis passiuæ. At hoc supra *q. 3.* refutauimus. *Ad 4. Resp.*

Cum

Cum viuo adhuc huius Monasterij conuentu ius illud ijs alijs non competierit, licet ipsius electionis passiuæ essent capaces. Et quis vnquam asseuerauerit, quia olim etiam in regulares cadebat passiua electio ad Episcopatus, seu quia ipsi ad hos poterāt postulari, ideo ipsos habuisse ius electionis passiuæ? DEINDE posito, non tamen concesso, quod vbi est capacitas electionis passiuæ, sit etiam ius vocis passiuæ, iam peius errat F. Romanus, quando docet, quod vbi est ius vocis passiuæ, sede vacante in Ecclesiasticis, ibi sit verum rei Dominium, &c. Nam secundum F. Romanum olim sede Episcopali vacante penes Regulares fuit ius vocis passiuæ, cum olim fuissent capaces electionis passiuæ; Et tamen quis affirmauerit, quod regulares illi etiam coniunctim sumpti, habuerint verum Episcopatus illius dominium. Vide mi Frater, in quas te conijcias absurditates. Adhæc adeone tuæ oblitus doctrinæ, quâ *q. 1 num. 49.* per electionem actiuam actu interpositam & confirmationem subsecutam, prius Dominium acquiri asseris, vt iam etiam ante electionem actiuam actu interpositam & confirmationem secutam, verè Dominium illis attribuas? Videris igne fatuo delusus in omnia alia rapi. Sed tui me miseret.

Saltem ex dictis relinquitur, Bona extinctorum obitu Collegiorum Monasticorum pertinere ad Ecclesiæ Superiorem, non tanquam proprietarium, sed tanquam administratorem & dispensatorem, & quidem Monasteriorum non exemptorum, ad Episcopum; Exemptorum ad Summum Pontificem.

QVÆSTIO V.

Quibus bona Monaſteriorum emortuorum Superior conferre poſſit?

1. Status quæſtionis præſentis proponitur. Calumnia eſt, Societatem agere de fundatione Virginum Ieſuitiſſarum.

SVperiore quæſtione vidimus, dicta bona emortuorum Monaſteriorum pertinere ad Superioris diſpenſationem, nunc porrò inquirendum, quibus bona ea conferenda & diſpenſanda.

Nota ſtatum quæſtionis præſentis. 1. NOTANDVM eſt, quod F. Romanus & P. Laymannus conueniant in eo, quod bona ea non cedant Superioris patrimonio; Diſcrepent verò in eo, quibus ſint ea bona conferenda.

F. ROMANVS *q. 1. n. 20. & multis ſeqq.* aſſerit, alijs eiuſdem Ordinis Religioſis extinctorum Collegiorum bona neceſſariò eſſe à Superioribus conferenda.

NEGAT verò P. LAYMANNVS *in iuſta ſua defenſione*, aſſeritque ea etiam poſſe alijs alterius Ordinis Religioſis conferri, non tamen, vt illi inuidiosè, ſi non F. Romanus, ſaltem eius Ordinis manduco Scioppius *q. 3. n. 1. fol. 147.* affingit, Virginibus Ieſuitiſſis cõferenda. Nã quiſquis nouerit Societatem IESV, eius S. Fundatorem IGNATIũ, tũ ipſius familiæ ſtudia, virtutes, prudentiam; tale quid haud vnquam à Societate cogitatum, nedum agitatum nouerit. Si lubet, potes F. Romane, omnes latebras ſuſpicionum peragrare ſcribendo; non cauſa, non locus, non facultas, non conſcius, non perficiendi, non cogitandi illius ſpes, non ratio vlla, non veſtigium tantæ à S. Fundatoris animo mutationis reperietur. Totum quod profertur, ex inimico, ex infami, ex Mæſonico Scioppij proficiſcitur calamo. Societas verò, quæ nouo illo auſu tentata dicitur, plena eſt integritatis, obſequij, obſeruationis erga ſuum S. Fundatorem ac religionis. Proinde illi ſimile

quiſquis

quiſquis affinxerit, Pattæcione calumnioſior habendus erit. Quin etiam, vti calumniæ manifeſtæ, Societati illatæ reum arguet Calumniatorem Curia Romana; ita confido, vt & ipſa eandem calumniam ſit obtritura ac contuſura. Sed his omiſſis.

Nos P. Laymanni ſententiam *hac quæſtione* 5. capite vnico explicabimus & confirmabimus. Contraria verò F. Romani argumenta, cum ſint varia, *duabus ſequentibus quæſtionibus* diſcutiemus.

CAPVT VNICVM.

P. Laymanni ſententia, quod Pontifex bona emortuorum Monaſteriorum alijs alterius Ord. Religioſis, Seminariis conferre poſſit, proponitur.

1. *Superior nullo iure impeditur, quo minus poßit bona emortuorum Monaſteriorum alijs alterius Ord. Religioſis conferre.*

Dictorum bonorum diſpoſitio Superiori libera eſt ex F. Romani principio ſumpto ex glo. in c. inter quatuor. de rel. dom.

Particula V E L alternatiuam conſtituit propoſitionem & diſpoſitionem.

In alternatiuis circa officia & beneficia huic vel illi conferenda, libera eſt Superioris electio, vt cui velit & expediat, ea conferre poßit.

2. *Superiori idem ius competit ex fundationis cauſa finali.*

Cauſa finalis cum formali in moralibus coincidit.

Cauſa finalis duplex, Cuius & Cui, Vtraq; definitur.

Fundationis piæ Finis Cuius, eſt ipſa donatio liberalis rerum & bonorum in honorem Dei promouendum facta.

Finis Cui, ſunt perſonæ, quibus fit eiuſmodi donatio: vterque finis ad fundationem piam requiritur.

Alteruter poteſt magis principaliter intendi.

Quando magis principaliter intentus eſt finis Cuius, tunc deficiente cauſa finali Cui, ſeu perſonis deficientibus, poteſt donatio pia vel legatum, alijs religioſis à Superiore applicari.

Sin verò præcipuè intentus finis Cui, seu præcipuè personæ certi alicuius Ordinis, tunc deficientibus personis hoc in loco præsentibus, non sine causa possunt alijs alteriusOrdinis personæ à superiore substitui.

3. *Ordinariè à fundatoribus magis principaliter intenditur ipse Finis Cuius.*
A lege ad testatorem efficax ducitur argumentum.
Lex plus Ecclesiæ fauet, quam personæ.
Causæ adiectio ostendit præcipuam fundatoris intentionem.

4. *Pontifex potest deficientibus huius loci religiosis ex causa necessitatis vel vtilitatis publicæ Christianæ monasteria certæ familiæ fundata; alteri familiæ religiosæ conferre.*
Ita Monialium monasteria aliquando vniuntur.
Publicæ vtilitati & necessitati, priuatorum commoda cedunt.

5. *Potest illud Pontifex ordinaria potestate.*
Iure concessa potestas, ordinaria dicitur.

6. *Dinstinctio Imolæ circa potestatem immutandi legata.&c.*

7. *Verba illa Salua sedis Apostolicæ authoritate, in Clem. quia contingit. de rel. dom. non sunt reseruatio, sed legis modificatio & exceptio.*
Vocis, salua, quæ vis?
In dubio ordinaria & communior significatio præferenda.

8. *Destitutorū Monasteriorū bona aliqua potest Pontifex ordinariâ potestate Seminarijs Clericorum applicare.*
Varia in eam rem præiudicia afferuntur.

9. *Iusta Vnionis causa an hic intercedat.*

10. *Hoc casu tnatū fit interpretatio voluntatis vltimæ considerata formaliter, secundum intentionem; non verò mutatio voluotatis licet; considerata materialiter quoad circumstantias fiat quædam mutatio.*
Epÿkia quando & in quibus casibus locum habeat.

Ratio I. fundam. I. PRIMA FVNDAMENTALIS RATIO proP. Laymanni sentētia sumitur ex eo, quod Ordo vel Vnio aliqua religiosa non habeat ius, spemque iuridicam ad monasteria emortua, de quibus controuersia à F. Romano est suscepta; nec aliunde superior impediatur quo minus ea monasteria possit alijs alterius Ordinis religiosis conferre, vt patebit ex contrariorum solutione. Igitur poterit Superior ea libere alijs alterius Ordinis religiosis conferre.

CONFIRMAVVR ex Fratre Romano, qui *quæst. 1. n. 16.* vult glossam. *in c. inter quatuor de religio. domib. in verb. per regulares.* agere de hoc etiam nostro casu, quo omnes sunt *Confirm.*

ſunt mortui. Ita verò ait gloſſa *cit.* » In Eccleſia regulari non poteſt Epiſ- » copus ponere Canonicos ſæculares, » *vt hic patet & 19. q. 3. quæ ſemel, & 18.* » *q. 2. peruenit. & ſup. de reb. Eccl. alien.* » *poſſeſſiones. ſup. de ſtat. monach. ea, quæ.* » ſed homines diſtrictioris vitæ » ſunt ibi ponendi, VEL alterius » religionis. Vnde ſi hæc gloſſa agit de noſtro caſu, ſequitur ex F. Romano, quod Superior in monaſterijs emortuis nõ neceſſariò habeat ſubſtituere alios eiuſdem Ordinis religioſos, ſed liberum ſit illi iſthic collocare generatim homines diſtrictioris vitæ vel alterius religionis. Hoc enim arguit particula disiunctiua VEL, quæ alternatiuam conſtituit propoſitionem & diſpoſitionem. Euerard. *in loc. à natur. alterna. Barbos. de dictionib. vſu freq. in dict.* Vel *415. n. 1. 2. 3.* In alternatiuis aũt circa officia ac beneficia huic vel illi conferẽda, libera eſt Superioris electio, vt cui velit & expediat, ea conferre p[illegible]ſſit, per not. Euerard. *d. l. n. 7. verſ. 5. fallit. per text. in l. 2. C. de Caſtren. & miniſt. lib. 12.* quem text. ferè ad hoc notant Guil. Bal. & Angel. *in l. pen. ff. de Conſt. princ.* & Bald. *in l. Lucio ff. de leg. 2. & in l. qui duos ff. de legat. 1. & ibi Ioan. de Imola & Alex.*

Ratio 2. fund. 2. Secunda Ratio fundamentalis petitur ex ipſius fundationis cauſâ finali ſeu ratione formali, hæc enim in moralibus cum finali coincidit *Ariſtot. 1. poſter. text. 43.* & attendenda eſt, monitu F. Rom. *q. 1. n. 60.*

Atque vt melius hoc fundamentum intelligatur, ſciendum eſt, cauſam finalem hîc ſicut & in alijs, duplicem poſſe conſtitui, ſcilicet Cuius & Cui. *Ariſt. 2. de anima. c. 4.* FINIS CVIVS generatim ſumptus, eſt bonum, quod nobis alijſque comparare cupimus. FINIS CVI, eſt perſona, ſeu ſuppoſitum, Cui aliquod bonum appetitur; Vterque integer eſt, atque adæquatus finis, ſuâ perfectione informans ſubiectum, vt videre licet tum apud Philoſophos, tum apud Theologos, quando de hominis fine ſeu beatitudine agunt.

In hac materia piæ fundationis, FINIS CVIVS eſt ipſa donatio liberalis, &c. rerum & bonorum in honorem Dei promouendum facta. FINIS CVI ſunt perſonæ, quibus fit eiuſmodi donatio &c.

Et licet in pia fundatione requiratur, authore Bonacina *in tract. de contract. diſp: 3. q. 17. punct. 8. §. 2. propoſ. 1. n. 2.* Vterque finis, ſcilicet pietas cauſæ & pietas perſonæ; ex Bald. *in l. 1. C. de SS. Eccleſ.* Tamen in fundatione piâ poteſt nunc intendi magis principaliter Finis Cuius, ſeu ipſa donatio, vel legatum rerum ad cultum diuinum promouendum, ſcilicet quando fundator familiæ quidem alicui religioſæ, ſed vel pro illo tantum loco, vel etiam ſimpliciter aliquid legat, maxime ea ratione, vt ex donatione & legato, in illo loco ma-

magis Dei obsequium & cultus promoueatur. Nunc verò magis principaliter potest intendi ipse finis Cui, seu Collegium religiosum vel illius personæ per not. Bart. *in l. pater. 38. §. Tusculanus. ff. de legat. 3.* vt si testator legatum extra familiam illam religiosam expresse prohibeat vllo vnquam tempore transferri; per not. Grassi *§. Fideicommissum. q. 19. &c.* PRIORE CASV deficiente causa finali Cui, id est, deficientibus & extinctis illius loci personis religiosis, legatum relictum etiam alijs alterius Ordinis religiosis applicari potest Rebuff. *in praxi. benef. de collationibus §. Volumus in verb. Et conformitatem.* vbi ait; "Deficiẽtibus tamen monachis nigris possunt conferri beneficia illius Ordinis, monachis albis, vel Canonicis, quia isti in iure æquiparantur *c. quod Dei timorem. de stat. mon. glo. in c. cum singula §. fin. de præb. in 6.* Idem confirmat Honorius *3. summ. decret. de relig. domib. c. 36. n. 9.* si loca, *inquiens* pia vel hospitalia ad certarum personarum genus suscipiendum fuerint instituta, nec IBI similes reperiantur, fructus illorum in alium vsum pium, qui illorum institutioni proximior sit, aut pro loco aut tempore vtilior, conuertit Episcopus adhibitis duobus de Capitulo, qui rerum vsu peritiores sint per ipsum deligendis, NISI ALITER FORTE etiam in hunc casum in eorum fundatione & institutione fuerit expressum, vt expresse statuit Concil. Trid. *c. admonet 8. §. quod si hospitalia sess. 25. de reform.* quo casu, quod ordinatum fuit, obseruari curabit Episcopus, aut si id non possit, ipse prout supra, vtiliter prouidebit. Conc. Trid. *d. l.*" POSTERIORI verò CASV licet deficeret illic loci, causa finalis Cui, seu deficerent personæ illius loci religiosæ, nihilominus tamen alijs eiusdem Ordinis Religiosis ordinariè legatum relictum per superiorem veniret restituendum ex d. C. Trid. & per not. Grassi *§. fideicommissum. q. 19.* Petr. de Petr. *de potest princ. c. 32. princ. n. 1. 10. & seqq.* nisi aliud suaderet necessitas vel vtilitas. C. Trid. *d. l.* & per not. Bart. *in d. l. pater 38. §. Tusculanus ff. de legat. 3.* Petr. de Pet. *d. l. n. 12.* ibi; quod immutabile est sine causa. Ergo à contrario, cum causa erit mutabile *Clem. quia contingit. de relig. domib. Concil. Aquisgran. 2. sub Gregorio IV. Pontifice & Ludouico Imperatore habitum. c. 18.*

3. NB. Ordinariè à fundatoribus magis principaliter intenditur ipse finis Cuius, quàm Cui. VIDE NOS *infra q. 7. ad V. fundam.* Bart. *in d. l. pater 38. §. Tusculanus.* per *c. 1. ne sed vac.* ibi "ne plus fauisse personæ, quã Ecclesiæ videremur." Vnde à pari nec testator &c. plus personæ, quàm Ecclesiæ fauisse præsumendus est, argumento ducto à lege ad testatorem, quod in iure forte est ac efficax. Euerard. *in loc. à lege ad testatorem. n. 1. per l. si ita fuerit seruis duobus §. fin. vers. conditionem n. & ibi Bart. Alber. de Rosat. & Benedict. de Plum. not. ff. de manum. testam.* Adhæc tum demum finis

nis Cui attentus, seu contemplatione personarum, legatum relictum videtur, quando Ecclesiæ illud relictū est nullâ expresſâ causâ Mantic. *l. 8. coniect. vlt. vol. tit. 6. n. 23.* Atqui ordinariè in omnib. legatis pijs relictis &c. adiecta est causa, vt isthic honor diuinus promoueatur. IGITVR illa legata ordinariè non contemplatione personarum facta sunt, adeoq; in ijs non intentus præcipuè finis cui, sed Cuius.

Quæstiu 1. QVAERES 1. An Pontifex Monasteria certæ familiæ fundata, cum prohibitione ne extra illam familiam vnquam transferantur, possit ea deficientibus vel emortuis huius loci incolis, dare alijs alterius Ordinis religiosis.

Resp. 4. RESPOND. Pontificem ex causa necessitatis vel vtilitatis publicæ Christianæ id posse. Bonac. *de contract. disp. 3. q. 17. punct. 8. §. 9.* glo. & Dd. communiter. *in Clem. quia contingit. de relig. domib.* *Ratio* RATIO EST, quia hæc translatio non excedit ipsius Pontificis facultatem, , nec rationabilem defuncti voluntatem. Nam publicæ vtilitati & necessitati, priuatorum cōmoda & voluntates sunt postponenda. *l. 1. C. de primipilo. lib. 12. l. actionis. §. Labeo. ff. pro soc. c. bonæ. 1. de postul. prælat.* Atqui religio, ex fideicommisso, si detur in illo substituta, ad monasterium ventura emortuum, respectu totius Ecclesiæ habetur in causa necessitatis vel vtilitatis vt priuata arg. *l. nihil interest. 15. ff. ad SC. Maced.* & text. expreſſ. *in l eum qui vectig. ff. de. V S.* vbi ciuitas respectu superioris aut maioris communitatis habetur tanquā priuata. Igitur &c. 2. Hinc etiam nemo priuatus facere potest, quin in suo testamento leges habeant locum *l. nemo potest. 55. ff. de legat. 1.* Leges autem Canonicæ propter necessitatem vel vtilitatem permittunt legatorum huiusmodi cōuersionem in alios pios vsus *d. c. 18. Concil. Aquisgran. II. d. Clem. quia contingit. de rel. dom.* 3. Huc facit declaratio Cardinalium, quę monasteria monalium docet authoritate Papæ vniri posse, causâ legitimâ intercedente apud Zerol. *prax. Episcop. verb. vnio. ad 7. dub. 5.* Vid. & remissiones *lit. 8. ad Concil. Trident. sess. 21. de reform. c. 5.*

5. Quær. 2. Qua potestate eiusmodi monasteria alijs alterius Ordinis religiosis conferre possit Pontifex? RESP. ORDINARIA *Quæstiu. 2.* *Prob. 1.* Prob. 1. quia de iure communi quādo Pontifex mutat vltimas testatorum voluntates, ex quibus necdum est ius in re, seu dominium alijs in testamento institutis aut substitutis acquisitum, iuxta Dd. omnes *in. d. Clem. quia contingit. de relig. dom. & ibi glo. verb. saluâ sedis Apostolicæ authoritate:* et F. ipsū ROMANVM *quæst. 3. n. 5. §.*

quocirca. seu quando in translatione alicuius rei alicui non aufert ius plene acquisitum seu dominium, sed tantum aliquod ius ad rem, tunc in transmutatione & translatione, ordinariâ tantum vtitur potestate. Petr. de Petr. *de potest. princ c. 30. n. 1. & seqq.* Atqui in casu illo, quo mortui huius loci monachi, & monachi aliorũ monasteriorum fideicommissarijs necdũ reipsa sunt substituti in monasterio emortuo, si Pontifex monasterium emortuum familiæ certæ fundatum transferret ex causa in alios alterius Ordinis religiosos, non auferret ius plenè quæsitum seu dominium, sed tantum ex causa ius aliquod ad rem; Cum per substitutionem actualẽ, prius illud dominium sit acquirendum, *vt su. q. 2.* demonstraui. IGITVR Pontifex monasteriũ emortuum familiæ certæ fundatũ transferẽdo ex causa in alios alterius Ord. Religiosos, ordinariâ vtitur potestate. CONF. ex Angel. de Perusino *in l. si testam. C. de testam.* vbi ait, Papa non potest per suas literas in alium vsum conuertere pia legata de potestate ordinaria, nisi iusta causa subsit; Ergo à contrario, quando iusta suberit causa, poterit Pontifex de potestate ordinariâ conuertere pia legata in alium vsum piũ Ecclesiæ vtiliorem.

Conf.

Prob. 2.

ET PROB. 2. ex *Clem. quia contingit. de relig. domib.* vbi glo. *in verb. salua quidem sedis Apost. auth* vult eadem authoritate fieri Vniones Episcopatuũ *ex. c. quia translationem. de off. deleg.* Atqui Vniones Episcopatuum fiunt ordinaria pontificis potestate *c. sicut vnire. de excess. præla.* vbi ponitur particula ITA, quæ arguit paritatẽ in genere suo Garc. *de benef. part. 12. c. 2. n. 60.* IGITVR legatum vel donatio facta in vnum vsum pium conuerti poterit potestate Pontificis ordinariâ in alium pium vsum ob Ecclesiæ vtilitatem vel necessitatem, cui tanquam bono publico, priuata legantis vel donantis prohibitio posthabebitur. Conf. 1.

ET CONF. I. ex epistola decretali S. Innocentij III. Pontificis M. *lib. 2. ad Massil. & Agath. Episcopos, pag. mihi 429.* tum ex Couarr. *3. resolut. 6. n. 8.* atque ex F. Romano *q. 7. n. 31.* Vnde ita argumentor. Iure concessa potestas, ordinaria dicitur, Couarr. F. Rom. *d. l.* Atqui potestas, quâ legatum ad vnum vsum pium, interueniente causâ conuertitur â Pontifice in alium pium Ecclesiæ vtiliorem, est iure *in d. Clem. quia contingit. & in d. decretal. S. Innocentij Pontificis*, concessa. IGITVR potestas, qua legatum ad vnum vsum pium v. c. Benedictinorum, interueniente causa conuertitur à Pontifice in alium pium Ecclesiæ vtiliorem, est ordinaria. DENIQVE CONFIRM. ex eo, quod possit Põtifex ordinaria sua potestate ex iusta causa mutare vltimas testatorum voluntates, etiamsi alijs ex ijs iam dominium esset acquisitum, vt est sententia expressa Imolæ *in l. 1. col. 3 ff. de cond & demonstrat.* apud Franciscum Sarmient. *l. 1. select. interpretat. cap. 8. n. 24. vers. Ex his illis.* Ergo multò magis poterit Pontifex ordinaria sua Conf. 2.

po-

potestate, ex iusta causa variantibus circumstantijs vltimas testatorũ voluntates in ijs, in quibus necdum dominium acquisitum est, conuertere in alios vsus pios, idque in Ecclesiæ vtilitatem.

6. NOTA ex Imola, & Sarmiento, quorum hic de illo tradit; Vult (scilicet Imola) *inquiens*, non solũ summum Pontificem, verum etiam Episcopum posse dispositionem piam testatoris commutare nondum executioni mandatam; si verò executioni demandata sit, Pontificem id posse ex d. *Clem. quia contingit de relig. dom.*

Resp. F. Rom. 7. Nec superioribus satisfacit F. Romanus *q. 3. n. 4. §. sed obijcies. & q. 7. n. 5. §. III.* Eodem modo, *inquiens*, " quod verba *d. Clem. quia contingit.* " salua sedis Apostolicæ authori-" tate, non dispositio sit, sed tantum " reseruatio generalis, quæ reseruatio " non est lex, cum id referat, quod est " supra legem. Et sic Papa mutando " voluntatem vltimam exerceret a-" ctum conformem suæ reseruationi, " non verò legi positiuæ seu Canoni.

Refutat. Nam licet recitata verba non sint lex; sunt tamen legis modificatio & exceptio, vt arguit vox SALVA, cuius vocis vis est, vt ordinariè & semper modificet ac limitet præcedens, atque ab eo excipiat. Barbos. *de clausul. vsu freq. claus. 139. n. 1. 2. & de dict. vsu freq. dict. 256. n. 1. & 4. per l. si debitor §. in venditione ff. quib. mod. pign.*

NEC OBEST, quod illa interdũ sit præseruatiua ac reseruatiua, vt *ibid.* Barbos. notat. Nam ordinaria ipsius & communior significatio est nostra paulo ante allata, quæ in dubio potius est accipienda *l. librorũ §. quod tamẽ Cassius vbi glo. de legat. 3. l. Labeo & ibi Bart. ff. de supell. legat.* vt ipse F. Rom. *q. 1. n. 58.* approbat, vbi ait, quod communis vsus loquendi omni regulæ seu constitutioni præferendus sit. IGITVR &c.

Quinimo reseruatio generalis, qualis hæc dicenda esset ex mente F. Romani, habet vim constitutionis & legis, Dd. & Can. *in c. si à sede. de præb. lib. 6.* apud Gomes. *in reg. Cancellar. de annal. possess. q. 23. §. pro parte negatiua. in fin.* Igitur. &c.

8 QVAERES 3. An & qua potestate possit Pontifex aliqua bona Monasteriorum conuentib. destitutorum, seminarijs Clericorum secularium &c. applicare? *Quæst.*

Ad prius RESP. 1. Posse id Pontificem. Ita Episcopo Herbipolensi à Gregorio XIII. concessum fuit, vt monasterium Monialium desertum, ne in hæreticorum manus veniret, seminario suo vniretur idque fuit factum anno 1582. vt habet declaratio Cardinalium *in c. 18. Concil. Trid. sess. 23. de reform. ver. 29. Vniones & applicationes &c.* Ita & Episcopo Augustano propter merita sua fuit concessum, vt prioratum S. Viti, Vrbis Augustanæ Seminario applicaret, *ib. in decl. Card.* Huc facit & decima decisio Cardinaliũ relata in *remissionib.*

11. ad c. 18. Conc. Trid. sess. 23. de reform, quæ ita habet; Bona quæ fuerunt ap-
" plicata alicui Collegio propter Chri-
" stianam educationem miserabilium
" puerorum, si Collegium id sublatum
" sit, debent ea bona applicari semina-
" rio, &c.
" Et Confirm. à Zabarell. *in d. Clem.*
" *quia contingit de relig. dom.* decimo no-
" tab. vbi dicit; quod per solam sedem
" Apostolicam potest res deputata ad
" vnum vsum pium conuerti ad alium,
" de hoc in glo. not: *per hanc & infra in*
" *2. contrario. & in 3. q & duab. seqq.* dicit
" Laudensis, quod Papa hoc potest, quia
" potest dispensare de his legatis ad pias
" causas, prout vult, *de sepult. Clem. du-*
" *dum §. pen.* Est enim gubernator in so-
" lidum vniuersalis Ecclesiæ, cuius ca-
" put est Ecclesia Romana. Ideo eius est
" tanquam capitis ad membra singula,
" alimenta transfundere. *9. q. 5. cuncta. &*
" *c. per principalem de excess. prel. Clem. fre-*
" *quen. § præterea.* simile inducit Laud.
" de principe sæculari *ff. de administ. rer.*
" *ad ciuitat. pertin. l. post legata.*

Ad posterius Resp. Ad posterius Respondeo secũdo, Pontificem id posse potestate Ordinaria. RATIO est eadem, quæ supra quæstione secundâ est data, quod iure communi *d. Clem. quia contingit. de relig. domib.* legata in vnum vsum pium possint legitima interueniente causa à Pontifice conuerti in alium vsum pium Ecclesiæ vtiliorem: Igitur poterunt ea legata in eiusmodi alium vsum pium conuerti potestate Pontificis ordinaria.

Quæst. 4. 9. QVAERES 4. Vtrum iusta intercedat causa, quando Monasteria quædam Monialium conuentibus orbata, alijs alterius Ordinis Religiosis iuuentutem instruentibus tum in literis, tum in moribus; vel Seminarijs, vt inde boni Ecclesiæ prodeant pastores, conferuntur.

NEGAT quidem F. ROM. tota *q. 2.* cuius rationes tum ex titulo fundationis, tum aliunde petita, iam partim supra quæstione nostra tertia, &c. refutatæ sunt, partim infra *q. 6. & 7.* refutabuntur. *Negat. F. Rom.*

Contra verò AFFIRMat Tholosanus *de inst. rei benef. c. 20. de vnion. n. 14. circa fin.* Decimò, *inquiens*, inuen- *Refellitur*
ta est iusta causa Vnionis, fauor Col- "
legiorum & institutionis iuuentutis, "
vt illis beneficia, prioratus maximè & "
capellæ pingues vnirentur, &c. Hanc "
quoq; iustam causam censet esse Petr. "
Anton. de Petra. *de potest. princ. cap. 24. n. 73.* vt etiam propter illam possit alicui auferri ius plenè quæsitum. Petra *d. l.* Ergo multò magis iusta erit causa, vt propter illam ius non plene acquisitum, possit alicui auferri. Petra *d. tract. c. 30.* ac *Consequenter* vbi nulli ius aliquod siue plenum, siue non plenũ aufertur, vt in nostro casu accidit maximè potest fieri Vnio. Quin & iustam Vnionis causam prębet, quando Ecclesia destructa est per hostes vel desolata *ex c. 2. de rel. dom.* Rebuff. *in prax benef. de vnionib. benef. n. 40.* Barbos. *de off. Episcop. alleg. 66. n. 15.*

10. QVAERES 5. An quãdo his *Quæst. 5.*
casi-

casibus fit translatio Monasteriorum emortuorum ad alium Ordinem, vt hic iuuentutem in literis & pietate instruat; vel ad Seminaria Clericorum, vt illic probi educentur Ecclesiæ pastores, hoc turbulento tempore valde necessarij, censeantur defunctorum voluntates mutari, vel verò per Epiikiam interpretari?

F. Rom. opinio. F. ROMANVS *q.2.n.22.q.3 n.3 &c.* censet mutari.

Resp. P. Laymann. CONTRA P. LAYMANN. in rigore loquendo dicit, voluntatem quidem *materialiter* quoad circumstantias quasdam; non verò *formaliter* quoad ipsam intentionem mutari, sed per Epiikiam tantum interpretari. ET BENE, desumpto argumento à lege ad vltimam testatoris voluntatẽ, quod in iure fortè & efficax esse tradit Euerard *in loc. à lege ad testator. nu. 1.* Atqui in lege secundum S. Thomam *2.2.q.120.a.1.* EPIIKIA obtinet non tantum, quando casus legis ob superuenientem aliquam circumstantiam fit illicitus, aut etiam perniciosus bono communi, aut nimis difficilis, & superans potestatem legislatoris, vt si reddatur impossibilis; sed etiam quando occurrit casus aliquis, qui ex circumstantijs iudicatur à legislatore nõ intentus & quem legislator excepisset, si eum præuidisset. Quare benè docet Aristoteles, legem corrigi per Epiikiam, quatenus si legislator adesset, hoc modo respondisset, & ita legem suam moderaturus & interpretaturus fuisset. VID. BONAC. *de legib. in genere disp.1.q.1.punct.vlt.§. 2 propos. 2.* & Dd. *ibi citat.* ERGO à pari Epiikia in vltimis voluntatibus locum obtinebit, non tantum, quando ob circumstantiam, illarum dispositio foret illicita, aut perniciosa Reip. (VT MALE VOLEBAT F. ROM. *d. l.*) sed etiam, eo casu, quo prudenter à Superioribus aliter dispositurі præsumuntur testatores, si præuidissent Monachos à se institutos, ijsque fideicommissariò substitutos hoc loco deficere; deinde necessarios tum Ecclesiæ operarios in Seminarijs præparandos, tum etiam alios religiosos probos iuuentutis instructores, &c. *per superius* tradita. Igitur, &c. *F. Rom. opinio refellitur.*

Hinc consequens est, quod sicut solius Supremi Principis est, legem dictis casibus interpretari, *l. 1. & l. 9. C. de LL.* ita etiam interpretari vltimarum voluntatum ordinariè, solius sit supremi capitis Pontificis *argum. d. Clem. quia contingit. de relig. domib.* Adeoque nec à quouis priuato possint ipsæ interpretari, vt contrã malè argumentabatur F. Rom. *cit. locis.*

Transitus ad seq. qu. Et licet hæc ita de iure se habeant, tamen multa contra à F. Romano afferuntur, quæ ad duas classes commode possunt reuocari; Nimirum, Vtrum datæ Responsiones veniant contra iura. 1. NATVRAle & DIVINũ, 2. CANONICVM, ac statum Ecclesiæ ab ipso præscriptum, nec mutandum. De singulis Ordine agetur.

QVÆSTIO VI.

Vtrum Pontifex veniat contra ius naturale & diuinum, si Monasteria destituta, aliis alterius Ordinis Religiosis, vel etiam aliqua eorum bona Seminariis sæcularium Clericorum conferat?

QVæstio Vniuersa duobus capitibus absoluitur. I. Argumenta F. Romani afferuntur. 2. Eadem soluuntur.

CAPVT PRIMVM.

Argumenta Fratris Romani proponuntur.

1. *Pontifex obligatus lege diuina & naturali seruare vltimam voluntatem nec alienare bona Ecclesiæ maximè fideicommisso relicta. & n. 9.*
Iniuria fit fundatoribus, & ijs, quibus relicta sunt, si alienentur.
Damnum iniuria alicui illatum est reparandum.
Petri Abbatis Cluniac. sententia.
2. *Angeli authoritas allegatur.*
3. *S. Gregorij Magni epistola decretalis affertur, & ipsius P. Laymanni sententia.*
4. *Ius diuinum quid de legatorum piorum translatione disponat, ex mente Adriani.*
5. *Pontifex non potest Ordinaria potestate alterare vltimas voluntates, & n. 8.*
6. *Multo minus sine causa.*
7. *Epiikia Fr. Romano quid? hic videtur non habere locum.*
Quomodo à mutatione voluntatis vltimæ differat.
Fideicommissum quibus verbis inducatur.
Fideicommissum familiæ quomodo intelligendum.
8. *Vide supra n. 5.*
9. *Vide supra n. 1.*
10. *Alicui rem suam citra suum factum auferre, pugnat cum iure naturali.*

11. *Concordata Germaniæ tanquam contractus obligant non tantum priuatos, sed etiam ipsum Summum principem.*
12. *Extrauag. ad regimen. de præb. & dign. vt assumantur viri qualificati, &c.*
13. *§. Placet nobis, &c. ex Concorditis German. proponitur.*
14. *Princeps tenetur se opponere aduersantibus pro conseruando iure suorum subditorum.*
15. *Iniuria fit vel omissione vel commissione.*
16. *De læsione iurisdictionis Episcopalis, Annatarum, &c.*
17. *Non concupisces rem proximi tui, &c.*
18. *Episcopatum Mersburgensem, Magdeburgensi iuncturus diuinitus punitur.*
VVernerus Argentinensis ob Hirsaugiense Monasterium malè mulctatur.

ARgumenta, quibus F. Romanus ostendere conatur, Pontificem atque Imperatorem contra iura naturale & diuinum acturos, si ille, hoc approbante, Monasteria emortua alijs aliorum Ordinum Religiosis, vel etiam aliqua ex ijs bona Seminarijs Clericorum sæcularium conferret, petuntur vel ex FVNDATIONE Monasteriorum, vel CONCORDATIS Germaniæ, vel IVRE EPISCOPORVM, &c.

Ex fundatione Arg. 1.

1. Ex FVNDATIONE petita.

F. ROM. *q. 2. n. 19. & 30. & q. 3. n. 5. §. quocirca fol. 158.* ex P. Filiucio *tract. 44. de alien. bon. Eccles.* docet, quod Summus Pontifex tam ex officio, quam quasi ex contractu cum ijs, qui bona Ecclesiæ reliquerunt, obligatus est lege diuina & naturali tam illis (fundatoribus, F. Rom. *d. l nu. 19.*) quàm ijs (Ordinibus *d. n. 19.*) in quorum emolumentum relicta sunt, non alienare, quam vt illorum voluntate permitti probabiliter præsumi posit, adeo vt si contrarium fiat (ait idem Filiuc. *c. 3. n. 20. & 43.* apud F. Rom. *q. 2. n. 30.*) iniuria fiat fundatoribus, quorũ voluntate legitima & rationabili non statur: lædatur vtilitas publica, cultusque religionis &c. cum inde reuocentur homines à similibus legatis faciendis, dum rationabiliter metuunt, id sibi suisq; fundationibus olim futurum, quod alijs fieri vidẽt, &c. Fiat iniuria successoribus Religiosorum, (pergit *n. 47*) quæ tantò maior est, si præter iacturam bonorum fortunæ, famæ quoque periculum adsit, quod tunc accidit, quãdo bona ita sine causa auferuntur, vt detur alijs occasio probabilis suspicandi, factum id esse vel propter ignorantiam, inertiam, inscitiam, vel propter vitam flagitiosam successorum. Vbi *n. 43.* adiungit. Teneri summum Pontificem ex iustitia reparare id, quod interest tam in fama & existimatione, quàm bonis tempo-

temporalibus. Præsertim quando res est specialiter obligata fideicommisso, vt eadem in specie successoribus transmittatur, vt ait *n.26.ibid.* Cuiusmodi sunt loca religiosis Ordinibus fundata. At quando hæc Monasteria emortua conferuntur alijs alterius Ordinis Religiosis vel Seminarijs clericorum, iam *i.* ipsa dicerentur alienari. Omnis quippe actus, per quem rei Dominium ab aliquo ad aliū trāsfertur, est alienatio *l.1.C.de fund.dotal.* Azor *part.2.l.9.inst.mor.cap.1.* Per *supra* dictā autem collationem, à Benedictinis ad alios alterius Ordinis Religiosos vel Seminaria Clericorum, transferretur Dominium monasteriorum emortuorum. Igitur, &c. DEINDE veniretur contra legitimam fūdatorum voluntatem, adeoque iniuria cum fūdatoribus, tum eorūm successoribus, quin & fideicommissarijs fieret, hisq; hæc nota inureretur, quasi flagitiosi vixissent: Imò toti Ordini irrogaretur iniuria, secundùm tradita à Petro Abbat. Cluniac *lib.2.Epistol.11.ad Matt. S.R.E.Card.* F.Rom. *q.1.num.16.fol.57.* Igitur quando hæc Monasteria emortua conferuntur à Pontifice, Imperatore approbante, alijs alterius Ordinis religiosis vel Seminarijs Clericorum, violatur lex naturalis ac gentiū, tum diuina. CONSEQVENTER tenetur Pontifex restituere Religioso Ordini fideicommissario bona, quin & famam læsam reparare.

Arg.2. 2. Quia Angelus *in cons.328.n.5.* dicit Impium est & inhumanum, facere contra voluntatem testatoris, etiamsi fiat distributio in pios vsus, F. Rom. *q.2.n.17.* & *d.n.5.* Petr. Anton. de Petra *d.tract.de potest.princ.c.8.*

3. Quia Gregorius Magn. *lib.7.epist.* 51. ita rescribit Secundino Episcopo Taurominitano. Querimoniā Monachorum Monasterij Castelliensis ob- » lata ab eis petitio (quæ tenetur in » subditis siue adiūctis) patefecit. Pro- » inde fraternitas vestra hæc quæ asse- » runt, solicitā perscrutari curā studeat. » Et si ea inuenerit veritate subsistere, » rationem tuitionis illis impendat, & » Monasterium, quòd Monasterio eo- » rum vnitum est, secundum consuetu- » dinem deputatis de congregatione » eorum illic Monachis prouideat » ordinari. Quia rationis Ordo non pa- » titur, vt Monasterium ipsum & ma- » ximè contra voluntatem fundato- » rum, ab eorum dispositione ad arbi- » trium suum præsertim laica persona » subducat, aut aliquis sibi in id ius de- » beat vendicare. F.Rom. *q.2.n.7.* Quin- » imo vltro fatetur P.Laym. *fol.374. iu-* » *stæ defensionis*, violari ius gentium, at- » que esse contra naturalem æquitatem, » quando pia legata aut quomodocun- » que à fundatoribus disposita ad cer- » rum vsum pium, aliò sine causā iustā applicantur F.Rom. *q.2.n.19.* Adeoq; quisquis suaserit vt Pontifex alijs alterius Ordinis Religiosis Monasteria emortua conferat, & Imperator in eam collationem, &c. consentiat, vel non impediat, cum possit; ille Pontifici & Imperatori suaserit, vt ius naturale & diuinum violet. Ita Fr. Roman. *q.3.* & *4.* Arg.3.

4. Quod

Arg. 4. 4. Quòd per eiuſmodi voluntatum vltimarum mutationem ius diuinum lædatur, oſtendit F. Rom. *d. q. 3. nu. 5. §. quocirca, & q. 1. n. 60.* ex Adriano, qui *in 4. de reſtit. §. pro clariori*, Ita apud Ludouicum Molinam *tom. 1. de iuſt. diſp. 132.* diſcurrit; Quæ Eccleſiæ, Chriſti intuitu, collata ſunt, Chriſto ſunt collata, ſed in ſuis membris aut in ſuo myſtico corpore, eodemque modo facta, ſunt Chriſti, iuxta illud. *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*, Et illud Chriſti, ad Paulum. *Quid me perſequeris?* In membris videlicet meis. HAEC ADRIAN. Ita & de Monaſterijs argumentandum. Proinde qui aliquod Monaſterium alicui Ordini Religioſo ſubtraxerit, alijſque contulerit, ipſi Chriſto ſubtraxerit, &c. eumque in ſuis membris perſecutus fuerit, Idem docet Turrecremata *l. 2. de Eccleſ. cap. 113.*

5. Nec dicas Principem poſſe alterare vltimas teſtatorum voluntates, quia vt tradit Petr. Anton. de Petra *tract. de poteſt. princ. c. 8. nu. 20.* „Non poteſt princeps de poteſtate ordinaria „alterare vltimas voluntates. *& c. 17. n.* „*3.* Princeps non poteſt derogare te„ſtamentis, quia ſunt de iure gentium. „Et licet multi velint, quod ex cauſa poſsit hoc facere Pontifex cum clauſula, non obſtante; tamen Fulgoſius rectius ſentit ibidem tenendo contrarium.

6. Inſtabis. Quotidie ſeruari contrarium iuſta cauſa ſubſiſtente &c. Dyn. *in reg. 23. de R. I. in 6.* vbi citat Panorm. *in c. ſignificaſti de elect. n. 8.* Felin. Ioan. Fab. CONTRA, hoc in caſu non dari iuſtam cauſam ſubſiſtentem, reſpondet F. Romanus *q. 2. n. 8. & c. qu. 3. n. 3.* &c. Quare hoc in caſu noſtro Pontifex non poterit Monaſteria Benedictinis fundata, alijs alterius Ordinis religioſis vel Seminarijs conferre Fr. Rom. *tota q. 2.* cum nõ poſsit ſine iuſtâ cauſâ ſubſiſtente vltimas teſtatorum voluntates commutare. Quin etiam ſi commutaret ſolus Papa, de plenitudine poteſtatis commutaret. Roderic. *tom. 2. qq. regular. q. 126. art. 9.* Fr. Rom. *q. 2. n. 21.* *Inſt. Reſp.*

7. Quod ſi tradideris cum P. Laymanno, per eiuſmodi translationes non fieri fundationum mutationem, ſed benignam tantùm interpretationem per Epiikiam, iam grauiter errabis *ex q. 2. aſtri nu. 21.* quia Epiikia ſeu „interpretatio hic locum non habet. „Nam Epiikia ſeu æquitas eſt virtus „inclinans ad recedendum à ver„bis legis, quando ob vniuerſale „bonum lex deficit à recto, vt in„tentioni legiſlatoris nos accom„modemus. Leſſ. *lib. 2. de iuſt. c. 47. dub.* „*9. n. 68.* Nam ſępe caſus incidunt, vt ait „idem *n. 63.* in quibus malum eſſet, ver„ba legis ſequi, V. C. LEX EST; Depo„ſitum eſſe reddendum; accidat autem, „vt quis gladium depoſitum repetat, „cauſâ pugnandi cum inimico, non eſt „parendum verbis legis, ſed contra fa„ciendum. Hoc igitur eſt officium hu„ius virtutis, quę Græcis ἐπιείκεια, Lati„nis æquitas dici poteſt. Hæc Fr. Rom. „*q. 2. nu. 22.* At quis aſſerere audebit, „ *Ad P. Laymannum de Epiikia reſp.*

" verba seu literas Fundatorum in mo-
" nasterijs eidem Ordini religioso fi-
" deicommissario restituendis hodie
" deficere à recto, seu vt loquitur S.
" Thomas *2.2.q.120.a.1.in O.* esse contra
" æqualitatem iustitiæ & per recessum à
" verbis, intentioni fundatorum nos
" melius accommodari? Igitur. &c.

" 2. DEINDE quia interpretatio tunc locum habet, cum legis verba ambigua vel obscura explicantur, vel si alias ex ea sensus absurdus nascatur, vel lex sit necessario ad incommodum trahenda, vt docet Bart. *in l. Benignius ff. de LL.* Azor. *part. 1. lib. 4. c. 15. & 16.* Atqui fundatorum verba sunt expressa, non obscura, nec ambigua pro antiquis Ordinibus, &c. IGITVR illa coniecturis per interpretationem non euertenda. per not. *q. 2. n. 17.* Nec tacitæ interpretationi fatente ipsomet P. Laymanno *fol. 361.* locus est, si in contrarium adsint verba expressa *d. q. 2. astri. nu. 22.*

3. Tum quia quando legata ad vnum pium vsum facta, in alios vsus etiam pios conuertuntur, minimum voluntas testatoris obiectiua mutatur F. Rom. *q. 3. n. 3.* Ergo etiam quando Monasteria vni Ordini ex fideicommisso obligata, dantur alteri Ordini vel Seminario Clericorum, voluntas testatoris saltem obiectiua mutatur; CONSEQVENTER vbi datur mutatio; interpretatio locum non habet; cum sibi opponantur etiam à P. Laymanno *q. 2. præambula fol. 22.* Mutatio, *inquiente*, infert aliquid contrarium voluntati defuncti aut fundatoris: Interpretatio autem infert aliquid, quod d. voluntati non contrarium, sed potius est consentaneum.

Quod verò Monasteria, mortuo eorum conuentu ex vltima testatorum voluntate & fideicommisso alijs eiusdem Ordinis veniant restituenda, supra probatum *q. 3.* *De fideicommisso.*

ET CONFIRMATVR. Quia hoc ipsum arguunt ipsa testatorũ verba, quibus Monastica bona Ordini reliquerunt. Nam verba trãseant, deueniant seruẽtur. Cephal. *cons. 478. nu. 32. 33. 35.* Volo, Cephal. *cons. 477. nu. 5.* aut nomen collectiuum, familiæ scilicet, cui relinquuntur Cephal. *d. cons. 478. nu. 36.* significant fideicommissum inductum Cephal. *d. l.* & quidem, quando nomine collectiuo familiæ d. Monachis bona relicta sunt, veniunt Monachi omnes gradatim & ordine succesiuo, ita vt quamdiu aliquis ex familia superest, illi ipsa debeantur, sintq; restituenda. Dd. apud Simonem de Prætis. *de interpret. vlt. vol. li. 3. solutione 9.* Vnde etiam reliqui de Ordine dicuntur habere spem probabilem. Petr. de Petra. *de potest. princ. cap 32. n. 1.* Adeoque quando Monasteria emortua non reliquis ex eodem Ordine, sed alijs alterius Ordinis conferuntur, vtique mutatur voluntas testatorum; siquidem venitur contra voluntatem testatorum, reliquos eiusdem Ordinis Monachos ex fideicommisso vocantium. *Confir.*

8. Quæres, qua potestate possit Pontifex testatorum voluntates mutare? RESP. F. ROMANVS *Quæstiuncula 8.*

non

Non ordinaria, sed absoluta plenitudine tantum potestatis id posse. 1. Quia per istam translationem contra & supra ius (quo iubentur vltimæ testatorum voluntates esse ratæ:) ageret. 2. Quia alijs eiusdem Ordinis ius suum & Dominium saltem subalternum auferret, quod facere nequit nuda interpretatione, vel Ordinaria potestate, suppositis nostrorum locorum circumstantijs. Rodriq. *tom. 2. qq. reg. q. 126. a. 9.* F. Rom. *q. 3. n. 3.* sed opus est grauissimâ causâ. Cum Princeps sine causâ contra ius naturale nihil facere possit. Innoc. IV. *in c. quia plerique. de immun. Eccles.* nec possit ius naturale aut diuinum relaxare, vel si relaxauerit, relaxatio nõ valeat Azor. *1. Inst. moral. lib. 5. nu. 15. Et par. 2. lib. 6. c. 12. qu. 7.* idque maximè in hoc casu nostro, vbi nulla subest causa, quæ alioqui debet esse vrgentissima, *d. n. 5. vers. sed insuper ait.*

Obiect. *Resp.*

9. Nec obstat, quòd Pontifex liberam habeat in beneficijs administrationem. Nam licet ipse non astringatur vllâ lege humanâ; diuinâ tamen & naturali manet alligatus. Ideoque & in his relictis familię Benedictinæ, Superior princeps astrictus est, lege diuinâ & naturali, licet humanâ esset exsolutus.

Collectio Priorum.

10. Ex dictis colligitur. Quod si Monasteria huius Ordinis emortua transferãtur in alios alterius Ordinis, veniatur contra ius naturale & gentium, cum iure naturali nemini citra suum factum & sine causa Dominium F. Rom. *q. 3. n. 5.* & possessio *q. 4. astri n. 50.* sint auferenda *per glo. in c. inter quatuor. de maior. & obed. verb. præiudicium, & tit. vt lit. pend. & l. si quis in tantam. C. Vnde vi. l. 2. C. si per vim vel alio modo.* Atqui Pontifex Monasteria emortua alijs alterius Ordinis religiosis sine iustâ causâ (quæ hic ostendi nequit) citra factum Benedictinorum, vtpote qui reclamant, conferendo auferret Religiosis Benedictinis, pro quibus ea Monasteria fundata sunt, Dominium & possessionem. IGITVR Pontifex illa translatione Monasteriorum emortuorum, ageret contra ius naturale, &c,

Ex Concord. Ger.

11. EX CONCORDATIS GERMANIAE seu *ex contractu* d. bona emortuorum Monasteriorum debentur Ordini, adeoque ex iure naturali ac gentium *l. iurisgentium. 7. ff de pact.* P. Layman. *fol. 185. iust. defens.* Atqui iusgentium non tantũ priuatos quoad contractuũ obseruationem obligat *d. l. iurisgentium.* Sed etiam Papam & Principem, qui hoc in genere quasi priuati habentur *d. q. 3. astri. n. 5.* ex Reginal. *lib. 13. c. 9. n. 168.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 11. q. 1.* Vnde Rebuff. *tract. nominat. q. 18. n 6.* tradit, contractus ligare Papam & Principem, imò ipsum Deum, *vt text. & ibi Bar.* Ita F. Rom. *d. q. 5. n. 5.* PROINDE si Monasteria emortua non alijs eiusdem sed alterius Ordinis Religiosis conferret Pontifex, veniret contra ius gentium ac naturale.

12. CONFIRM. I. quia in concordatis Germaniæ refertur totum *c. ad Regimen. Benedicti XII. extrauag. de præb. & dign.* *Conf. 1.*

& dign. ideoq; simul in conuentionem est deductum, vt ad quarumlibet Ecclesiarum & Monasteriorum administrationem assumantur viri Idonei. Atqui alij eiusdem Ordinis Religiosi sunt viri idonei & habiles ex fundatione, non verò alij alterius Ordinis. Cum hi prius sint qualificandi. F. Rom. *q. 4 n. 50. f. 192. q. 7. n. 22. fol. 277 & q. 3. n. 5. §. ex quibus fol. 162.* Igitur, &c.

13. CONF. 2. Quia in d. Concordatis conuenit Pontifex vt dicat; „ Placet nobis, quod in Monasterijs immediatè subiectis sedi Apostolicæ fiant „ Electiones &c. & si Canonicæ fuerint, „ eas confirmabimus &c. Cæteris verò „ dignitatibus, & beneficijs quibuscunque „ sæcularibus & regularibus vacaturis &c. iure Ordinario prouideatur „ per illos inferiores, ad quos aliàs „ pertinet. ATQVI inferiores non possunt Monasterijs prouidere de alijs, quam qui iuxta fundationem idonei sunt, quales sunt Religiosi eiusdem Ordinis; non verò alterius, cum hi prius sint qualificandi. *q. 7. n. 22. & q. 3. d. n. 5. §. ex quibus.* Ergo si inferiores non conferant Monasteria idoneis ex fundatione, sed alijs; venient contra d. Germaniæ concordata. Consequenter ius naturale ac diuinum lædent, F. Rom. *q. 3. n. 5.*

Illatio. 14. Hinc infertur, & à Pontifice & ab Imperatore ius naturale ac diuinum læsum iri; si alijs alterius Ordinis Religiosis Monasteria emortua cõferrẽtur. A PONTIFICE quidẽ, ipsa collatione alijs alterius Ordinis Religiosis factâ F. ROM. *q. 3.* AB IMPERATORE verò, quod vti Aduocatus Ecclesiæ neglectâ fide datâ ac sigillis, quin & iuramento à se præstito, contra collationẽ & translationem eiusmodi Monasteriorũ non veniat; sed permittat, contra *l. cum quis. ff. de dol.* vt iustæ fundationes ijs, quibus relictę sunt, non cõferantur F. Rom. *q. sua 4. n. 12. 50.* Cum princeps *ex d. l. cum quis.* debeat se opponere aduersantibus pro conseruando iure suorum subditorum. Viuian. *in c. in Ecclesia de maior. & obed.*

15. NEQVE DICAS, quòd Imperator hoc casu nihil agat, quo alterius ius lędatur. Nam *dupliciter* iniuria alteri fieri potest 1. commissione 2. omissione F. Rõ. *q. 3. in princ.* ex Less. *lib. 2. de iust. c. 7. dub. 1. n. 4.* Licet igitur Imperator nihil tunc committat, tamen quia omittit defensionem Ecclesiæ debitam ex iure naturali; iniuriam illi contra ius naturale inferet. *Obi. Resp.*

16. TERTIŨ probationis principalis caput est, quod si alijs alterius Ordinis Religiosis conferantur monasteria emortua, læderetur ius iurisdictionis Episcopi. F. Rom. *q. 4. n. 51. §. Respo. 3. vers. sanè.* Interuerterẽtur prouentus Episcopales, Annatæ, F. Rom. *q. 6. n. 4.* & maximè *n. 30.* &c. Consequenter ius naturale læderetur.

17. DENIQ; ex his omnibus concludit F. Rõ. *q. 2. n. 25.* & ait; illam translationem monasteriorum emortuorum pugnare cũ illo Decalogi præcepto, *Non concupisces rem proximi.* Annon, *inquiens*, rẽ proximi sui desiderat, qui hæreditatẽ proximo secundũ sacra & *Collectio cum argum. repetitione.*

pro-

„ profana iura, fundationes & Cócorda-
„ ta, adeoq; secundum omnem iustitiã,
„ debitam concupiscit? An non rem
„ proximi concupiscit, qui ius Episco-
„ pis alijsque Prælatis in Monasteria,
„ etiam per pacta specialia & concorda-
„ ta quæsitũ; & annatas, adeoq; prouen-
„ tus Episcopales concomitanter, quin
„ (vt addit *q.6.n 27.*) ipsam Episcopis
„ iurisdictionem omnimodam auferre
„ conatur? Si neget, iam in Decalogi
„ mutilationem consentit. SI AFFIR-
„ MET (vti debebit) certè hæc ipsa
„ concupiscentiæ labes eò grauior est,
„ quò magis eę Monasteriorum extin-
„ ctiones, alijsq; falsis prætextibus con-
„ tra natiuum veritatis colorem ferũ-
„ tur. Sed neque maioris boni vel con-
„ uersionis Germaniæ prætensio deli-
„ ctum hoc attenuat: docentibus enim
„ totum mundum non esse redimendũ
„ vnica offensione Dei veniali; expro-
„ brandum meritò foret, si Germanicæ
„ prouinciæ angulum, publicâ Decalo-
„ gi violatione restituere vellent. Sicut
„ igitur non licet adulterare, fornicari,
„ vel furari ad maiorem Dei promo-
„ uendam gloriam, ita neque concupis-
„ cere rem alienam

Exempla vindictæ diuinæ.

„ 18. Quin etiam Deo eiusmodi Monasteriorum translationem displicere ostenditur exemplis. I. Nam quare Ottonis II. circa annum 982. à Sarracenis & Græcis, contra quos duxerat, deletus exercitus, occisis Idib. Iulij Henerico Ecclesiæ Augustensis Episcopo alijsque compluribus Episcopis & fortissimis militibus, Vdone Gebehardo, Gunthero, Bertholdo, Ottone Duce & VVernero Abbate Fuldensi; vix ipse Imperator enatans, à nautis ignaris captus, tandem Romã redux mœrore interijt, 7. *Id. Decemb. Anno 983.* nisi quod vindictam senserit diuinam, eo quod nimio erga Hisilarium alias Gislerum Episcopũ Mersburgensem (qui S. Adalberto Archiepiscopo Magdeburgensi circa annum *980.* defuncto, in Archiepiscopatu succenturiatus fuerat) placendi studio, Episcopatus Mersburgensis bona S. Laurentio à parente suo Ottone I. in victoriæ laudem & gratiarum actionẽ oblata & donata ad Magdeburgensẽ Episcopatum transtulisset. Ita Lambert. Schafnab. ad ann. 981. Et Marian. ad ann. 982. Et sic S. Laurentius destinationem cathedrę suæ Merspurgensis vltus est, sicut prius cuidam Episcopo secundũ quietem monstrauerat, se vlturum, Idq; Ottoni II. narrari imperauerat, vt author est istius ætatis, qui S. Adalberti res gestas conscripsit apud Surium *tom. 2. die 23. Apr.* Quam translationem ideo posterioribus annis correxerit S. Henricus Imperator, Episcopatumq; suo priori restituit loco, vt videre licet apud D. Cutsemium in sua Saxon. Catholica edita Colon. *Ann. 1621. fol. 60.*

2. DEINDE, vt in pia tradit P. Raderus Bauariâ, nonne VVernerus Argẽtinensium Antistes irati numinis vindicem sensit manum, quod Hirsaugiense Monasterium inuasisset. Ait enim P. Rader⁹; VII. VVilhelmi anno Hirsauiẽsis præfecturæ, Christi vero *1075.*

Cum Borbetomagi (VVormatiæ) a-
" pud Vangiones Henricus IV. Cæsar,
" iam à Gregorio III. Anathemate ful-
" minatus, à piorum cœtu esset ex-
" clusus, conuentum Principum & 24.
" Episcoporum indixisset, plerisque
" Cæsari obsequentibus, Et Pontificem
" ipsum virum sanctum & Innocentem
" dānantibus & exauctorantibus, VVil-
" helmus (Abbas Hirsaugiēsis) quamuis
" Henrici regis literis euocatus, nec cō-
" paruit, nec dānationi Pontificis, quem
" sciebat contra ius fasque omne, pro-
" scriptum, subscripsit, imo quoscunq;
" potuit, ab execrabili illo conuentu re-
" traxit. ET INFRA; cum VVilhelmus
" cum suis damnasset Henrici Cæsaris
" schisma, nullaque ratione posset ad-
" duci, vt in illud consentiret, à Cæsare
" proscriptus est, immissusque Argenti-
" nensis Pontifex cum armatis in eius
" cænobiū, vt illud funditus euerteret,
" qui cum loricatus equū conscēdisset,
& cum armatis Hirsaugiam tenderet,
quamuis dissuadentibus & tali faci- "
nore abhorrentibus & dehortantibus, "
ipse tamen audacissimè & impuden- "
tissimè perrexit, sed vigilauit numi- "
nis vindicta & equitantem occupa- "
uit, strauit, & vita sacrilegum Anti- "
stitem exuit. Ita vt VVernerus (hoc "
illi nomen erat) priusquam loricam "
exueret, vita fuerit exutus, & viuens "
vt author ait, descenderit in infer- "
num, Qui tremendus schismatici "
Præsulis exitus omnes alios deterru- "
it, ne quid contra illud sanctum cœ- "
nobium tentarent aut molirentur. I- "
ta F. Rom. *q. 3. in fin.* similia alibi "
&c.

Vnde timeant alij translatione monasterium violare ius gentium ac naturale, aut principibus, vt violent, esse authores.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

Satisfit argumentis à F.Romano superiori cap. allatis.

Pon-

Pontifex supra ius esse dicitur duplici modo.

21. *Catalogus Ecclesiarum & Monasteriorum olim sæcularibus Canonicis, Basilianis, Hieronymianis, Augustinianis, Gulielmitis fundatorum, & postea translatorum ad Benedictinos, Præmonstratenses, Cistertiens.*

22. *Concordata Germaniæ non agunt de monasterijs emortuis.*

Locus notatus ex Cardinalium declarationibus ad Concilium Trid. sess. 23. cap. 18. n. 33. Et si reperiantur Iesuitæ &c. contra F. Rom. defenditur.

Vocabuli cæterorum quæ vis!

23. *Ingratitudine enormi reuocatur donatio &c. amittitur feudum*

22. *Delictum totius conuentus illi obest &c.*

25. *Exemptus Successor non exempti, ad quid teneatur.*

Exemptio à iurisdictione Ordinarij an citra iniuriam fieri possit.

Vniuersitatum exemptio.

26. *Prælatus quale vinculum cum Ecclesia contrahat.*

C inter corporalia de translat. explicatur. Matrimonij spiritalis vinculum quomodo fortius, quàm carnalis.

Vinculi Regularium indissolubilitas est ex vi voti;

27. *Annatæ quid & quæ prohibitæ, quæ non.*

28. *Decimum præceptum translatione monasteriorum, de qua nos agimus, non violatur.*

Quæ concupiscentia illo præcepto prohibeatur.

29. *Exempla à F. Romano citata nihil ad rem præsentem.*

AD I. RESPOND. Negando Assumptum F. Rom. quod Monachis aliorum monasteriorum eiusdem Ordinis ex fundatione, Concordatis Germaniæ, & iure Episcopali teneantur Pontifex & Imperator monasteria emortua restituere.

Ad argumenta ex fundatione petita Et quidem Ad I. RESP. illud supponere, quasi in emortua monasteria reliqui ex eodem Ordine habeant ius ex vltima testatorum voluntate. At hoc *sup. quæstione 3.* refutatum est, quia vel illi reliqui fuissent substituti vulgariter, adeoq; directè, quod tamen necdum probatum est, & tunc per aditionem institutorum, qui nunc sunt mortui, reliqui aliorum monasteriorum substituti, fuissent exclusi *l. post aditam ff. de impub & al. subst.* Vel illi reliqui substituti fuissent substitutione fideicommissaria, adeoq; oblique. At non. Et si à F. Rom. ostendantur testatores nominare RELIGIOSAM FAMILIAM; Ego probabo, eam ab ijs determinatam pro hoc loco, vt supra ex fundationum literis vidimus, & arguit particula IBI. in testamentis & fundationibus vsurpata. Vnde cum voluntas testatorum sit quoad huius loci familiam determi-

nata & limitata, ipsa etiam substitutio fideicommissaria ab illa voluntate profecta, erit quoad huius loci familiam religiosam limitata. Cephal. *lib. 3.cons.432.n.26.& cons.383.n.8.* Cum causa limitata, limitatum producat effectum *l.in agris ff.de acquir.rer.dom. l.2.ff.de per.& comm.rei vend. l.cum seruo ff.de contrah.empt.c.licet de decim. c. multa de vot.* Cephal.*d.l.cons.432.n.28.* Nec fideicommissum extendatur ab vna persona ad aliam, nisi probetur Mantic.*lib.6.coniect.vlt.vol.tit.14.n.22. & lib.7.tit.3.n.1.* Proinde familia fideicommissariò pro certo hoc loco erit substituta. Et cum hæc sit emortua & extincta, fideicommissum quoque extinctum erit *l.cum ita §. in fideicommisso.ff.de legat.2.*

DEINDE vnius inclusio est alterius exclusio VVesembec.*lib. 2. cons. 94. de subintellecta in fideicomm. conditione, si sine liberis, n. 34. & lib. 1.cons. 25.n. 5. per l. cum prætor ff.de iudic.* Atqui in fideicommisso Monachi huius loci fuerunt inclusi. Igitur cæteri aliorum Monasteriorum erunt ab illo exclusi. CONSEQVENTER fideicommisso exclusi, perinde habebuntur, ac si de familiæ numero non essent Cephal. *cons.614. nu. 12. per l.1. §. quibus.ff.de success.edict.* vbi est clarus casus.

2. Quod si igitur reliqui aliorum Monasteriorum de eadem familia à fideicommisso sunt exclusi, non poterunt ipsi, quando bona Monasteriorum emortuorum alijs alterius Ordinis dantur, conqueri, quasi illis auferatur aliquod ius ex fideicommisso competens, cum nunquam illud habuerint, eò quod fideicommisso nihil eis fuerit relictum; adeoque quando d.bona monasteriorum emortuorum alijs alterius Ordinis religiosis, idque in Ecclesiæ Catholicę vtilitatem, conferuntur, non poterit dici, tunc fieri alienationem, Vt malè assumebat Fr. Romanus *q.2.n.19. & q.3.n.5.* "

" Cum alienatio nihil aliud sit, quam "
" translatio eius, quod cuiusque est, vt "
sibi absit, alteri verò adsit. Gœd.*in & per text.l. alienationis 28.ff de V.S.nu.4. & per l.1.C.de fund.dotal.l.fin.C.de reb. alien.non alien.* Vnde alienatio essentialiter duo includit. I. amisionem rei, alicui personæ vel congregationi existenti debitæ, deinde eiusdem rei ab alio acquisitionem.

ATQVI hoc casu, quo mortui omnes huius Monasterij Monachi, non datur amisio rei, alicui personæ vel congregationi debitæ; cum nulla persona vel congregatio eiusmodi adsit, cuius vel illa res sit, vel ipsi debeatur, vt *q.1.* probatum est. Igitur nec hoc hoc casu nostro, quo omnes alicuius loci Collegæ religiosi exspirarunt, datur alienatio. Nam quando plura ad esse vnius requirũtur coniunctim, non sufficit, vnum tantum ex ijs interuenire; ideoque ex defectu cæterorum, actus dicitur in esse non productus.

Cum paria sint nihil fieri, vel partem tantùm indiuidui fieri *l. furio-*

riosum vbi glos. C. qui testam. fac. poss. Euerard. *in loc. ab effectu eorum, quæ simul requiruntur n. 1. & 6.*

3. Quòd si relictum alicubi ostendatur familiæ simpliciter; quod ostensum necdum est.

RESPONDEO ego, nomine familiæ contineri tantum descendentes testatoris, non autem transuersales Intrigliol. *de substit. cent. 3. qu. 830 n. 5.* Menoch. *4. præsumpt. 88. n. 2.* Atqui Monachi huius loci legitimè à Superiore substituti, habent se vt descendentes; reliqui verò aliorum Monasteriorū, vt transuersales. Igitur &c.

4. Huc facit, quod in relicto familiæ simpliciter, vocentur proximiores primo gradu quibus excussis vel mortuis vlteriores non admittūtur Raphael Cuman. *in l. Gallus §. quidam recte. de lib. & posthum.* Simon. de Præt. *de interpret. vlt. vol. lib. 3 solut. 9. per tot.* Menoch. *cons. 85. nu. 97.* Cephal. *cons. 80. n. 34. cons. 269. n. 16.* Placentin. *cons. 38. & cons. 80. lib. 6. in mater. ex* Socin. iun. *cons. 180. nu. 53. lib. 2.* per *l. cum ita §. in fideicommisso. de legat. 2.* Vbi proximiores primo gradu ad fideicommissum admittuntur, vlteriores verò excluduntur, nisi aliud testator expresśisset *l. fin. C. de V. S.*. At descendentes habent se vt proximiores primo gradu, reliqui verò transuersales, vt vlteriores. Nam gradus licet strictè acceptus significet tantū aliquod membrū vnius lineę ex in ordine succedentium; attamen in Materia fauorabili latè acceptus, vt significat integrum aliquem Ordinem succedentium secundum Rebuff. *in l. liberorum appellatione 225. §. Totiens ff. de V. S. l. 1. ff. de gradib.* prout hic accipitur, ita primus Ordo succedentium, qui est descendentium, appellatur primus gradus; secundus ordo succedentium, qui est ascendentium; secundus gradus; tertius Ordo succedentium, qui est transuersalium, tertius nuncupatur gradus.

Vnde quando in *d. l. cum ita. §. in fideicommisso*, definitur, quod in fideicommisso familiæ, proximiores primo gradu admittantur, vlteriores verò excludantur, efficitur, quod Monachi ex fideicommisso familiæ vocati, veniant, qui habent se vt descentes, non verò vt collaterales, nisi aliud testator expresśisset. Atqui à Monachis hoc in loco institutis substituti habent se vt descendentes, reliqui aliorum Monasteriorum, vt collaterales, vt palam est, neque aliud testatorem hic expresśisse ostenditur, neq; ostendi potest. Igitur, &c.

DEINDE si vt vult F. Romanus, ex fideicommisso familiæ veniunt, quotquot de illa sunt familia, nec exstinguitur illud fideicommissum familię, quamdiu aliquis de illâ familia in orbe superest, sequitur etiam vlteriores primo gradu ad fideicommissum esse admittendos, quod repugnat *d. §. in fideicommisso*, &c Igit.

5. Quod si F Rō. paratus sit mordicus defendere contrariā Parisij *cons. 11. n. 23. per tot. vol. 2.* Mantic. *lib. 8. de coniect. vlt. vol. lib. 12.* aliorumque Dd. sententiam; qui ad fideicommissum familiæ sim-

ſimpliciter relictum tradunt *ex l. fin. C.de V.S.* venire, quotquot de illâ ſunt familiâ, gradatim tamen & ordine ſucceſsiuo, ita vt primò deſcendentes proximiores, deinde ijs deficientibus, vlteriores etiam collaterales ad illud fideicommiſſum admittantur, Illo ſicut & cæteris caſibus, RESPONDEO, Pontificem pro modernorum temporum circumſtantijs & hoc noſtro rerum ſtatu interpretaturum vltimam teſtatorum voluntatem, non verò mutaturum.

Nam interpretatio vltimarum voluntatum ICtis apud Manticam *lib. 3. de coniect. vlt. vol. tit. 2. n. 7.* dupliciter fieri poteſt. I. quod teſtatores ita abſolutè ſenſerint. 2. Quod ſi teſtatores cogitaſſent de his illiſuè circumſtantijs, ex veroſimili illis conformiter diſpoſuiſſent, *l. pen. ff. de iur. codicill. l. vlt ff. de hæred. inſtit.* vide & Manticam *lib. 3 de coniect. vlt. vol. tit. 19.* Nec enim teſtatores, mutatis rerum & temporum circumſtantijs præſumuntur idem diſpoſituri; cum omnis diſpoſitio intelligatur rebus in eodem ſtatu permanentibus Barboſ. *axiom. 73. n. 3. ex l. quod Seruius ff. de condict. ob cauſ. c. in parochia 16: q. 1.* Ancharan. *conſ. 394. n. 3. in fin.* Vnde cum res fideicommiſſo obligata aliter ſe habeat, atq; ante, adeoq; quodammodo ſit mutata, cui mutationi ipſe teſtator de iure præſumitur cõformiter diſponere, nõ video quomodo Superior pro hac varietate circumſtantiarum vtilitatis vel neceſſitatis Eccleſiæ ex iure voluntatem teſtatoris interpretans & declarans, poſsit ipſe dici mutare teſtatoris voluntatem; Cum nihil voluntati teſtatoris in his circumſtantijs conſideratæ contrarium ſtatuat Superior. Nam vt quis teſtatoris voluntatem mutare dicatur, debet actum exercere contrarium illius voluntati ſupremæ, vt ipſemet fatetur F. Rom. *loc. cit. q. 3. n. 3. §. circa mutationem.*

6. Quin etiã poſito, non tamen conceſſo quod hoc in caſu mutanda veniret teſtatoris voluntas, tamen mutatio illa à Superiore ſufficientem habente authoritatem fieret, nec ſine cauſa rationabili vtilitatis publicæ, cui meritò cedet priuata teſtatorũ voluntas *l. 1. C. de primipilo lib. 12. circa fin. c. bona il. 1. de poſtul. prælat.* Vnde nec ius naturale, nec gentium aut diuinum dici poterit aut læſum aut lædendum; nec iniuria irrogari fundatoribus; Cũ priuata ipſorum voluntas cedere debeat vtilitati publicæ; Nec dici poſsit mutatione illa voluntatis læſa vtilitas publica, aut lædi; cum hæc potius promoueatur, vt cuique, non tamen igne fatuo deluſo, palam eſt.

Neque iniuria fiet ſucceſſoribus religioſorum, cũ religioſi aliorũ monaſteriorũ, monachis huius Monaſterij emortuis, necdũ ſint à Superioribus legitimis ſubſtituti, adeoque necdum bona illorum ex fideicommiſſo obtinuerint, vt ſint ſua. CONSEQVẼter nec poterunt dici eorum tanquam ſuarum rerum facere iacturam. Ius verò in ſpe, ſeu ad rem, quod d. caſu poſito, non conceſſo, illi alij haberẽt, ex cauſa vtilitatis publicæ, poteſtate Ordina-

dinariâ à Superiore citra vllam iniuriam illis auferretur, vt tradit Petr. Anton. de *Petra de poteſt. princ. c.32.*

Ad Petr. Abbat. Clun ſēt. Reſp.

7. Neque his contrariatur Petrus Abbas Cluniac. Agit enim de monachis alicuius loci viuis, atque inauditis ex monaſterio eiectis, quæ haud dubiè grauis iniuria eſt; Nihil igitur contra noſtrum caſum, quo omnes ſunt mortui, non verò viui amplius illius monaſterij Collegæ; ipſe Petrus Abbas Cluniacenſis facit.

8. Quod additur, alios aliorum monaſteriorum eiuſdem Ordinis Religioſos famæ periculum ſubire, negatur. Cum illis hoc caſu noſtro, quo omnes alicuius loci monachi ſũt mortui, ſpes tantum, iuſta tamen interueniente cauſa præſcindatur, quæ nullum famæ periculum ſecum trahit. Num enim ideo alicuius domini agnatos vel cognatos vocabis in diſcrimen famæ ac honoris, quod is ſuas facultates donet religioſo aut pio alicui loco, vel deſtinet eas in publicam reip. vtilitatem?

9. Aſt ait F. Romanus *q. 2. n. 8. q. 3. n. 3. &c.* hîc non interuenit iuſta cauſa. Quî ſic F. Romane? Num pia iuuentutis inſtitutio &c. & publica reip. Chriſtianæ vtilitas, non tibi videtur iuſta cauſa? Si ignoras, abi & diſce à Gregorio Tholoſano *de inſtit. rei. benef. c.20.n.10.&c.*

10. Ad illud, quod ſubijcitur, Pontificem ex iuſtitiâ teneri reparare id, quod intereſt tam in famâ & exiſtimatione, quàm bonis temporalibus. RESPOND. Id verum eſſe, quando Collegiũ Religioſum adhuc exſiſtẽs ſine cauſa abrogatur, aliudq; illi ſubſtituitur, vt oſtendunt ipſa verba FIliucij à F.Rom. hoc caſu allata. Atqui hoc caſu noſtro nec Collegiũ Religioſũ illic exſiſtjt, Ponitur enim omnino nemine ſuperſtite emortuũ Igitur &c.

11. Deniq; quod aſſerit F. Rom. *q. 2. n.19.& 30.q. 3.n. 5.* illo caſu dari proprie d. alienationem; id negat gloſſa *in d.c.Eccleſiæ ad fin.16.q.1.* approbata à Petro Antonio de Petra *in tract. de iur. quæſ.nõ toll.c.24.n.80,81.* Hic enim ait; "gloſſa *in d.c.Eccl.* loquitur in alijs ter- " minis, ſcilic. vtrum Papa dicatur alie- " nare, dando vni Eccleſiæ, & auferen- " do alteri, Et concludit, quod non. Et " eſt verum, argumento fratris donan- " tis ſorori *l.voluntas C.de fidei comm.* vbi Dd. docent, quod ſi filijs à patre ſit prohibita alienatio rerum, non propterea impediatur vnus ex filijs, quo minus ipſe ſorori ſuę donet. DEINDE probatur ex ipſius F. Rom. ratione, quod illo caſu noſtro non foret proprie alienatio. Nam hæc notat, actum quo transfertur ab vno ad aliũ, dominium *l. 1.C.d.fund. dot. F. Rom. cit. loc.* Atqui hoc caſu noſtro non transferretur ab alijs aliorum monaſteriorum monachis dominium. Cum hoc necdum obtinuerint. Necdum enim à Superiore legitimo ipſis illorum monaſteriorum collatio facta, vt ſupra noſtra *q.1.c.3.* oſtendi. Igitur. &c.

Attamen ſi alienatio genericè accipiatur pro translatione non ſolum

iuris

iuris plenè quæsiti & in re, sed etiam in spe & ad rem, alicui facta vel facienda, potest concedi F. Romano, quod ita supposito, non concesso casu foret alienatio. At tunc in eiusmodi translatione sufficit Ecclesiæ vtilitas, nec opus est vrgentissimis & maximè necessarijs causis; quia vt ait Tholosanus *de instit. rei benef. c. 20. n. 10.* In symbolizantibus facilior est transitus *l. 1. C. non licere habitatorib. Metrocomiæ. lib. 11. tit. 55. l. cum pater 77. §. libertis ff. de leg. 2.* quæ regula & philosophis nota est. Atqui religiosa familia, â qua ius ad rem transferretur, & altera religiosa familia, ad quam transferretur ius in re, sunt symbolizantes propter tria vota substantialia paupertatis. &c. Igitur &c.

12. Porrò seminarijs Clericorum quando à Superiore conferuntur bona monasteriorum emortuorum, quis est, qui negare ausit non adesse illic Ecclesiæ vtilitatem? Profectò is contra Concil. Tridentini definitionem *sess. 23. c. 18.* sentiret, suumque iudicium iudicio totius Ecclesiæ præponeret; quod quam periculosum sit, nemo est, qui nesciat. Excogitet F. Romanus mille alios dotandorum seminariorum modos, nullus commodior, quam qui à suâ Sanctitate totius Ecclesiæ capite prudentissimè est constitutus. Cum ipsius Pontificis sit tanquam capitis ad membra singula, alimenta transfundere *9. q. 1. cuncta & c. per principalem. de excess. prælat.* Card. Zabar. *in Clem. quia contingit de rel. domib. n. 9.* Quare frustra laborat F. Romanus tanquam Ecclesiæ membrum inferius de alimentis seminario Clericorum hinc inde attribuendis.

Ad Coll. Ex dictis relinquitur, nec Pontificem conferendo, nec Imperatorem permittendo monasteria emortua transferri in alios alterius Ordinis Religiosos vel seminaria Clericorum, agere contra ius naturale, gentium ac diuinum, vt ante demonstratum est.

13. Ad Angeli locū RESP. 1. Negando hic aliquid fieri contra testatorum voluntatem. *Ad 2. arg. Resp.*

RESPOND. 2. Posito, non tamen concesso, quod factæ translationi contrariaretur voluntas testatorum, hæc tamen casu, quo publicæ Ecclesiæ vtilitas ageretur, foret irrationabilis, ideoque nec curanda, & voluntas illa tanquam priuata publicæ postponenda erit Ecclesiæ vtilitati.

NB. Tamen propterea nos non asserimus, quod expressa testarorum voluntas prætextu alicuius pietatis possit mutari, sed prudenter, necessitate vel euidente Ecclesiæ vtilitate publica id exigente. Ideoque Angelus nihil contra nos.

14. Ad 3. Respond. S. Gregorium agere de Monasterio alteri Monasterio subiecto atque ab ipso pendente, quod laica persona conabatur abstrahere, vt verba ipsa sonant & significant. At nos non agimus de Monasterijs ab alijs dependentibus, nec vt ea per laicam personam abstrahantur. Igitur ἐδὲν πρὸς ἔπος.

Ad 4. Resp. 15. Ad 4. Respond Illud potius contra F. Romanum militare 1. quia apud Adrianum Christus dicit, quod *vni ex meis minimis fecistis, mihi fecistis.* Atqui Societas IESV est minima Christi; Deinde Seminarium Clericorum est minimum respectu Ordinis S. Benedicti, ipso F. Romano teste, qui Ordinem suum cum stellis & astris comparat. Proinde si F. Romanus illis minimis inuideat, Christo inuiderit. Resp. 2. si F. Romanus sentit, quod bona monasteriorum emortuorum collata Societati ac Seminario Clericorum, non Christo conferantur, profectò temere sentit. Ecquis enim Catholicorum vnquam contra Ecclesiæ definitionem docuit, Societatem ac Seminaria Clericorum non esse membra Christi? Respondetur III. Grauem ijs verbis à F. Romano tum Pontifici, tum Imperatori inferri iniuriam, quasi ipsi Christum persequerentur, quod oportet vt asserat F. Romanus, si locus à Fr. Rom. citatus ad rem pręsentem quicquam faciet. Verum parco F. Romano. Plura in re adeo luculente falsa non addo.

Ad 5. Resp. 16. Ad 5. Resp. 1. Falsum hic supponi à F. Romano, quasi Pontifex deberet hoc in casu nostro alterare ac mutare testatorum voluntates; cuius tamen contrarium iam *supra ad 1. Argumentum* ostendimus. Resp. 2. Posito etiam, quod hic alteranda voluntas, attamen non opus tunc potestate principis absoluta sed ordinaria; Cum iusta vtilitatis causa intercedat, *vt cap. 1. supra probauimus.* Neque ex plenitudine arguitur potestas absoluta. Cum & Archiepiscopis & Legatis de latere sua detur potestatis plenitudo per pallium designata, non tamen absoluta. Igitur, &c.

17. Ad 6. In suppositione superiori Resp. Negando Minorem, quod iusta hîc non subsit causa. Cum constet apud omnes, vtilitatem publicam Ecclesiæ, iustam esse transferendorum Monasteriorum emortuorum causam. Ad 6. Resp.

18. Ad 7. Respondeo Malè F. Romanum ex insufficiente partium enumeratione argumentari. Cum Epiikia præter recitatos à F. Romano *ratione* 1. etiam alios diuersos de quibus supra *q. 5.* includat modos. Ad 7. Resp.

Ad secundam Argumenti illius probationem Resp. Negando, quod pro reliquis aliorum Monasteriorum monachis sint verba testatorum manifesta; Quod si essent, tunc tamen veniret ex hactenus dictis pro circumstantiarum varietate explicanda. Ideoq; nihil fieret contra voluntatem testatorum adæquatè sumptam, licet prout inadæquatè præcisis his alijsve circumstantijs considerata,

videa-

videatur contra illam veniri. At hæc priuata solum est voluntas, quæ vtilitati publicæ meritò cedit.

Ad reliqua de fideicommisso familiæ, quomodocunque hoc accipiatur, iam supra in responsione ad primum argumentum sufficienter responsum est, ideoque hic non repeto. Ostendi verò illic nostram sententiam illi contrariam de iure esse veriorem, vti eam etiam appellat Simon. de Prætis *cit.loc.* & communiorem Dd.

Ad quæsiti resolut. resp. 19. AD quæsiti Respons. quod Pontifex id faciat potestatis plenitudine absoluta, RESP. negando. Nam ita in terminis docet VVames. *tom.2. consil. 410. num.2. & 3.* in confesso, *inquiens*, apud omnes est, relictum ad pium opus certum, in aliud diuersum, pium tamen ex iusta causa mutari posseà Papa, si plenitudine potestatis vtatur; nec de hoc quæritur, sed id quæritur, quod constet S. D. N. Papam per huiusmodi literas non voluisse dictam commutationem facere ex absolutâ & supremâ suâ potestate, qua supra ius est, sed ex ordinariâ, prout etiam in dubio cum Pontifex quid à iuris ratione aliquo modo exorbitans concedit, non censetur id facere ex illa absolutâ potestate, sed potius moueri ex causa rationabili, prout conuenit eius ordinariæ potestati, vt in his terminis decidit Baldus. Hæc ille. Vid. & Gail. *2. obs. 56. n. 13. 14. &c.*

Ad prob. 1. Resp. 20. AD PROBATIONEM EIVS I RESP. CONTRA ius posse aliquid esse *dupliciter*, I. Quod est contra legẽ adæquate sumptam, seu cum sua limitatione & exceptione 2. Quod est cõtra legem inadæquatè sumptam, prout sine suâ limitatione aut exceptione consideratur. PRIORI MODO interpretatio, imo etiamsi ponatur mutatio, vltimæ voluntatis non est contra sed secundũ ius expressum *in d. Clem. quia contingit. de rel. dom.* quæ est exceptio ad regulam à F. Romano supra citatam. POSTERIORI MODO dicitur mutatio illa contra ius seu regulam absque d. limitatione consideratam, licet alioquin absolutè non posteriori sed priori modo dicatur aliquid contra ius esse. Atq; de hac posteriore significatione accipiendi sunt Card. Zabarell. *in d. Clem. quia contingit.* & F. Rom; non de priore. Quando autem Dd. tradunt Pontificem contra ius agentem vti plenitudine potestatis absoluta, intelligendi sunt de priori modo, non verò de posteriori. Vnde argumentum F. Romani à separatis & diuersis sumptum, nihil concludit. DEINDE Nota Pontificem supra ius esse, posse etiam *dupliciter* accipi, I. vt superior legibus dicatur Pontifex, quas possit mutare. II. Vt superior potestate aliorum Ordinariorum, in ratione tamen potestatis ordinariæ. PRIORI MODO non potest hic casu nostro dici Pontifex esse supra ius, cum nullam legem immutet. DE POSTERIORI igitur modo intelligendi Card. Zabarell. & F. Rom. ac proinde nihil faciunt contra conclusionem.

AD argumenti repetitionem ex fũdatione RESP. Et quidem ad minorẽ. *Ad Arg repe. Resp.*

RESP

RESPOND. Negando Ordini in emortuis Monasterijs ex fundatione competere Dominium, vt supra *qu.2.* fusè demonstratum est. Ideoq; nec posse asseri, illi auferri Dominium; Cum quod quis non habet, illud ipsi auferri nequeat. *l. nemo plus iuris ff. de R.I.* Consequenter ex eo capite nec lædi ius diuinum, naturale, &c.

Et posito, non tamen concesso, quod Ordo haberet Dominium, posset illud ei ex causa vtilitatis publicæ Ecclesiæ auferri. Vide nos supra. Atque ita falsum est, quod assumebatur, Confirmatione I. Pontificem sine causa translaturum illorum Monasteriorum Dominium.

22. Illud hic addo, si legatorum ad vnum vsum pium destinatorum trãslatione ad alium pium vsum, violatur ius diuinum, naturale ac gentium quoad bona & famam Religiosorum, vt hactenus voluit F. Romanus, quin etiam interueniente causa opus est in translatione, absoluta potestatis Pontificiæ plenitudine, quomodo excusabuntur Monachi Benedictini, Præmonstratenses, Cistertienses, qui Ecclesias vel Canonicis sæcularibus vel Regularibus, fundatas, etiam ab Episcopis obtinuere?

Nam si sæculares inspiciamus Ecclesias, quot ex ijs sunt Religiosis Benedictinis traditæ.

Adelburgensis Ecclesia secundo milliari ab Ostenda Flandriæ oppido sita, in Monasterium conuersa est Benedictinorum. Myr. *in Chron. S. Benedicti cap. 41.* sub annum 1084.

Collegium Alnense ad Sabin fluuium in ditione Leodiensi olim Canonicorum fuit sæcularium, post Regularium S. Augustini, demum opera D. Bernardi Cistertiensibus cessit. Myr. *in Chron. Cister. fol. mihi 135.*

1. Andecense montis S. seu auff dem H. Bergh in Bauaria prius sæcularium fuit Canonicorum, post authoritate Summi Pontificis, Benedictinorum domicilium. Myr. *in Chron. S. Bened. c. 91.* Aventin. *fol. 135.*

2. Ardense anno 1144. Collegium Sacerdotum, conuersum est in cœnobium Præmonstratensium Myr. *in Chron. Præmonstrat. fol. 113.*

3. Bergense Collegium, pulsis Canonicis agente Bald. Barbato Flandriæ Comite datum est Benedictinis, eò S. VVinoci reliquijs translatis. Myr. *in Chron. Belg. ad ann. 1028.*

4. Curia Cellæ Ecclesiastica à Petro Patauino Episcopo in Abbatiam Ordinis Cistertiensis commutata. Hund. *tom. 2. Metrop.* in Fürsten Cell/*fol. 357.*

Hassefeldensis Præpositura diœcesis Bremensis, sub Præsule Libentio à Comite Henrico excitata, postea sub Liemaro Archiepiscopo Brem. conuersa in Abbatiam S. Benedicti. Lindebrog. *in historia Archiepis. Brem. Libentij & Liemari.*

Horreum Treuirense olim Collegium Canonissarum, nunc monialiũ S. Benedicti asceteriũ Brusch. *f. 75.*

S. Martini Treuiris prius fuit Oratorium S. Cruci anno 406. dicatũ, post an. 526. Benedictinorum domicilium à præsule Treuir. Magnerico consti-

constitutum. Myr. in *Chron. Ord. S. Bened. c 8.*

S. Mariæ ad Martyres Treuiris Basilica à Felice Treuir. Archiflamine circa n. 380. excitata, postea circa an. *694.* agente S. VVilibrordo Episcopo Vltraiectino, Benedictinis cessit Myr. *ibid. c. 32.*

Metense in Bauaria Canonicis à Carolo M. ann. 802. fundatum, Henrico Pio Austriæ Duce circa ann. 1155. Benedictinis traditum. Myr. *ibid. c. 48.* Hund. *tom. 2 fol. 500.*

Matickhouen prius Canonicorum sæcularium, post Augustinianorum. Hund. *tom. 2. fol.* 488.

S. Odolphi Stauriense in Frisia occidentali Collegium Canonicorum à Præsule Vltraiectino B. Friderico fundatum, post ab Andrea Cuquensi Episcopo Vltraiectino an. 1132. Benedictinis traditum. Myr. *d. l. c. 88. il. 1.*

Deniq; Salefelt in Thuringia Canonicorum Collegium ab Annone Archiepiscopo Colon. in Benedictinos est translatum. Schafnaburg. *ad ann. 1071.*

Quod si in REGVLarium, &c. inquiramus Ecclesias, quot ex ijs obtinuerunt Benedictini, Præmonstratenses, Cistertienses?

S. Altonis Monasterium, vulgo Altenmunster ipsi S. Altoni eiusque fratribus Eremitis à Rege Pipino circa annum 750. fundatũ, postea sub Guelphone Bauariæ duce, eâ calamitate, quam nunc Germania experitur, destructum, Benedictinis est datum, licet subsequentibus annis pari calamitate destitutum, in Ordinem S. Brigidæ sit translatum. Hund. *tom 2. fol. 81.*

Bornhemianum in Flandria Canonicorum Regularium in Benedictinos translatum ac Monasterio Affligemiensi vnitum an. 1120. Myr. *in orig. Canon. regular. cap. 51.*

Einhamense ad Scaldin fluuiũ prope Aldenardam Flandriȩ oppidum, infra ipsum castrum Eiham, à Comite Godefrido ipsiusque vxore Mathilde in honorem S. Mariæ, Canonicis Regularibus deputatum, postea ann. 1063. BENEDICTINORUM vsui est attributum Myr. *in Chron. ord. S. Bened. c. 66.* ex Chron. Cameracensi cõtra Meyer.

Grimberganum 2. à Bruxellis milliari disitum Collegium olim Canonicorum Regularium, pòst ann. *1128.* Præmonstratensiũ Myr. *in elench. ord. Præmonstr. fol. 230. & in Chron. fol. 64.*

Hulsbergense Collegium Hieronymianorum scholis seu Gymnasio illustre apud Hattenũ in Velauia Geldriæ oppidum ad Isalam quarto Dauentriâ disitũ milliari, ann. *1239.* institutum BENEDICTINIS an. *1525* fuit traditum, licet Hieronymiani post receperint. Myr. *Chrõ. Ord. S. Bened. c. 94.*

Horti & Vineæ B. Virginis, de quibus meminit Myræus *in Chron. Cistert. fol. 107.* in maiore & minore Burloe Monasteriensis diœcesis, olim Guilielmitarum Monasterium, nunc Cistertiensium.

Laurishamense amotis Benedictinis anno 1246. traditum Prȩmonstratensibus. Myr. *in Chron. Belg. ad ann. 763.*

S. Leonardi præpositura Canonicorum Regularium, post 350. annos quoad reditus Monachis in Sangallo Ordinis S. Benedicti cessit. Brusch. *fol.116.*

Mariæ Cella à Nicolao Episcopo Ratispon. Eremitis Gothefrido & Alberto concessa, post anno. 1324. translata in Cistertienses Bruschius *lit. Qq. f.467.*

Marchianense Cœnobium à S. Rictrude Adalbaldi Duacensium Principis vidua, hortatu S. Amandi Tungrorum Episcopi excitatum, post annos 336. monialibus amotis, Leduino Abbati & Monachis Benedictinis cessit Præsule Gerardo Cameracensi Episcopo, & Balduino Flandriæ Comite. Myr. *in notit. Eccles. Belgij. fo.70. c.41.*

Monasterium Sancti Maximini iuxta Treuiros anno 333. à Constantino M. matris suæ D. Helenæ efflagitatu, regio ipsius D. Helenę palatio in templum conuerso, præsule S. Agritio, Patriarcha Antiocheno Treuirim vocato (vt constat ex diplomate Dagoberti Galliarum Regis, Memiliano XIII. illius loci Abbate, dato sub ann. 643.) fundatum est primùm pro Ordine S. Basilij & regulæ Oriētalis Monachis, cum illic temporis S. Benedictus necdum esset in rerum naturâ; pòst varijs Barbarorum vastationibus euersum, sed restitutum, Monachis Benedictinis traditum ab Hildulpho Archiepiscopo Treuir. sub annū 764. atq; à Normannis sub Arnulpho Imp. solo æquatum, mox ab Ogone Abbate fuit reædificatum. Myr. *in Chron. Ord. S. Benedict. c. 14. fol. 49. & seqq.*

Middelburgi Zelandiæ metropoli Canonicorum Regularium olim Collegium, à Godefrido Vltraiectino Episcopo circa ann. 1129. Præmonstratensibus datum. Myr. *in Elench. Ord. Præmonst. fol. 230 & in Chron. f. 701.*

Schyrense Monasterium prius Cella Eremitica ab Ottone Comite Schyrensi excitata, & Ecclesiola, pòst Benedictinorum habitaculum. Myr. *in Chron. Ord. S. Benedict. c.67. pagin. mihi 280.*

Prępositura in Selden. prius habuit Ordinis Cluniacensis Monachos; deinde incorporata fuit Monasterio *S.* Petri Ordinis S. Benedicti in Sylua Hercinia.

Soretū vulgò Schussenrietum diœcesis Constantiensis Pręipositura, olim fuit Eremitarum ex Alba seu Augia Minore, postea Præmonstratensium. Myr. *in Chron. Præmonst. fol. 158.*

S. Vedasti Abbatia in vrbe Atrebatensi apud Belgas, prius Cella Anachoretica Myr. *c.5. Chron. Ord. S. Benedict.*

S. Vdalrici Monasterium in vrbe Augustana prius Canonicorum Regularium, à S. Vdalrico post cæsos illic ab Imp. Ottone M. Hunnos Anno Dom. 965. institutorum, quibus à Brunone Episcopo Henrici II. Imperatoris Germano fratre eiectis, substituti fuere Benedictini Anno 1012. Myr. *in Chron. Ord. S. Benedicti c.59.* Brusch. *fol.136.*

VValderbach olim Canonicorum regu-

regularium, pòst amotis Canonicis, Ordini Cistertiensi traditum. Andreas presbyter in Chron. *Bauar. in Monasterio VValdsachsen.*

Has & similes monasteriorum ab Eremitis, Hieronymianis, Augustinianis, Basilianis, Guilielmitis, Canonicis regularibus ad BenedictinũOrdinem translationes vel defendit IVSTAS F. Rom. vel concedit INIVSTAS. Si INIVSTAS concedit, suum ipse Ordinem grauissimâ iniuriæ maculâ aspergit. Si IVSTAS defendit, vbi iam Ius naturale, gentium & diuinũ, quod eiusmodi translationibus lædi affirmabat Romanus? vbi vltimæ voluntates fundatorum, quas ex ipsius Romani Doctrina, sine grauissima & maximè necessaria causa mutare non licet? An in orbe terrarum non supererãt Hieronymiani, Augustiniani? Viden F. Romane, quomodo tuo ipsius laqueo captus tenearis.

Porrigis an victas ad tua vincla manus?

Ad Concord. 22. Hactenus ego ad argumẽta ex fundatione petita respondi; nunc ad ea, quæ ex Cõcordatis Germaniæ petũtur. RESP. I. Illa agere tantũ de Collegijs & cõuentibus exsistentibus viuis, vt probatũ sup. *q. 4.* nõ verò de emortuis, de quib⁹ hic agimus.

Ad *probationem 1* RESP. In Concordatis Germaniæ generatim tantũ tradi, viris idoneis conferenda beneficia, non autem speciatim determinari, quinã præcisè sint illi viri idonei, vt ipsemet F. Romanus *q. 1. n. 5. §. Ex quibus. q. 7. n. 22.* agnoscit. Nam quorsũ aliàs ipse explicaret, quinam sint viri idonei; si eos speciatim Concordata determinassent. Et licet *Maior* Syllogismi Haiani in Concordatis comprehendatur, &c. Nõ tamẽ *minor*, præcipuum F. RÕ. fundamentũ; Nec inde probari potest. Et posito, quod ex Concordatis viri idonei sint, qui iuxta sacros Canones & fundationes qualificati sunt ac habiles. At tũc negatur hæc assumptio, quod mortuis omnibus alicuius loci Monachis solitarijs, reliqui eiusdẽ Ordinis in alijs monasterijs professi, sint positiuè habiles ex fundatione & Canonibus, & alij aliorũ Ordinũ sint inhabiles. Qui verò ex fundatione & Canonibus sint viri habiles, colligendum est ex causâ fundationis finali, de qua supra. Finis enim in omni dispositione est attendendus Barbos. *in tract. axiom. 99. n. 3.*

Ad probationem 2 partis secundæ, *Minoris* RES. illã arguere Fr. Romanũ nihil ad rem loqui, quia ipsa probatio agit de electione actiuâ monasteriorum, adeoq; supponit Monasticũ Collegiũ adhuc superesse, nõ verò extinctum, vt supra *q. 2.* probatũ, Igit. &c.

RESP. 2. Posito etiam, illa agere de monasterijs emortuis, adhuc posset Põtifex ijs de dignioribus & vtilioribus personis prospicere. Chokier *in reg. 8. Canc. gl. 11. n. 22. & seq. maximè n. 26.* Adeoq; Põtifex vtẽdo hoc suo iure, nec ordinarijs, nec alijs Religiosis, qui sũt eiusdem Ordinis vllã inferret iniuriã, contrà ac sentit F. Rom. *q. sua 1. n. 16.* In locis autem, vbi Seminaria ex vtilitate Ecclesiæ erigẽda, an sint vtiliores Societatis IESV Religiosi, audiat & discat F. Romanus ex ijs, quæ notantur ex Cardinaliũ declarationibus *in sess. 28.* Conc. Trid. c. 18. *ad verb.* quod si iudi-

iudicio Episcopi. num. 33. vbi dicitur. Ante omnia in Seminarijs est conducendus Grāmaticus & musicus, qui pueros instruant, & si reperiantur IESVITÆ, cæteris anteponendi sunt. Cui loco minimè satisfacit F. Rom. respondendo, quod qui cæteris in Seminario vult anteponi, debeat esse Grāmaticus & Musicus. At Monachi, vtpote qui cantui vacant, sunt optimi Musici; non autē Societatis homines, qui ex institutione propriâ nunquam canunt. Ergo &c. Nam Maior ipsius propositio, quam vult F. Rom. ex ipso Concilio Trid. & ad illud citato loco esse desumptā, est falsa, vt ostēdūt paulo ante allegata verba. Nā non vnū & eundem debere esse Grāmaticū & musicū, prout malè asserebat F. Rō. sed diuersos, arguit verbū pluralis numeri, instruāt subiectū, quod non vni, sed pluribus respondet; Respondet aūt Grāmatico & Musico, Igitur hi nō vnus, sed plures erunt, sicut & ipsimet declararunt Cardinales, tum ad verba Concilij. " *vt singulæ Cathedrales. in §. si duæ Cathe-* " *drales vers.* si vero non poterit erigi " in quaque erunt deputandi duo ma- " gistri, vnus Grammaticæ, alter Musi- " cæ, sumptibus separatis cuiusque ciuitatis. *Et rursus* ad verba Conc. *si verò in aliqua prouincia. §. in Ecclesijs.* vbi adeo sunt tenues reditus, vt huiusmodi Seminaria erigi non posfint, prouideatur saltem expensis beneficia obtinentium de duobus Magistris, altero Grammaticæ, altero Musicæ. Vnde iterū liquet, Cardinales de Grāmatico & Musico tāquā de diuersis loqui

Adhaec ex Societatis hominibus etiam multi sunt Musici: Et apud quos magis floret Musica, quàm apud Societatis Religiosos? Deniqve esto, sint Monachi insignes Musici, adhuc IESVITAE illis præponendi, vt habent ipsa paulo ante citata verba; Et si reperiantur IESVITAE, cæteris anteponendi sunt. Nam Caeterorū appellatione omnes contineri scribit M. Teren. Clemens *in l. cum optio 17. ff. de opt. legat.* & Marcellus apud Vlpian. *in l. cæterorum ff. de V. S.* tradit inclusionis notam esse. Vnde si omnibus anteponendi sunt, etiam Monachis Musicis, quos vox (cæterorū) includit, anteponentur, adeoque Societatis Religiosi magis idonei censebuntur. Vnde relinquitur Pontificem posse non obstantibus Germaniæ Concordatis, Monasterijs etiam non exemptis de vtilioribus prospicere personis.

23. Quod si alicubi adsint Monachi malæ vitæ atque incorrigibiles, non est, quod magnopere de fundatione, Concordatis Germaniæ, alij aliorum Monasteriorum eiusdem Ordinis Monachi glorientur. Nam quod ad fundationem attinet; cum illa processerit ex liberalitate fundantis, censetur data cum qualitate & cōditione, vt res donatæ deueniant ad substitutos, si non fuerint ingrati, *arg. l. cum quis. ff. de sol. & l. stipulationum. ff. de iure dot.* At si ingratitudo ab ijs committatur contra Dominum, scilicet fundantem, rebus donatis excidant, *argu. l. 1. C. de donat. quæ sub modo.* Vnde cum fundatio sit quasi initio hac conditione affecta, vt res donatas ad posteros transmissuri, non sint ingrati

fit, vt

fit, vt exsistentibus ingratis, per quos alij erant acquisituri, tanquam indignis res donatæ auferantur *tit.ff. de his, quæ vt indignis.l.1.& l.vlt. C. de reuoc. donat.* nec possint alij successuri iustè conqueri, quasi ita delictum & pœna non suos teneat authores *contra l.sancimus C. de pœn.* & vnus ex delicto alterius prægrauetur *contra l. non debet. ff.de R.I.* Nam cum quilibet traditioni rerum suarum possit apponere legem quam vult *l.legem C. de pact.* & præmissa conditio sit quædam lex tacita traditioni rerum donatarum apposita, efficitur, vt pro eius conditionis euentu vel defectu dispositio vel fundatio facta pro ijs vel sustineatur, vel ab illis reuocetur *arg.c.1.§.fin.quæ fuit prim.caus.benef. amittend.* per quem textum *in simili* Fräciscus Curtius iunior *tract.de feud.in 5.part.conclus.1.* ex communiore Dd. sententia *contra nõnullos* probat, vasalli directò Dominum offendentis, agnatos, etiam qui in feudo antiquo successuri erant, & quidem nõ iure successionis, sed virtute primæ inuestituræ; tanquam vocati & prouidentia primi inuestiti, ob ingratitudinem offendentis vasalli,
" feudo excludi. Vnde relinquitur,
" quod quando Monachi alicubi non
" regulariter viuentes, sunt incorrigi-
" biles, facta ijs donatio & fundatio ob
" ingratitudinem reuocetur. Viuian.
" *in c. delictum de R.I.in 6.& ibi* Franc.F.
" Rom.*q.1.n.59.* per *l fin.C.de reuoc. don.*
" Vbi hæc ratio subditur, ne scilicet cuiquam sit licentia alienas res capere & frugalitatem irridere donatoris & ipsum donatorem suasque res perdere *d.l.fin.* Cum liberalitas donantis magis ad obsequia inclinare donatarium, quam ad insolentiam erigere deberet, *vt dicitur in l.1.C.de reuoc.dom.*

Neq; in Concordatis contrarium definitur de Monasterijs Monachorum incorrigibilium; vel ostendatur locus contrarius.

24. Et licet vna vel altera persona præiudicare nequeat Ecclesiæ; vel Collegio Ecclesiastico; secus tamen est, quando omnes Collegæ religiosi alicuius loci simul peccarũt, per quos alij eiusdem Ordinis illud ius essent acquisituri per can. Concil. Lateran.in append. Monachi non regulariter viuentes per alterius debent Ordinis institutionem puniri.*tit.ne cler.vel mon.in 3.tom.p.1.Conci.* De quo Canone plura quæst. sequẽti. *Ante occupatio.*

25. Ad tertium probationis principalis caput ex iure Episcoporũ petitum. RESP. vel Fr. Romanus loquitur de Monasterijs exemptis, vel de non exemptis. Si de exemptis, nõ video quid iuris, eorum ad alium Ordinem vel Seminaria translatione Põtifex Episcopis auferat. Si de non exemptis, iam Fr. Rom. non sit sollicitus, iura & Dd. determinabunt, quid obseruandum èo casu, quo non exempta monasteria exemptis religiosis conferuntur. Videndi Dd *in c. quia Monasterium de relig.domib.* Chokier. *de iurisd.ordinar.in exempt.part.4.q. 10.* Petrus Antibol. *tract.de munerib.part. 3.§.4.n.52.53.56.& seqq.* *De iure Episcopi.*

Porrò quid absurdi sequeretur, si Pontifex maximus ex causis *in Clem.*

dudum de ſepult. recitatis, propter ſubſtitutos religioſos eximeret hunc locum ab Ordinarij iuriſdictione? Nunquid & Papa Scholarium Vniuerſitates ab Ordinariorum eximit iuriſdictione citra illorum iniuriam! Annon iurisdictio Ordinariorum ab ipſomet proficiſcitur Pontifice, quid mirum igitur, ſi ab ipſo Pontifice Ordinariorum iuriſdictio quoad bona & certa loca certarum perſonarum aut congregationum certis ex cauſis reſtringatur ac negetur. Audiat F. Rō. Auguſtinum Anconam ita *quæſt. 61. in tractat. de poteſt. Eccleſiaſt. qu. 2 ad 2. & in quæſtion. 5. Reſp.* loquentem. RESP. Dicendum, quod ordinatio ſubditorum ſub Prælato facta eſt in commodum ipſorum ſubditorum, & eorum vtilitatem potiſsimè, idq; quantū ad tria; Primò quantum ad delinquentiū correctionem, Secundò quantum ad bonorū promotionem & eorum quietam contemplationem. Tertiò quātum ad Collegiorum ſeu Monaſteriorum vel Eccleſiarum tutiorem gubernationem, quæ quidem tria contingit quandoq; impediri per immediatam iuriſdictionem ipſorum Epiſcoporum. Et ideo per Papam, cui cura debet eſſe de omnibus: congruum eſt aliqua Collegia & aliquas perſonas eximi: vt in his, quæ dicta ſunt, quietius & ſecurius poſsint promoueri. Nec in hoc debent Epiſcopi grauari vel perturbari, ſi ſine eorū culpa, perſonæ aliquæ vel Collegia ſubtrahantur à Iuriſdictione ipſorum: quia cum ſubditi non ſupponantur eis in eorū commodum, nullum præiudicium præſtatur eis; imò magnum beneficium, cum tales ſubditi ab eorum iuriſdictione ſubtrahuntur. Illis autē præſtatur præiudicium, qui non quærunt, quæ Ieſu Chriſti, ſed quæ ſua. Sicut enim dicit Gregor. ſuper illo Exod. 11. quid æmularis pro me, quis tribuat, vt omnis populus prophetet. Pia, inquit, mens paſtorum, qui non propriam gloriam, ſed auctoris quærit, ab omnibus vult iuuari quod facit. Nam fidelis prædicator optat, ſi fieri valeat, vt veritatem, quam ſolus loqui non ſufficit, ora cunctorum ſonent. Hæc doctiſsimus Anconitanus.

Fortè quis cum F. Romano *q. 1. nu. 43. in fin. & alibi*: ita obijciat; Vinculum contracti matrimonij eſt iuris diuini, in quo Pontifex ſine cauſa diſpenſare non poſsit. Proinde nec intitulatus Prælatus nec reliquus clerus ſua Eccleſia ſiue ſponſa citra cauſam à Pontifice priuari poterit. Vnde nec eſt tutus coram Deo ille, cum quo diſpenſauit, vt inquit Abbas Princeps Canoniſtarum. F. Rō. *d. l.* At RESP. Hac in argumentatione F. Romanū grauiter errare. I. quia ex antecedente inferendum erat. Ergo à pari, Prælatus Eccleſiaſticus vel Clerus contraxit cum ſuâ Eccleſiâ, vinculum matrimonij ſpiritualis iure diuino indiſſolubile, in quo Pontifex non poteſt diſpenſare. Quę concluſio eſt manifeſtè falſa; quia inter Prælatum & Eccleſiam non intercedit eiuſmodi vinculum, vt arguit titulus Iuris Canonici de *renunciatione*. Vnde iure communi poteſt Prælatus ſuâ ſe abdicare prælaturâ, & Clerus aut beneficiati, ſuis beneficijs

neficijs aut officijs, Igitur, &c. Atque ita sentit Euerard. *in loc. à matrim. carnal. ad spirituale n. 10. differentiâ duodecimâ*, carnale, *inquiens*, matrimonium iure diuino introductum; spiritale, iure positiuo; quo & status Beneficiorum introductus est, vt bene declarat Panorm. *in c. postulasti de rescript.*

Quod si F. Rom. Prælatum & Clericos intelligat Regulares &c. iã Prælatus Regularis cum Conuentu Religioso non contrahit vinculum iure diuino indissolubile, cum possit se ipse abdicare, vel ab alijs Prælaturâ amoueri. At obijcies *c. inter corporalia. De translatione.* vbi dicitur, quod fortius sit vinculum Matrimonij spiritualis, quàm matrimonij carnalis.

Resp. Vinculum Matrimonij spiritualis esse fortius vinculo matrimonij carnalis secundum quid, non verò absolutè. Nam matrimonium carnale consideratur vel vt RATŨ, vel vt consummatum. Si vt RATVM; iam matrimonij spiritualis vinculum fortius secundùm quid, esse apparet ex eo, quod prælatus vinculo illo ligatus neque se solo, neque cum consensu suæ Ecclesiæ possit prælaturæ suæ renunciare; sed opus sit consensu Superioris, qui respectu Episcopi est Pontifex, sicut idem Pontifex est Superior respectu prælaturarum & dignitatum primarum post Pontificalem in Cathedralibus & principalium in Collegiatis resignandarum, idq; mensibus alternatiuis, Ianuario, Martio, Majo, Iulio, Septem. Nouembr. ex vi Cõcordatorum Germaniæ. Brand. *q. 12. in Concordat. Germ. n. 1.* Respectu verò aliorum beneficiorum sæcularium Episcopus; ac respectu regularium PONTIFEX. Dd. *in tit. de renunciat.* Atqui matrimonium Ratum non tantum vtriusque contrahentis consensu, sed & solâ vnius partis voluntate, ingrediendo religionem, solui potest, *c. ex parte 2. de conuers. coniug.* Igitur, &c.

Deinde Si Matrimonium, addo fidelium, consideretur vt consummatum, iam nihilominus Spiritualis matrimonij vinculum erit hoc fortius, saltem quoad effectum cohabitationis. Nam prælatus etiam cum consensu suæ Ecclesiæ non potest sine Papæ licentia deserere Ecclesiam. Honor. *1. sum decret. t. 9. n. 9.* At coniuges matrimonio carnali etiam consummato, possunt non requisitâ Pontificis M. dispensatione de vtriusque consensu ingredi religionem, ibidemque profiteri. *c. dudum. de conuers. coniug.* Honor. *3. summ. decretal. tit. 32. num. 8.* Ergò, Matrimonij Spiritualis vinculum est fortius quidem secundùm quid, non verò absolutè, vt plures canones, ne dicam, quotidiana experientia comprobat.

Anteoccupatio.

NB. Regulares præcisè nõ vi tituli, sed vi votorum ad certam Regulam se astringẽtes, cõtrahunt vinculũ iure diuino indissolubile. Inde tamen non sequitur, quod mortuis contrahentibus Monachis, contractus Matrimonij spiritualis indissolubilis maneat.

Cum mors etiam matrimonium carnale dirimat. *§. deinceps. Authẽt. de nupt.* Proinde Prælato, vel Religiosis eius loci omnibus exspirantibus, non potest dici, ipsos suo iure priuari. Si

bona

bona eorum alijs alterius Ordinis Religiosis vel Seminarijs conferantur. Nam cum & Prælatus & Religiosi eo in loco non sint amplius, sed extincti, non possunt ipsi dici priuari. Eò quod priuatio non detur, nisi existente subiecto ad formam vel habitum contrarium apto, vel vt ICti loquuntur, priuatio dari nequit, vbi dari nequit habitus Euerard. *in loc. à priuat. ad habit. nu. 5. per l. decem ff. de V. O. l. Iulianus ff. de diuort.* glo. *in l. 1. C. de arbitr.* Atqui mortuis omnibus alicuius loci religiosis cum Prælato, nemine omnino superstite, non potest illic dari habitus; quod non Entis nullæ sint, nec esse queant qualitates *l. eius, qui in prouincia ff. si cert. pet.* IGITVR mortui Religiosi non possunt dici suo iure priuari, quãdo Monasteria alijs alterius Ord. Religiosis vel Seminarijs Clericorũ cóferuntur. Atque hinc F. Romani argumentum nihil contra nos facit, cum agat de Monasterio adhuc constituto, seu vbi datur intitulatus Prælatus, ac Regulares intitulati, qui in nostro casu non dantur, Cum constet, ipsos esse mortuos. Nec alij aliorum Monasteriorum eiusdem Ordinis Religiosi sunt intitulati in hoc monasterio, cum legitimè à Superiore huc non, sint translati, vti opus erat *ex c. cum singula. §. prohibemus. de preb. in 6.* nec sint in eo, de nouo professi, vti *ex c. Abbate. de V. S.* requirunt communiter Dd. quemadmodum supra *q. 1.* ostendi.

Illud miror, quod F. Rom. vrgeat ANNATAS tanquam prouentus Episcopales Episcopis non auferendas; At si monasteria emortua conferrentur religiosis exemptis, annatæ Episcopis auferrentur. IG &c. Nã vel loquitur ipse de monasterijs exemptis, quorsum tunc annatę? vel de non exéptis. At quid? An nescit F. Rom. quod SS. Cõcil. Tridẽt. *sess. 24. c. 14. de refor.* & sacra Cardinalium congregatio declaratione 422. in hæc verba respóderit; Episcopus non potest primi anni „ fructus alicuius beneficij sibi retinere „ seu attribuere pro datione possessio- „ nis ei, qui legitimè prouisus est. Zerol. „ *prax. Episc. part. 2. vers. Bullæ qu. 3.* Anna- „ tæ autem sunt eiusmodi fructus primi anni ex beneficio legitimè prouisi pro datione possessionis. glo. *pragm. sanct de annatis. verb. annatarum. vbi plurib: vide, & verb. consuetudinis.*

Neque F. Romanus potest hic in contrarium adducere vllam consuetudinem, (ex qua annata saltem media id est, medij fructus primi anni deberi possũt à beneficijs vacãtibus *extrau. Episc. de elect. Io. 2. 2.* Naua. *cons. 3. de Simon.*) cum nulla in nostro casu detur vacatio sed extinctio titulorũ. *v. q. 1.*

NB. Dixi media, Nam annatarum integrarum consuetudo reprobatur à glossa *pragm. sanct. verb. consuetudinis.*

Neq; his obstant Concordata Germanię. *§. de Ecclesijs Cathedralibus*, quin ea vel loquuntur de medijs annatis, *in verb. soluantur annatæ seu medij fructus* vel permittunt annatas nisi ipsæ in Concilio futuro de ipsius nationis consensu immutentur. Atqui in d. Concil. Trid. sunt etiam ipsę, nationis consensu immutatæ, Igitur, &c.

28. Ex quibus omnibus & singulis argumentis à F. ROMANO, *q. 2. num. 25.* conglo-

Ad collectionem argumēt. Resp. Num contra 10. præceptum agetur.

conglobatis apparet malè ab illo concludi, quasi contra decalogi præceptum decimum à Superioribus legitimis in monasterijs emortuis substituti vel substituendi alij alterius Ordinis Religiosi Ecclesiæ vtiliores &c concupiscerent rem alienam. Cum bona monasteriorum emortuorum ad alios aliorum monasteriorum eiusdem Ordinis non pertinere ostenderim *q.* 1.2.3. Vel si dentur aliqua monasteria, ad quæ ius illi alij habeant, ex causa vtilitatis Ecclesiæ à Superiori posse alijs alterius Ordinis religiosis conferri, citra d. præcepti decimi læsionem; imò etiam ab alijs alterius Ordinis religiosis illa bona, prout legitimæ Superioris Ecclesię vniuersalis vtilitatem spectantis dispositioni subiacent, desiderari; quia bona illa ita considerata habent se respectu religiosorum alterius Ordinis, nec ex se, nec ex circumstantiâ vt mala aut illicita, sed vt bona. *Igitur* bona illa ita considerata appeti possunt. Nam appeti & concupisci prohibetur vel obiectum in se, aut ex circumstantia ob interpositam Superioris prohibitionem malum, vel quod desiderium in se inuoluit inordinatum vt tradit Bayle *in explicatione huius præcepti.*

Conclusionis collectio.

Ex dictis relinquitur, translatione monasteriorum emortuorum in alios alterius Ordinis Religiosos vel Seminaria Clericorum ex causa vtilitatis publicæ, Ius gentium, naturale ac diuinum non violari.

Ad exempla Resp.

29. Ad exempla RESP. Et principio ad prius de Episcopatu Mersburgensi, Illud non esse ad rem, quia Episcopatus Merspurgensis non erat extinctus, cum haberet adhuc Clerum & populum. Nos v. agimus de monasterijs morte omnium & Prælati & Monachorum illic congregatorum extinctis. *Vid. nos suprà q.* 1.

Ad posterius RESP. Illic monasterium non fuisse extinctum; cum illius adhuc viueret Prælatus ac Conuentus, vt ipsamet refert historia. Deinde illic translationem violenter factam ab Imperatore non habente transferendi potestatem, & quidem Excommunicato. Ideoq; nihil ad rem nostram, sicut nec alia, quæ refert F. Romanus, & ego breuitatis causâ tacitus transeo, indigna, quæ huc transcribam. Ad cætera progredior.

* * *

QVÆSTIO VII.

Vtrum si Monasteriorum emortuorum bona alijs alterius Ordinis, Seminarijs Clericorum conferantur, veniatur contra Ius Canonicum, & status Ecclesiæ mutetur?

CAP. I.

F. Romani argumenta proponuntur.

F Romanus *q.1.n.16.* asserit veniri contra Ius Canonicum, si monasteria emortua alijs alterius Ordinis religiosis conferantur.

1. *Seruandi sunt certi gradus substituendorum ex Iure Canonico.*
2. *Alij mortuis monachis substituendi, illi alij sunt eiusdem Ordinis.*
Surrogatum sapit naturam eius, cui surrogatur.
c. sicut alterius 7. q. 1. proponitur.
Authoritas Francisci Rubei allegatur.
3. *Ius deuolutionis repetitur.*
4. *c. quia monasterium. de rel. dom. &* ibi Panor. *proponuntur.*
Vbi datur titulus Abbatis, dabuntur etiam ex natura correlatiuorum tituli Monachorum.
Beneficia regularia danda regularibus, secularia secularibus, ex Concil. Trid.
5. *Clem. quia contingit. de rel. domib. explicatur à F. Romano.*
Non est discooperiendum vnum altare, vt alterum cooperiatur.
Fletus vnius Ordinis, non debet esse risus alterius.
6. *Status Ecclesiæ non est mutandus.*
7. *Decreta Imperatoris & Imperij pro restitutione bonorum Ecclesiasticorum olim occupatorum.*
8. *Substitutis in Ecclesiâ, bona occupata sunt restituenda.*
9. *Pontificis summi rescriptum pro Ordine &c.*
10. *Quid de praxi translatorum Monasteriorum sentiendum.*

1. Funda. I. FVndamentum eius est, quia monasteria defunctis omnibus ipsorum Collegis, debent per homines eiusdem professionis reformari, idq; probat,

1. Ex glo. & Abbate cum communi

Dd.

Dd. *in c. inter quatuor. de rel. domib.* vbi quærebatur à Domno Papa, vtrum Ecclesiæ Regulares possint fieri sæculares; Et respondetur, Nota, quod Ecclesia Debet semper reformari per homines eiusdem professionis F. Rom. *d. n. 16. c. relatum. ne Cler. vel Monach.* vbi reformari significat ordinari, & institui, prout in eodem sensu vsurpat Abbas *in c. conquerente. de off. Iud. ord. sub n. 2. & in c. cum Ecclesia. de elect. n. 6.* Vide nos sup. *q. 3. c. 1.*

2. Ex Abbate *in d. c. inter quatuor.* Oportet, *inquiente*, prius seruari certos gradus. Cum ista litera indistinctè dicat, Quamdiu per Regulares &c. vt prius reformetur locus de Regularibus eiusdem monasterij; secundò in defectum eorum, omnibus v.g. mortuis, de regularibus aliorum Religiosorum eiusdem Ordinis. Tertiò deueniendum est ad regulares alterius Ordinis. Postremò in defectum omnium Regularium, poterunt institui Clerici sæculares. Hæc glo. Abb. Innoc. *ibid.*

Conf. 1. Idem confirmat Abbas *in c. peruenit. 18. q. 2.* vbi ait, oportet prius seruari certos gradus, cum ista litera indistinctè dicat, quamdiu per Regulares reformari possunt &c. F. Rom. *q. 1. n. 16.* Certos hos gradus designat Card. Zabarella ex Ioanne Andrea *in d. c. inter quatuor de rel. domib. in verb. ordinari*; seruatis his gradibus, inquiens. Namque locus ordinabitur 1. de religiosis illius Monasterij, si fieri potest. 2. de alijs Eivsdem Ordinis. 3. de alijs alterius Ordinis. 4. De sæcularibus Clericis &c.

2. II. Fundamentum F. Romani *q. 1. n. 15. & 20.* est, quia Abbatibus & Monachis olim expulsis & post defunctis, alij Eivsdem Religionis et Ordinis sunt substituendi & subrogandi. Host. *in c. cum ex iniuncto sub n. 9. vers. in hoc etiam casu. de oper. nou. nunc.* Butr. *n. 4. vers. & dicit quod omnibus.* Ancharan. *n. 9. vers. & in hoc casu.* Abb. *n. 5. vers. & etiam eis mortuis.* Card. *n. 5. vers. per hoc etiam potest inferri.* & Socin. *n. 12. vers. imò alij.* glo. *in c. statutum. de elect. in 6. verb. collegiatas.* Ratio petitvr ex voce, Alij, quâ vtuntur Dd. citati. Nam hæc dictio similitudinem denotat, & est relatiua seu repetitiua similium, facitque positionem eiusdem qualitatis ad præcedentia *l. quidam relegatus. & ibi Bart. ff. de reb. dub. c. sedes. de rescript. glo. verb. alio &c. glo pragm. sanct. de collationib. §. primo. in verb. de alio.* Proinde veniunt substituendi alij eiusdem qualitatis, cuius fuerunt præcedentes. Bald. *in l. fin. C. de his qui à non domino &c.* Alciat. *in c. cum non ab homine. de iudic. n. 25.* Fundã 2. Prob.

Et Confirm. 1. quia subrogatum debet sapere naturam eius, in cuius locum subrogatur *l. si eum. §. qui iniuriarum ff. si quis cautionib. q. 1. astri n. 19.* Conf. 1.

Confirm. 2. ex *c. sicut alterius 7. q. 1.* vbi dicitur, similiter & sponsa Episcopi, quia sponsa vxorque eius dicitur Ecclesia, illo viuente, ei est alligata; eo verò defuncto, Conf. 2.

functo, ſoluta eſt, & cui voluerit, nubat tantùm in domino, id eſt, regulariter, vbi glo. inquit, *in d. verb. regulariter*, id eſt, homini ſuæ profeſſionis, 28. *q.* 1. *caue.* Et ſic pariter Collegia & Conuentus Regularium Ordinis S. Benedicti, quoad Ius non deſierunt eſſe in dictis Monaſterijs morte Abbatum & Monachorum olim ab hæreticis eiectorum, ſed illud ſemper integrum & illæſum permanſit, iuxta ſtatum antiquum, ita vt hodie recuperatis Monaſterijs, Iure poſtliminij alij Abbates & Monachi eiuſdem Ordinis ſubſtituendi ſint, vt ait Petrus Franc. de Rubeis ICtus & Aduocatus Rom. *in ſuo conſilio* hac de cauſâ iam ante ſexennium ſcripto.

Fundā. 3. 3. III. Fundamentum eâdem *q.* 1. *n.* 11. 12. 13. 14. *&* 23. quod vacantibus Monaſterijs, prouideri DEBEAT de perſonis eiuſdem Ordinis & religionis; ſumitur ex iure deuolutionis, eiuſque natura. Nam deuolutio fit cum eodem onere & qualitate ad Superiorem, cum quibus conferre habebat primus conferens. Rebuff. *in prax. benef. de deuolutionib.* & ante probatum eſt. Atqui mortuis omnibus de Collegio, deuolutio prouiſionis fit ad Superiorem. Rebuff. *d. l. n.* 18. Pan. in *c. nullus in Eccleſia. de elect. n.* 10. *& in c. cum Eccleſia de elect. ſub. n.* 9. *&c.* Igitur cum ijſdem qualitatibus & onere fit deuolutio prouiſionis, cum quibus habebat conferre primus collator, ſeu monachi mortui &c.

4. IV. Fundamentum *q.* 1. *n.* 40. petitur ex *c. quia monaſterium. de relig. domib.* vbi legimus, quod Monaſterium quoddam ſitum erat in fundo Martiano hoſtilitate deſolatum, idq; Papa vniuit Monaſterio Agapiti Abbatis cum omnibus rebus & actionibus, quæ ei competebant, ſaluâ iuriſdictione Nucerini Epiſcopi, in cuius diœceſi ſitum erat, vt etiam videre eſt in Epiſtolarum S. Gregorij *lib.* 1. *epiſt.* 67. Et hoc Monaſterium, vt ait Abbas *cit. cap.* erat (non exſtinctum) ſed deſolatum ſeu deſtitutum à Religioſis, vbi pòſt. *n.* 3. Fundā. 4.
Vltimò hic quæritur, *inquit*, vtrum "
in iſto Monaſterio vnito erit am- "
plius Abbas? DOCTORES videntur "
velle QVOD SIC. Dicunt enim, "
quod ex quo vnitur Monaſterium vt "
Monaſterium, debet CONSERVARI "
in ſtatu ſuo, & ſic debet habere con- "
gregationem Monachorum, & Ab- "
batem ſolitum; quia NON ALTERANTVR IVRA ECCLESIÆ "
per vnionem. Hæc vera intelligo, "
quando facultates Eccleſiæ vnitæ "
ſuppetunt ad conſeruandum eam in "
priori ſtatu. Hucvſque Pan. Ex quibus apparet, ipſum & Dd. communiter ſentire, quod in Monaſterio totaliter deſolato, ſuperſit titulus Abbatis & iura Collegialia omnia, quæ debent conſeruari in ſtatu ſuo, etiamſi Monaſterium tale alteri vniatur, nedum ſi ſeorſim maneat reformatum.

Hinc ſi titulus Abbatis adhuc ſupereſt, etiam tituli Monachorum mane-

" manebũt, ex naturâ correlatiuorum, " quorum vno posito, ponitur & alte- " rum. Titulus autem Abbatiæ vel prio. " ratus Benedictini ex vnâ, & Monachi " S. Benedicti ex alterâ parte sunt correlatiua. Et Ecclesia Monastica seu Titulus illius, habet se respectu intitulati Monachi, sicut vxor respectu viri seu sponsi, secundum glo.& Can. FACIT *c. sicut alterius* 7.*q.*1. Vnde glossa.*verb. coniugiorum*.34.*q.* 1. & 2.*cap*.1. dicit, quod Ecclesia Clerico debet restitui de captiuitate redeunti; per quãtumcunque tempus detentus fuerit, si probat iustum impedimentum, Cum Ecclesia sit vxor Clerici. 7. *q.* 1.*sicut & pastoralis*.13. *q*.2. *Vnaquæque*. Et in specie de Monacho fatetur Opponens *fol*.8. Vid. Abb. *in c. dudum*.54. *de elect. n*.33. Iam ergo cum vxorem & sponsum oporteat esse eiusdem speciei (aliter non erit matrimonium) Et aliorum Ordinum religiosi vel Clerici seculares &c. non sint eiusdem speciei, cuius est prælatura, seu Titulus Benedictinus; sequitur euidenter, quod monasteria emortua eiusdem Ordinis Religiosis debeantur, & pro comparanda seu desponsanda sibi huiusmodi viduatâ Ecclesiâ, nemo ius habeat agendi præter Monachos Ordinis S.Benedicti; si qui alij pro Ordine egerint, paranymphi, non sponsi esse poterunt Hæc F. Rom.*q*.1.*n*.43.

Confirm. Et Confirm. *d.q.*1. *num.* 43. ex L. Zecchio *lib. de rep. Eccles. tit. de benefi- ciat. sub num*.3. vbi inquit; Duodecima " conditio est, vt beneficia sæcularia " dentur sæcularibus, regularia verò re- " gularibus, seu vt beneficium non ali- " ter conferatur (nec iure enim potest) " quam natura beneficij requirat, vt ait " Ioan. Selua. & alij apud Innoc.*in c.fin.* " *de Cler.non resid.* Estq; expressa senten- " tia Concilij Tridentini sess. 14. *de re-* " *form.c.*10. vbi prohibentur, beneficia " regularia (inter quæ cõputantur *ibid. n.*2. & apud Less.*lib.* 2.*de iust. c.* 41. *dub.* 12.*n.* 95. Abbatiæ, Prioratus &c.) dari in titulum sæculari, imò nec regulari, nisi sit illius Ordinis, eò quod non sit in boue arandum & asino, nec quisquam debet vestem induere de lana linoque contextam, vt ait Concilium Trid.& habetur *c.causam* 27.*de elect.*

5 Nec satisfacit Opponens *fol.* 456. *Anteoccupatio.* huic argumento: dicens, primò Conciliũ non loqui de beneficijs siue Monasterijs extinctis, sed exsistentibus, Monasteria verò restituenda, esse extincta. Secundò Concilium loqui de beneficijs Conuentus Regularis exsistentis, non mortui seu extincti. Non inquam, satisfacit; tum quia Monasteria eorumq; tituli numerati, non sunt extincti; tum quia Concilium nihil dicit de Conuentu Regulari exsistente vel non exsistente, sed absolutè loquens de beneficijs Regularibus (vt ex adiunctis declarationibus Cardinalium patet) etiam ea cõprehendit, quæ extra Conuentum Religiosis aliquando conferuntur; " sicque pronunciat. Regularia benefi- " cia in titulum Regularibus Professis " prouideri consueta, cum per obitum " aut resignationem, vel aliàs illa in ti- " tulum obtinentis contigerit vacare, "

„ religiosis TANTVM illius Ordinis, vel „ ijs, qui habitum omnino suscipere & „ professionem emittere teneantur, & „ non alijs, ne vestem lino lanaque con- „ textam induant, conferantur. Hæc F. „ Rom. *q.1.n.*43.

Fundam. V. 5 V. Fundam. *ex Clem. quia contingit. de rel. dom.* vbi statuitur, quod ea, quæ ad certum vsum, largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium (salua quidem sedis Apostolicæ authoritate) conuerti. F. Rom. *q.7.n.*5.§.111. *Eodem modo, fol.*254. quæ „ conditio parenthesi inclusa, tametsi „ non exprimeretur, semper tamē sub- „ intelligeretur; neque est illa dispositio, sed reseruatio generalis. Vnde patet, bona d. monasteriorum vni Ordini semel deputata, non esse alij conferenda.

Confir. Et Confirm. Zabarell. *in d. Clem. quia contingit. de relig. domib. n.*3. *&* 9. vbi ait; Nono nota, quod res ordinatæ ad vnum vsum, non debent trahi ad alium similem *C. de rei vx. act. l. de consecrat. dist.* 2. *reuera. &c.* Et dicit glossa, quod non debeant trahi ad alium vsum etiam pium. Pro hoc inducit Lauden. & Gen. quia non debent discooperire vnum altare, vt aliud cooperiatur. *de præb. cum causam, in Auth. quomodo oporteat Episc.* §. *si verò non fecerit, vbi de hac collat.*1. Matt. inducit, &c. Hæc ille. nec fletus vnius Ordinis, debet esse risus alterius. *x. ne sed vac.* F. Rom. *q.*1.*n.*100.

Fundam. VI. 6. VI. Fundamentum est, quia status Ecclesiæ seruandus est, nec mutandus *c.2. de suppl. negl. præl.* Ergo quæ Ecclesiæ regi solebant à Benedictinis, in posterum etiam regendæ erunt, nec alijs tradendæ. F. Rom. *q.1. sub n.*12. 15. Neque enim mutatur status Regularitatis, tametsi per plurimos annos desinant Monachi, Ecclesiam seu Prioratum incolere, vt ait Casparus Denichius *in assertionibus Canonicis. de benef. Eccles. assert.*7.

7. VII. Fundamentū *q.*1.*n.*57. sumitur ex diuersis decretis & rescriptis Imperatoris Ferdinandi II. annis proximè superioribus datis; in quibus prohibetur, ne vlla monasteria alteri Ordini, quam cui dicata sunt, restituantur. Idem patet ex literis eiusdem Imperatoris ad Oratorem suum Romanum, *q.*2.*n.*14. tum etiam ex Constitutionibus Imperij, quibus iubentur monasteria restitui illi Ordini religioso, cui ablata sunt. *Fundam. VII.*

8. Vnde loco VIII. Fundamenti sequitur, Bona desolatorum monasteriorum pertinere ad religiosos eiusdem Ordinis à Superiore ibidem substituendos *l. sicut.* §. *in decurionibus ff. quod cuiusque vniuers. nom.* nec alijs alterius Ordinis religiosis conferenda esse, Facit, quod id, quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri nequeat. *de R. I. in* 6. F. Rom. *q.*1. *n.*59. Cui nequicquam officit delictū personarum ac conuentuum; quia delictum personæ non debet in damnum Ecclesiæ (vel Ordinis) redundare *c. delictum. de R.I. in* 6. *Fundam. VIII.*

9. IX. Fundamentū est, quia Pontifex Vrbanus VIII. ex relatione Reuerendiss. Domini Hilarionis Abbatis S. Crucis Ord. Cistert. circa initium *Fundam. IX.*

Decem-

Decembris anno 1630. apud ſuam ſanctitatem ſupplicantis, ne monaſteria ſui Ordinis pateretur alio transferri, Reſpondit; Principes aliquos " Germaniæ inſtanter petere, vt ex re-" ditibus Monaſteriorum, Academiæ " & Collegia vel Seminaria exſtruan-" tur, prætendentes, quod parentes, " maiores & anteceſſores ſui pleraque " illa Monaſteria fundauerint, ideoque " rationabile videatur, eadem bona ad " ipſorum inſtantiam transferre ad v-" ſus tam vtiles & neceſſarios, quales " ſunt Academiæ, Collegia & ſeminaria. " Si igitur Ordines antiqui ſuppeditent " viros doctos ad regenda huiuſmodi " ſeminaria & Academias, & ad inſtitu-" endam iuuentutem idoneos, æquè li-" benter, imò LIBENTIVS ſe permiſſu-" rum, Monaſteria Ordinibus antiquis, " ita vt ipſi ædificent inde neceſſarias " ſcholas & ſeminaria, iisque præſint & " doceant, quàm alijs quibuſcunq;. At " ſiquidem Ordines antiqui docere " non velint, oſtendant autem modos " ſufficientes, quibus Academiæ & ſe-" minaria ædificari poſſint, ſine talium " Monaſteriorum translatione, etiam ſic Monaſteriorum fundationes mi-" nimè ſe mutaturum. Hæc Pontifex " apud F. Rom. *q.1.n.106.* Verum cum " religioſi Ordines, qui prius fuerant inſtituti, ſint parati & ipſi docere, & aliunde ex aliorum ſæcularium bonis poſſint fieri fundationes; non erit iuſta cauſa transferendorum ad alios alterius Ordinis Religioſos monaſteriorum. *Conſequenter* nec credibile eſt, ſummum Pontificem proprio motu aduerſus Ordines pro Societate & Seminarijs reſcripſiſſe. *q.1.n.107.*

10. X. Fundamẽto *q.2.n.5.6.* Reſpondet F. Romanus, Translationes Monaſteriorum, quæ obijciuntur, fuiſſe factas vel ab vno ſexu in alterum, tamen intra eundem Ordinem; nec in Germania ſolum; vel certè factas ideo, quia Ordo non contradixit, nunc verò contradicit, Ideoque non poſſe nunc monaſteria transferri ad alios alterius Ordinis religioſos. Quin etiam oſtendi poteſt, plures prouiſiones monaſteriorum emortuorum, alijs eiuſdem Ordinis factas eſſe. Igitur &c.

10. Fundam. reſponſio pro trãslatis Monaſteriis.

):(

C A.

CAPVT II.

Soluuntur F. Romani argumenta.

1. Illi gradus seruandi præscribuntur in reformatione monasterij exsistentis.
Idque probatur ratione & c. Relatum ne Cler. vel Mon.
Verba, In defectum eorum quomodo accipienda.
Ex præcedentibus & sequentibus scripturæ sensus cognoscitur.
2. Conuentus delinquens TER monitus potest eijci, atque illi ex aliò Ordine possunt alij substitui.
Iure suo vtens nemini facit iniuriam.
S. Bonauenturæ responsum contra Monachos ob malam vitam alio translatos.
Illud conforme est Sacris Canonibus.
Priuilegium amittere meretur, qui concessa sibi abutitur potestate.
3. Ordo reformationis supra recitatus potest ex causa omitti.
Particula VEL alternatiuam inducit.
Vtrum Ordo à F. Romano recitatus fuerit obseruatus, quando ipsius instituti Monachi, aliorum Ordinum monasteria acceperunt.
4. Qui illi alij substituendi.
Senioribus Doctoribus potius standum, quàm iunioribus.
Vox, alius, quid senioribus Dd. significet.
Omnium Ordinum religiosorum vota sunt vna specie essentiali.
Differunt vero accidentaliter.
5. Vox, omnibus, accipitur distributiuè & collectiuè.
Card. Zabarellæ locus commendatur.
6. Surrogatum sapit naturam eius, cui surrogatur, si ipsum exsistat. Secus si non exsistat.
7. c. Sicut alterius 7. q. 1. non obtinet, nisi in Ecclesia exsistente.
8. Francisci Rubei authoritas tantum valet, quantum ab ipso citatæ leges & rationes ostendunt.
9. Quid de iure deuoluto sit statuendum.
10. c. quia monasterium. de rel. dom. explicatur contra F. Roman. ex subiecta ratione.
Desolatum quid.
Vocis, Amplius, quæ vis.
11. Regula, quod beneficia regularia sint regularibus conferenda, intelligitur de vacantibus, non extinctis.
Tituli emortuorum monasteriorum sunt extincti.
12. Clem. quia contingit. de rel. dom. explicatur.
Qualibet religio debet principaliter ordinari ad cultum diuinum.
c. admonet. 8. § quod si hospitalia sess. 25. de reform. Conc. Trid. inculcatur.

13. Re-

13. *Regulæ illæ, non est discooperiendum vnum altare, vt cooperiatur alterum, & Fletus vnius Ordinis, non debet esse risus alterius, æquipollent huic, alteri per alterum non debet iniqua inferri conditio, quo casu veræ.*

14. *Status loci sacri, hic non mutatur.*
An & personarum mutetur, vel sit mutatus, disquiritur.
Denichius nihil ad rem præsentem.

15. *De decretis Imperatoris Resp. remissiua.*

16. *Bona emortuorum monasteriorum sunt restituenda substitutis.*
At substituti non sunt necessario ex eodem Ordine.

17. *F. Romano nudè asserenti, Breue Apostolicum pro Ordine datum, non creditur.*
Contrà, P. Laymanni assertio, pluribus literis confirmatur.
Particulæ (quatenus) quæ vis.
P. Laymannus à Melandri calumnia defenditur.

18. *Translatio monasteriorum ab vno sexu in alium euertit F. Romani propositum.*

19. *Non negatur, Ordini posse restitui Monasteria emortua, sed asseritur, non id esse necessitatis.*

1\. *Ad 1. Fundam. Resp. Ad prob. 1. Resp.* AD 1. Fundamentum RESP. Negando eius assumptum. Ad probationem eius primam RESPONDEO, illam spectare monasterium existens, non verò extinctum, eò quòd reformatio sit quasi quædam alteratio, vel quædam quasi quodammodo, non verò tota innouatio, vt supra *q*.3. notaui. Igitur reformatio illa ac consequenter canon de reformatione agens, supponit Collegium exsistere, (vt *sup.* respondi ad *q*.3.) non verò emortuum.

Ad prob. 2. Resp. Ad probationem secundam RESP. Nihil ad rem nostram facere, quia Dd. illic agunt de monasterio reformando primùm ex religiosis eiusdem monasterij, deinde ex alijs &c. Vt verba habent Dd. Igitur apud citatos Dd. supponuntur religiosi illius monasterij adhuc superesse; alioqui si omnes omnino illius monasterij ponerentur mortui, frustra constituissent Doctores in primo gradu, religiosos eiusdem monasterij. *Deinde* quod Dd. citati agant de monasterio reformando in vita & moribus, adeoque de existente adhuc Collegio viuo, arguit allegatum ab ipsis *c. relatum. ne Cler. vel. mon.* Hoc enim agit de monachis alicuius loci incorrigibilibus reformandis, adeoq; adhuc viuis. Atqui Doctorum dicta & asserta intelligi debent secundùm legem, quam allegant. Euerard. *in loc. à rat. leg. strict. n.* 3. *Consequenter* Doctorum à F. Romano citatorum dicta sunt accipienda de conuentu religioso exsistente & viuo.

Vnde sequitur, malè à F. Romano illa verba Doctorum & Canonum (in defectum eorum) accipi pro omnibus mortuis, cum hic sit Dd. citatorum sensus; si non adsint illic idonei, per

quos possit monasterium reformari, vt arguunt præcedentia & sequentia illic Dd. verba. Ex præcedentibus autem & sequentibus scripturæ sensus cognoscitur. *l. si seruus plurium. §. fin. ff. de legat. 2.*

Refutatur F. Romani opinio ab absurdo.

2. Atque hinc sufficienter refutata ostenditur F. Romani opinio, quæ & absurdo laborat. Nã si, vt vult F. Romanus, Episcopus monasterium reformaturus, prius debet singula totius orbis monasteria inuestigare, & inde monachos reformatores conquirere, aut si ipse Episcopus, quamdiu ex priore Ordine supersunt adhuc in orbe vniuerso monachi, non potest in monasterium deformatum alios alterius Ordinis religiosos substituere; imperatum erit illi aliquid moraliter impossibile; Quin etiam repugnans constitutioni Innocentij III. qui epist. suarum decretalium *lib. 1. Ambanino Episcopo* rescripsit, vt, quod si Ter admonitus Abbas S. Martini de Gemellis non reformet Canonicos sui Ordinis in domo Spiss. Campi, ipse Episcopus vel eiusdem, vel arctioris Ordinis viros instituendi, appellatione posthabitâ, liberam habeat facultatem &c. atque ita intelligendus Alexander III. quando *in Concilij Lateranensis appendice* statuit, vt Monachi non regulariter viuentes, debeant per alterius Ordinis institutionem puniri. De quo canone plura sup. *q. 3.*

Hinc patet, hanc propositionem; Conuentus delinquens de delicto ter monitus, nec se corrigens, potest eijci, alijq; alterius Ordinis substitui, veram esse. Contrà: falsam esse hanc F Romani, quod quamdiu alij ex alijs monasterijs eiusdem Ordinis supersunt, non possint alij alterius Ordinis illic substitui.

NB. Hoc casu Episcopus suo iure vtēs, nec eiectis monachis, nec reliquis ex eodem Ordine iniuriam facit. Iure enim suo qui vtitur, nemini facit iniuriam, *l. iniuriarum §. 1 ff. de iniur. l. 3. §. is tamen ff. de libe. hom. exhib. l. qui iniuriarum §. is qui. ff. de iureiur. cum allegat.* à Barbos. *in tract. axiom. verb. ius. 135. n. 8.* Atque ita S. Bonauentura in *libello suo apologetico q. 11. tom. 7. oper. fol. 351. col. 2. Mogunt. edit. Anno* 1610. respondet eis, qui Ordini Fratrum « Minorum aduersabantur; Quid ergo « dicitis ad hoc, quod in pluribus locis « dicuntur Fratres nostri alios Religio- « sos vel Clericos eiecisse violenter de « proprijs Ecclesijs vel monasterijs, & « ibidem ijs inuitis sibi mansionem fe- « cisse, quomodo potest hoc excusari « ab iniuria & violentia. Responsio. « Vbicumque hoc factum est, non est « per Fratrum violentiam factum, sed « per Episcopum loci, vel ex iussu « Domni Papæ, qui intelligens Cleri- « cos illos vel Religiosos ibi minus ho- « nestè se gerere, vel ad tantam pau- « pertatem redactos esse, quod diui- « num seruitium ibi ita esset dilapsum, « quod per ipsos non erat spes restau- « rationis, authoritate Apostolicâ «

man-

mandauit illos alibi locari, assigna-
" tis sibi certis reditibus, vnde possent
" congruè sustentari, & fratres nostros
" ibi habitare & diuina officia celebra-
" re: cum ad ipsum spectet de omni-
" bus locis religiosis ordinare, vt sacra
" illic religio instauretur, siue per il-
" lius ordinis personas, siue per alias al-
" terius Ordinis, sicuti viderit expedire.
Hactenus S. Bonauentura, quem sacris Canonibus conformiter scripsisse apertè fatetur ipse F. Romanus *q. 2. n. 6.* Imò & F. Romani *q. 7. n. 27. §. Quapropter hoc aliquis vsurpauerit &c.* ratione fulcitur. Illic enim tradit, quòd priuilegium amittere mereatur, qui concessâ sibi abutitur potestate, *11. quæst. 3. priuilegium.* Igitur &c.

Illatio. 3. Ex dictis patet, non semper opus esse, vt ordo reformationis supra recensitus obseruetur, sed ex causâ à Superiore omitti possit, vt arguit particula VEL aut SIVE tum in Canonibus, tum apud S. Bonauenturam *d. l.* vsurpata, quæ alternatiuam inducit, Barbos. *in tract. de distinctionib. vsu freq. dict.* SIVE 375. *n. 2.* cuius libera est electio apud Superiorem *vide nos sup.* adeoque substitutio personarum substituendarum prudenti Superioris, non verò cuiusuis permittitur arbitrio. Et quidem Papa Ecclesiasticarum rerum fidelis dispensator, præter fidelitatem prudentiâ vtitur in ijs pro loco & tempore, tum Ecclesiæ vtilitate, ac personarum dignitate ac merito dispensandis, teste Augustino Ancona *de potest. Eccles. quæst. 68. q. 1. in responsione ad 3. & q. 66. q. 2. in respons. ad 3.*

Ad reliqua iam suprà *q. 3.* responsum est. Porrò posito, ordinem à Dd. præscriptum omnino obseruandum; Quæro ego à te F. Romane, vtrum tua Religio illum ordinem obseruarit? Annon in orbe terrarum adhuc aderant Guilielmitæ, Augustiniani, Hieronymiani, Eremitæ, ac Canonici sæculares, quando ipsorum Monasteria & Collegia, Benedictini tui occuparunt? Quicquid responderis F. Romane, contra te militabit. Si enim occupationem improbaueris, Religionem tuam impugnabis; si iustam defendes, ijsdem te in hac monasteriorum translatione conficiam argumentis. *Argum. F. Romani contra ipsum retorquetur.*

4. Ad II. Fundamentum RESP. *Ad Fundam. 2.* 1. Authores citatos tradere, quod *Resp. 1.* omnibus mortuis religiosis alij sint substituendi, non verò quod ijs alij eiusdem Ordinis sint substituendi. Hæ enim duæ propositiones valde differunt. Nam ex priori propositione secundum Lapum, Zenzel, & Ioannem de Fannis antiquiores Doctores (quorum iudicio potius standum esse tradit F. Romanus *q. 1. n. 54.* quàm iuniorum seu modernorum *16. q. 1. c. sic vim. glo. ibid.* prout firmant omnes *in c. Clerici. de iud. & in l. cum quid. ff. si cert. pet.* cum antiquior melius præsumatur scire veritatem, vt ait Alciat. *reg. 1. præsumpt. 45. n. 3. 4. 5.*) sequitur, in

monasterijs, si de emortuis illi Dd. agunt, substituendos à prædecessoribus debere substantia & qualitate esse diuersos, eo quod voci (alius) hæc secundùm antiquiores Dd. insit vis, vt planè diuersum ab antecedente referat, quemadmodum patet ex iuribus & in ea Dd. authoritatibus; Et quidem *ex l. 3. C. de quib. munerib. vel præst. nemin. licet se excusare*; ibi comparatione frumenti, aliarumque specierum. *l. quidam. ff. de reb. dub. §. oportet. vers. collatores. Auth. de mandat. princ. c. sedes. de rescript. c. si tibi absenti, & ibi glo. in verb. alij. c. ei qui. de præb. in 6.* atque ex exemplo à glossa 3. *in d. c. sedes. de rescript.* allato, quo dicuntur Christus & alij duo latrones cruci suffixi.

Resp. 2. Resp. 2. Retentā communi Dd. opinione, quòd vox (alius) sit implicatiua & repetitiua similium in substantia, in accidentibus verò, maximè in qualitate diuersitatem significet, *per l. si fundus sub conditione. §. libertus ff. de leg. 1.* Paris. *cons. 78. num. 21. vol. 2. & cons. 92. n. 5. vol. 1.* Socin. iun. *cons. 300. col. 3. ver. tertiò principaliter. vol. 2. & cons. 107. n. 45. & 47. vol. 3.* Menoch. *cons. 335. n. 10. & sup.* nihil ea, si citati Dd. de emortuis tractent monasterijs, nobis officiet. Nam omnium Ordinum religiosorum vota sunt vna specie, differunt verò accidentaliter & qualitate secundùm diuersa statuta, vt author est Augustin. Ancona. *de potest. Ecclesiast. q. 106. quæst. 4.*
" *in responsione ad primum*; vbi ait; Ad pri-
" mum ergo est dicendum, quod sicut
" participatione speciei omnes homines
" sunt vnus homo; distinguuntur ta-
" men proprijs qualitatibus & acciden-
" tibus. Sic professione & obligatione
" illorum trium principalium votorum
" omnes religiones possunt dici vna re-
" ligio; distinguuntur tamen proprijs
" habitibus (vestibus) & secundum spe-
" cialia statuta ipsorum. Hæc ille. Proinde si mortuis huius monasterij Monachis omnibus, alij sunt substituendi, venient substituendi Religiosi etiam accidentaliter secundùm qualitatem & habitum seu vestitum &c. diuersi.

5. Resp. 3. Dd. supra citati non loquuntur de nostro casu; sed de eo, *Resp. 3.* quo Collegium vel adhuc exsistit ac viuit, vel eius resuscitandi spes est certa ac iuridica, eaq; ex parte subiecti, vt quia adhuc superest Prælatus aut Nouitij, atque ita vox (omnibus) etiam pluralis numeri, à citatis auctoribus iuncta voci (mortuis) accipienda est distributiuè vt his emortuis illi substituantur, & illis alij eiusdem Ordinis & sic consequenter per notata Rebuffi *ad l. nominis & rei appellatio ff. de V. S.* & Lucæ de Penna *in l. in omnibus C. de iur. public. lib. 12. glo. pragmat. sanct. in verb. omnem §. statuit. per l. 3. ff. de stat. homin. c. quia propter de elect. c. quod omnes de R. I. in 6.* Et Collegium apud authores citatos supponitur adhuc superesse, licet hic vel ille isthic mortuus sit, cui substituendi alij, vt debitè illic obsequium diuinum celebretur.

Quod

Quod si vox (omnibus) accipiatur collectiuè, quemadmodum sæpius in iure accipi solet, vt notant citati Dd. *per l. si pluribus ff. de legat. 2. l. ita vulneratus ff. ad L. Aquiliam.* tunc omnibus de Collegio mortuis, vel adhuc illic nouitij supersunt, qui necdum sunt de Collegio, & hi veniunt submittendi; vel certè adhuc Prælatus superest ac viuit, qui nomine Collegij non venit, vt ostendi supra ex glossa *pragm. sanct. de election. cap. sicut. §. quanta. in verb. Collegium.* Proinde quando citati Dd. agunt de casu, quo omnes de Collegio mortui sunt; agunt de casu, quo super sunt illic Nouitij à viuis adhuc monachis illius loci subordinati, aut certè quo superest adhuc illius loci Prælatus. Atque de hoc vltimo casu Dd. agere, 1. Testis est omni exceptione maior Cardinalis Zabarella *in d. c. cum ex iniuncto. de nou. oper. nunc.* Quod si, inquiens, VEL Prælatus, VEL Canonici mortui, debent alij subrogari, vbi nota particulam disiunctiuam VEL, quæ alternatiuam cōstituit propositionem, de cuius vi, supra *q.* 5. egimus. Deinde idem confirmationes subiectæ probant, vt paulo post videbitur. Igitur &c. At nos agimus de monasterijs, in quibus omnes omnino mortui, nullo superstite, etiam nec Prælato. Quare hic noster casus ab illo præmisso est diuersus ac separatus. Ex vno autem separatorum ad alterum non fit illatio. Euerard. *in loc. à separat.* Adhæc cit. Dd. agunt de Collegio numerato, vbi Canoniæ & præbendæ vacantes sunt distinctæ, cum in ijs loco mortuorum sint substituendi alij. &c. At nos agimus de Collegio non numerato, vbi non dantur distinctæ Canoniæ & præbendæ vacantes, eo quod in Collegio non numerato cum ipsis Collegis obeuntibus, tituli exstinguantur. *Vid. nos suprà q. 1.*

6. Ad Confirmationem 1. RESP. Illam pro nobis contra Fratrem Romanum facere. Nam hęc regula, quod surrogatum sapiat naturam eius, cui surrogatur; non obtinet, nisi vbi exsistit illud, cui aliud surrogabitur. Quod si exstinctum sit illud, cui surrogabitur, surrogatum vel surrogandum non sapiet naturā eius, cui surrogabitur. Barbos. *in tract. de axiom. surrogatum. n. 5.* Atqui nos agimus de casu, quo Collegium religiosum omnino exstinctum est, vt vidimus *quæst. 1. Igitur* surrogati, vel surrogandi in monasterio emortuo, non sapient naturam eorum, quibus surrogabuntur. *Ad Conf. 1. Resp.*

7. Ad Confirm. 2. ex *c. sicut alterius* 7. *quæst.* 1. RESP. sicut supra q. nostra 3. *cap.* 2. ad probationis 2. *Confirmationem* 1. nimirum illic Ecclesiam constitui viduam ac nubere alij; adeoque adhuc Ecclesiasticum Collegium isthic exsistere ac viuere. Nam si mortua vidua, quomodo nubet? Num nō Entis aliqui erunt effectus? Atqui nos agimus vbi Ecclesiasticum Collegium & quidem non numeratum est emortuum. Igitur. &c. *Ad Conf. 2. Resp.*

Ex dictis efficitur, supracitatos autores agere de casu à nostro diuerso, siquidem illi agunt de casu, quo VEL

Prælatus, VEL Canonici mortui; vt vidimus etiam ex Card. *in d. c. cum ex iniuncto. de nou. oper. nunc.* Nos verò, quo ET Prælatus, ET Collegæ religiosi omnes, nullo omnino superstite sunt exstincti. Igitur &c.

8. §. Ad authoritatē Francisci de Rubeis RESP. illam tãtum probare, quãtum leges, Canones ac rationes ab ipso adductæ probant. Euerard. *ab author. n.* 12. vbi citat Archid. *in c. nolite timere.* 11. *q.* 3. *per text. in c. ego solis. dist.* 9. Atqui ab ipso nec adductæ sunt, nec adduci possunt leges, Canones, quibus contra nos aliquid statuatur. Igitur &c.

Ad 3. Fund. de iure deuolutionis Resp.

9. Ad 3. Fundam. de Iure deuolutionis RESP. sufficienter *d. q. nostra* 3c. 3. illud prout propriè & strictè sumitur, non habere hic locū. Deinde in syllogismo F. Romani supra allato, quatuor constituuntur termini. Nam deuolutio in *maiore* accipitur strictè, & obliquè, vt supponit institutionem aut prouisionem directam immediati Superioris, sed neglectam. In *Minore* verò deuolutio apud citatos authores accipitur latè & directè, vt dicit institutionem directam Superioris immediati, adeoque hic quartus in syllogismo est terminus. Quippe secundus terminus est, fit (scilicet deuolutio) cum onere & qualitatibus, cum quibus habebat conferre primus & immediatus collator. Tertius verò est, mortuis omnibus de Collegio &c.

Ad 4.

10. Ad 4. Fundam. RESP. nihil ad rem facere. Nam citatus textus illius *c. quia monasterium. de relig. domib.* agit de monasterio hostilitate desolato, non verò de emortuo. *Fund. Resp.* Hostilitate autem desolatum monasterium dicitur, quando monachi illius viui ob perpetuam hostium inuasionem aliò commigrarunt. Innoc. *in c. cum ex iniuncto. n.* 2. *de nou. oper. nunc.* Card. *in d. c. quia monasterium col.* 1. vbi desolatum accipit pro deserto, vt apparet ex oppositione derelicti & non penitus destituti, Ait enim illic intelligi derelictum à monachis, sed non penitus destitutum, adeoq; derelictum non accipit strictè, prout in titulo pro derelicto accipitur, sed latè pro deserto à monachis. Atque à Cardinale faciunt Tan. Goffr. & Vinc. *per c. fin.* §. *hostilitate* 25. *quæst.* 2. *c. & temporis, cum c. seq. postquam* 16. *q.* 1. *vbi glo.* 1. vt ipse Cardinalis testis est locupletissimus. Vnde *d. c. quia monasterium*, & in illud Panormitanus agunt de monasterio adhuc exsistente. CONFIRMATVR ex ipsa quæstione, quam isthic *Resp. Confir.* 1. Panormitanus format, nim. Vtrum intercedēte vnione desolati cum alio eiusdem Ordinis monasterij, in ipso futurus sit amplius Abbas? Hæc enim inuoluit, seu implicite quærit de continuatione Abbatis; *Consequenter* supponit Abbatem monasterij vniti adhuc vel actu adesse, vel habitu, scilicet in Collegio seu Ecclesia. Viuian. *in c.* 2. §. 32. *de rescript. per c. scire* 7. *quæst.* 1. *l. ciuibus. ff de reb. dub. Antecedens* probatur, quia vox amplius posita sine pronomine hoc, est continuatiua

tinuatiua

tinuatiua, non repetitiua præcedentium. Barbos. *de dictionib. vsu freq. dict.* 32. *num.* 4. *per l. si à pluribus* 110. §. *si ita scriptum. & ibi Paul. Castr. nu.* 2. *& seq. ff. de leg.* 1. Igitur & vox (amplius) posita in dicta quæstione & addita Abbati, dicet eiusdem continuationem, non verò repetitionem. CONFIRMATVR 2. ex ipsa subiecta Doctorum responsione, quod monasterium vt monasterium vnitum alteri debeat conseruari in statu suo. Ergo supponit statum eius adhuc esse. At si illic mortui omnes omnino fuissent nullo superstite, fuisset status illius monasterij mutatus. Barbos. *in tract. de axiom. iuris. axiom.* 73. *num.* 3. Rebuff. in *l. mulieris appellatione* 13. §. *Res abesse videtur ff. de V. S.* Nam mortuis omnibus alicuius Monasterij Collegis ac Prælato, fit transitus ab esse Collegij monastici ad ipsius non esse, adeoque ipsius Monastici Collegij seu Monasterij status mutatur saltem negatiuè.

Confir. 2.

Ratio. Atque hinc patet, casum *d. c. quia monasterium. & in illum Panorm.* esse à nostro, quo omnes sunt mortui, nullusque reliquus, diuersum ac separatum. Vnde ab vno ad alium non potest fieri illatio.

Ad Conf. ex Conc. Trid. Resp.

11. Ad Confirm. ex L. Zecchio & Concilio Tridentino desumptam RESP. illic agi de beneficijs vacantibus adeoque exsistentibus, vt patet ex ratione subiecta, ne alioqui in boue & asino aretur, ne vestis ex lino lanaque sit contexta, vt supra *q. nostrâ* 3. *c.* 3. *in respons. ad confirm.* 2. *probationis* 2. ostendi. Quomodo enim diceretur quis arare in boue & asino, nisi hi exsistant? Atqui nos hic agimus de monasterijs seu eorum titulis non vacantibus, sed extinctis, vt probatum supra *d. q.* 1. *cap.* 2. 3. Igitur &c.

F. Romani desponsio contitur.

Atq; hinc collabascit responsio F. Romani, quod L. Zecchius & Concilium Tridentinum non distinguant inter Collegium exsistens & non exsistens. quia hoc ipso, quod loquuntur de beneficijs vacantibus, ostendunt se agere de beneficijs exsistentibus. Quod enim non est, aut non existit, non potest dici vacare; per vulgatam regulam, Non entis nullæ sunt qualitates. Vnde ex aurea Logicorum regula, ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis argumentãdo, quod dicitur vacare, debebit esse, aut exsistere. Ac proinde quando Zech. & Conc. agunt de beneficijs vacantibus, agũt de exsistentibus. Cõsequenter licet ipsi in actu signato nõ distinguant, inter beneficia exsistentia & non exsistentia; tamen in actu exercito per ipsius actus naturam, illam distinctionem inferũt. NB. Hanc desolationem esse vnionis causam sufficientem, secundum omnes Dd. Goffr. *de rel. dom. num.* 5. *&* 8. Barbos. *lib.* 3. *de iur. vniu Eccles. cap.* 16. *de vnionib. benef.* §. 2. *n.* 38. Tholosan. *de instit. rei benefic. c.* 20. *n.* 14. Falsum quoque esse, Titulos emortuorum monasteriorũ non esse exstinctos, vt ostendi *q.* 1. *c.* 2.

Ad 5. *Fun. Resp.*

12. Ad 5. Fundam. ex Clem. *quia contingit. de rel. dom.* vbi statuitur, vt *dam.* quæ sunt ad certum vsum largitione

fide-

fidelium destinata, ad illum debeant, non ad alium, saluâ quidem sedis Apostolicæ authoritate, conuerti, RESPONDEO, Illic vsum accipi prout ordinatur ad finem verum, quemadmodum ait Ioannes Altenstaig in lexico suo theologico; adeoque cum duplex finis in legato ac fideicommisso pio detur, scilicet Cuius, seu res cultui diuino dicata; & Cui, seu personæ, quibus res ea legata vel fideicommisso relicta est, ad duplicem finem Cuius & Cui vsus ille ordinatus erit. Bonac. *de cōtractib. disp.3.q.17.punct.8.§.2.propos.1.* licet inæqualiter. Potest enim nunc magis principaliter intendi finis Cui, seu ratio haberi personæ; nunc verò magis principaliter finis Cuius, seu rei legatæ aut fideicommisso relictæ in honorem Dei & cultum diuinū promouendum. Bart. *in l. pater* 38. §. *Tusculanus.ff.de legat.3.* Augustin. de Ancon. *de potest.Eccles.q.72.q.1.Responsione.* Vide nos supra. *q.5.ratione 2.3.fundam.* Atqui d. Clementina *quia contingit.* vtrumque finem Cuius & Cui, tanquā adæquatum adæquatè respicit, vultq; vt vsus eiusmodi rei legatæ in honorē Dei, quamdiu legatarius vel fideicom. missarius superest, non conuertatur (saluâ quidē sedis Apostolicæ authoritate) in aliū vsum pium. At nos agimus.1.de casu, quo magis principaliter intentus finis Cuius, Nam vt ait Augustinus Ancona. *de potest. Ecclesiast q.71.q.3. in Responsione,* quælibet religio „ debet principaliter ordinari ad cultū „ Dei & ad promotionem Ecclesiæ. Vnde legatum vel fideicommissum religiosis relictum principaliter erit relictum & ordinatum ad cultum Dei & ad promotionem Ecclesiæ. adeoque principaliter magis intentus finis Cuius. *Deinde* nos agimus de casu, vbi finis Cui, seu personæ legatariæ aut fideicommissariæ deficiunt, solo fine Cuius superstite, quo casu argumento Concilij Trid. *c. admonet.* 8. §. *quod si hospitalia sess.* 25. *de reform.* monasteria poterunt alijs alterius Ordinis religiosis pro Ecclesiæ vtilitate conferri. Nam ita Concilium Trid. ait; si loca pia vel hospitalia ad certarum personarum genus suscipiendum fuerint instituta, nec IBI similes reperiantur, fructus illorum in alium vsum pium, qui illorum institutioni proximior sit, aut pro loco & tempore vtilior, conuertit Episcopus, adhibitis duobus de Capitulo, qui rerum vsu peritiores sint, per ipsum deligendis, nisi aliter fortè etiam in hunc casum in eorum fundatione & institutione fuerit expressum.

Ante occupatio. NB. Quod si dentur fundationes etiam æquè principaliter personas omnes religiosas certi Ordinis quæ respiciant, vnde mortuis huius loci monachis, reliquis ius ad illas fundationes competat, illo casu aio ex principijs quæstionis nostræ quintæ, Pontificem ex causa vtilitatis publicæ Ecclesiæ posse illis alijs ius ad illas fundationes auferre, atque alijs alterius Ordinis Religiosis conferre; cum publicæ vtilitati priuata debeat postponi ac cedere *l. 1. C. primipilo. lib. 12. circa fin. l. actiones. §. Labeo ff. pro socio. c. bona. 1. extrà. de postul.* Vel si neget

F.Ro-

F. Romanus, quæro ab ipso, quâ ratione Ordo ipsius Benedictinus acceperit Monasteria Augustinianorum, Hieronymianorum, Guilielmitarum, Eremitarum, &c.? Quicquid responderit, sibi responderit.

De clausula hac, saluâ sedis Apostolicæ authoritate, iam supra *q.* 5. *q^la.* 2. ostendi, nō esse eam reseruationem, vt malè asserebat F. Romanus, sed dispositionis Clementinæ, *quia contingit. de rel.dom.* limitationem.

Ad Confirm. Zab. Resp.

13. Ad Confirmationem ex Zabarell. *in d. Clem. quia contingit.* desumptam. Resp. Ipsum agere de Collegio aut beneficio exsistente, non exstincto, vt arguit ipsa ratio huic propositioni (res ordinata ad vnum vsum pium) non debet trahi ad alium vsum etiam pium, subiecta; ne videlicet vnum altare discooperiatur, vt cooperiatur alterum, quæ ratio idem importat, quod hæc regula; alteri per alterum non debet iniqua inferri conditio Barbos. *in tract. de axiom.* 22. *n.* 1. *&* 2. quæ supponit & agentem & patientem in rerum exsistere natura vti etiam exsistere supponit ratio à F. Romano allata, quod fletus vnius, non debeat esse risus alterius. Si enim vnus ille non exsisteret, quomodo fleret, aut illius daretur fletus, quippe cum non Entis nullæ sint qualitates, aut effectus.

Atqui nos agimus de casu, quo mortui omnes illius loci monachi nullo superstite, tituli que eorum exstincti. Igitur, &c.

Deinde regula illa, quod vnum altare nō sit discooperiendum, vt cooperiatur alterum, vel ne vni per alterum iniqua inferatur conditio, obtinet, quando id fieret auctoritate priuata; Nam quādo auctoritate publicâ Superioris ius aliquod, ab vno ad alium ex vtilitate Reipubl. & Ecclesiæ transfertur, non infertur vni illi iniqua conditio. Cagnol. *in d. l. non debet alteri, ff. de R. I.* Vnde quando auctoritate suæ Sanctitatis ex vtilitate publicâ Ecclesiæ vnum monasterium & quidem emortuum transfertur ad alios alterius Ordinis Religiosos, non infertur vlli conditio iniqua. Aliàs quomodo F. Romanus suum Ordinem defendet, quando ipse Hieronymianorum, Augustinianorū, Guilielmitarum, Eremitarum monasteria accepit?

Ad VI fundam. Resp.

14. Ad VI. Fundamentum, Resp. Vel F. Romanus loquitur de statu ipsius loci sacri, vel de statu personarū. NB. Certum est, quod mortuis omnibus Collegis huius loci sacri, non propterea ipsius loci sacri status sit mutatus, nec ab Episcopo in profanum vsum conuerti possit. Neque de hoc nos agimus, sed de statu personarum, quem morte omnium illius loci religiosorum cum Prælato mutari saltem negatiuè, videre est. Nam mutatio negatiua est, quando fit transitus ab esse alicuius, ad illius non esse. Atqui mortuis omnibus omnino alicuius loci religiosis Collegis, fit trans-

itus ab esse Collegij ad illius non esse. Igitur, &c.

Quærimus autem, vtrum statu personarum religiosarum negatiuè mutato, possit illarum locus pius, vtilitate Ecclesiæ exigente, dari alicui Ordini religioso Ecclesiæ magis vtili? Quod si hoc neget F. Romanus, qua ratione ipse suum defendet Ordinem, quando à sæcularibus Canonicis Ecclesias accepit Collegiatas, & ab Eremitis, &c. monasteria? Iura à F. Romano allegata agunt de statu & conditione ipsarum rerum piarum nō mutanda. Quibus nos quoq; assentimur. Et ipsa nihil contra nos. Cum ex suppositione nostrâ, bona illa translata ad alios alterius Ordinis Religiosos, ac Seminaria Clericorum, ad vsus transferantur Ecclesiæ magis vtiles. Igitur, &c.

Denichius loquitur de casu fundamenti quarti, ideoque nihil hîc repetimus.

Ad 7. fundament. Resp. remiss. 15. Ad VII. fundamentum de decretis Imperialib. iam supra *q. 2. & 3.* abundè satisfactum est. Ideoque eò beneuolum lectorem remitto.

Ad 8. fundam. Resp. 16. Ad VIII. fundamentum Resp. Ex dictis apparere assumptum esse falsum, Et secundum authores citatos, bona monasteriorum emortuorum, esse eorum, qui in defunctorum locum substituuntur. Vide nos supra *quæst. 1. cap. 4. appendice, & quæst. 2.* Quod si igitur religiosi eiusdem Ordinis à Superiore legitimo substituantur in emortuorum monasteriorum bonis, hæc illorum erunt; sin verò alij alterius Ordinis religiosi à Superiori legitimo submittantur, in eiusmodi monasterijs, hæc ipsorum, & non religiosorum eiusdem Ordinis erunt, ex suprapofita regulâ generali. Nam quod conuenit generi, conuenit & omnibus speciebus sub ipso positis. *arg. gloss. in l. 2. ff. de reb. cred. & instit. de iur. nat. gent. §. plebiscitum. in verb. plebs autem. l. 4. C. de præscript. 30. vel. 40. ann.*

Ad rationem eius Respondeo Negando, quod monasteria emortua sint aliorum eiusdem Ordinis, vt ex supradictis *quæst. 2.* videre licet.

Quod spectat ad delictum personarum, constat inter omnes, delictum totius conuentus, illi præiudicare, vt ostendi supra *quæst. 2. & alibi.*

17. Ad IX. fundamentum Respondeo, F. Romanum allegare quidem S. D. N. Vrbanum VIII. Papam ita rescripsisse, at non probare. Perinde autem esse, nihil allegare, vel allegatum non probare Barbos. *axiom. 20. num. 2.* Ideoque nuda F. Romani allegatio & quidem tantùm ex relatione Abbatis seu partis, cuius negocium simul agitur, non potest infringere assertionē P. Laymanni de motu proprio sanctissimi D. N. Vrbani VIII. primo prooemio *n. 6.* allatum. *Ad 9. fundam. Resp.*

Et quare potius F. Romano credetur nudè asserenti, quam P. Laymanno, etiamsi hîc nudè contrarium asseueraret? Num authoritas eius, qui retulit F. Romano mentem & voluntatem Pontificis? At non, quia illa allata à F. Romano est partis collitigantis, nimirū Abbatis Benedictini; Verū allata à P. Laymanno authoritas re-

scrip-

ſcriptorum non eſt vllius partis colli-
tigantis. Cum ſit Eminentiſs. D. Cardinalis Barberini, qui an. 1630. 24. Ian. Ill.mo tunc Nuncio Apoſtolico Vienneneſi, nunc Em.mo Card. Ioanni Baptiſtæ Pallotto *q. 1 præamb. fol. 5.* quin & ipſius S.mi D. N. Vrbani VIII. Papæ, qui anno 1629. in æſtate eidem Ill.mo nunc Em.mo Cardinali reſcripſit, vt S. C. M.ti intimaret; non omnia monaſteria, quæ recuperantur, eorundem Ordinum religioſis eſſe reſtituenda, ſed aliqua pro Collegijs & Seminarijs eſſe ſequeſtranda. *defenſ. proœm. 1. n. 6.*

Adhæc pro P. Laymanno contra F. Romanum aſſerentẽ faciunt ſubiectæ Ill.mi Principis Pauli Sauelli Oratoris S.C.M.tis apud Sanctiſsimum 26. Ian. 1630. datæ. Addo V.M.C Officiales illos mihi affirmaſſe, ſtante ſupradictâ inſtantiâ factâ ex parte V. M. C. circa bonâ Eccleſiaſtica Germaniæ, nunquã illa cuipiam concedenda in Commendam, nec penſione aliquâ grauanda; ſed circa reſtitutionem eorundẽ prioribus Ordinibus poſſe ſe dubitare ob difficultates, quæ inde in contrarium orituræ videantur. Præterquam .n. quod ex ijſdẽ monaſterijs, alijsve bonis Eccleſiaſticis fundari poſsint & erigi Seminaria Religioni plus vtilitatis allaturæ, aiebant ſe inueniſſe, multa ex illis, antequam ab hæreticis occuparentur, non fuiſſe vnita & incorporata Ordini alicui religioſo, ſed per ſe ipſa fundiſſe gubernata. Quare ſi hæc ijs Ordinibus applicarentur, à quibus prætendẽtur, nõ reſtitutio foret, ſed donatio. Addebant de his omnib. ſcribi ad Nuncium, vt ea V.M C. referat, & circa hoc particulare mentẽ V.M.C. exquirat, vt huic, in quantum ſeu quatenus fieri poterit, ſatisfiat; affirmantq; ipſi, non cupere ſe ab illa mente deflectere. Ego quoq; ea exſpecto, quæ M V.C. circa hoc negocium occurrunt mandanda, vt exſequar. Deus conſeruet V.M.C. maximũq; ei tribuat felicitatis & gloriæ incrementum. Romæ 26. Ian.

D. V. M. Cæſareæ

Humilißimo & obligantißimo Seruitore

PAOLO SAVELLO.

Vnde patet 1. Monaſteria emortua non eſſe Ordinum antiquorum, nec in illa ius habere, quia illis aliàs non dicerentur ea donari, cum propriè dicatur donatio, quæ nullo iure cogente fit, ſed ex ſolâ liberalitate donantis proficiſcitur *l. 1. in princip. ff. de donat.*

2. Adeſſe cauſam vtilitatis & neceſsitatis Eccleſiæ, vt ex monaſterijs erigantur Seminaria.

3. Officiales Romanos ſatisfacturos voluntati S C.M.ts non abſolutè, ſed quatenus, ſeu in quantum fieri poſſit. Particula verò quatenus, quando idem valet, quod, in quantum, eſt limitatiua Barboſ. *de diction. vſufreq. dict. 312. quatenus. n. 3. per l. ſi quis crediderit. vbi gl. ff. de pact. & in c. placet. de conuerſ. coniugat. &c. & ibi cit. Dd.* Vnde benè P. Forerus *part. 2. cap. 2. Antimelandri, n. 11. 12.* P. Paulum Laymannum contra Melandrum *fol. 3* defendit, oſtenditque Melandrum falſarium eſſe.

4. Ex d. epistola constat, P. Paulum Laymannum à F. Romano *q.* 4. *n.* 32. *f.*186. atque à Melandro malitiosè insimulari criminis falsi, quasi *iniusta defens.fol.* 416. omiserit, quæ contra ipsum facerent; cum ex ipsius Illustrissimi Principis Sauelli epistolis manifestum sit, nihil aliud à P. Laymanno omissum, quam quod Romani Officiales monasteria emortua nec in Commendas dare, nec pensionibus onerare cogitent. At hæc nihil contra P. Paulum Laymannum, quippe qui agit, vt monasteria aliqua emortua dentur in vsum vel Collegiorum Societatis, vel Seminariorum. Vnde ex duplici capite Melander crimen falsi incurrit, altero, quod asserit P. Laymannum agere, vt monasteria dentur in commendam; altero, quod asseueret, P. Laymanno contrariari epistolam Illustriss. Principis Sauelli, quæ tamen maximè cum ipso P. Laymanno contra F. Romanum fecit.

Ad X. Fundam. Resp. 18. Ad X. Fundamentum RESPONDEO, Falsum esse, translationes monasteriorum tantum ab vno sexu in alium, intra eundem Ordinem factas esse. Cum ex catalogo translatorum monasteriorum superius allato, sufficienter constet, monasteria etiam ab vno Ordine religioso in alium esse translata, vt testantur quotquot ab alijs vnius Ordinis Religiosis, ad monasteria alterius Ordinis sunt translata. Deinde positâ etiam F. Romani hypothesi, ipse F. Romanus omnia sua euertit principia superius posita, de voluntate testatorum non interpretandâ, nedum mutandâ, eo quod destinatâ ad vnum vsum pium, non sint etiã ad similẽ vsum transferenda, &c. Denique si iuris naturalis & diuini obligatio esset monasteria emortua restituendi alijs eiusdem Ordinis, vtique non tantum in Germania, sed & vbiuis locorum ea obseruanda esset. Proinde immeritò carpit P. Laymañum F. Romanus *cit. loc.* Cætera iam *q.*3. *&* 5. sufficienter sunt refutata.

Ex hactenus dictis concluditur, Monasteria diu emortua non pertinere ad alios eiusdem Ordinis Religiosos, neque ex eo, quòd alijs alterius Ordinis Religiosis assignetur aliquod monasteriũ, statum Ecclesiæ euerti.

19. Neque, quod alijs eiusdem Ordinis Religiosis subinde monasteria emortua fuerint collata, negatur, sed id tantùm, quod necessitatis sit & quidem ex iure Canonico, &c. vt alijs eiusdem Ordinis Religiosis Superior habeat monasteria emortua conferre. Cum illud ipsum F. Romani responsum supra *q.*3. *&* 5. refutauerim. *Ad praxim oppositam Responsio.*

Atque ita propitio Deo omnia F. Romani argumenta, etiam ex iure Canonico petita, quibus astrum suum orbi vniuerso lucere existimabat, ex ordine dissoluta agnoscent, quotquot hunc tractatum diligenter peruolutarint. Nec enim placuit nobis argumenta F. Romani centies recantata, toties totidem in locis & quidem alienis refutare.

QVAE-

QVÆSTIO VIII.

De Monasterio VVoltigerodensi.

F. Romanus operi suo nonnullas quæstiones de Monasterio Woltigerodensi, promißione Abbatum, Societati facta, ac textu S. Lucæ corrupto inspergit, quarum duæ cum nostra quæstione præcipuâ videtur habere quandam affinitatem; tertia verò omninò separata est, singulas singulis quæstionibus pertractabo. Ac primam hac quæstione 8.

Relatio F. Romani.

F. Romanus in indice litera W. ait: Woltigeroda Monasterium Ordinis Cistertiensis Monialium in inferiori Saxonia, Sabbatho Palmarum Anno 1631. violenter per manus quorundam Iesuitarum è templo & Monasterio eiectis Monialibus à Patre Rectore Goslariensi occupatur, qui mirabilis fuit processus. *q.* 1. *num.* 97.

REFVTATVR.

FRAT. Romanus asserit quidem dictum Monasterium Woltigerodense violenter eiectis Monialibus à P. Superiore Goslariensi fuisse occupatum, at id nec literis, nec testibus, nec vllo probabilis argumenti indicio docet, nec docere potest, ideoque calumniari dicendus est ex *l.* 1. *ff. & t.t. C. de calumn. tot. tit. C. de iureiur. propter cal. dand.* Vt autem veritati suus sit locus, rem gestam ab ouo retexam, ita vt simul F. Romani fabulam refellam, aut potius calumniam.

1. Superiore sæculo ab anno 1519. vsque ad annnm 1523. miserum sanè & fatale inter Ioannem Hildesiorum Episcopum Ducem Lavvenburgicum, & Ericum Seniorem, Henricum Iuniorem, VVilhelmum Duces Brunsuicenses gerebatur bellum, quo capti Brunsuicenses Ericus Senior & VVilhelmus; ipse verò Episcopus Ioannes suis ferè terris à Duce Henrico iuniore exutus fuit, qui Henricus iunior finito bello & ipse anno 1541. à Ioanne Friderico Saxoniæ Electore ac Philippo Hassiæ Landgravio, vt author est Pomarius *in Chron. Saxon. ad illum ann.* suis quoque prouincijs ac terris deiectus fuit. Priori bello Hildesiensi Monasterium VVoltigerodense, à Ducibus Brunsuicensib. inter alia fuit occupatum, vt author est Dauid Chytræus *in sua Saxon. fol. mihi.* 185. ac deinceps ipsum domicilium Deo dicatum, contra ius diuinum *Psal.* 78. *Matt.* 21. *v.* 12 13. *Ioan.* 2. 16. & sacros Canones *c. quæ semel.* 19. *q.* 3. *c. semel. de R. I. in* 6. in profanam Præfecti sæcularis domum, sicut & alia complura Monasteria à sæculari Principe conuersum fuit.

Hoc Monasterium diœcesis Hildesiensis ita à superioris sęculi anno 1523. desolatum, atque in medijs syluis situm, à sua Sanctitate per Imperatorem p. m. Ferdinandum II. Societati nostræ proximis superioribus annis donatum, vt resciuére Patres Cistertienses; atque inprimis ex ijs Abbas in Val-

Valtenried, qui ex superiore Germania in Saxoniam inferiorē commigrarat; Hic monialem quandam diœcesis Moguntinæ ex TOSTIENBVRG, Eichsfeldiæ monasterio contra voluntatem suæ Antistitæ, atque Eminentissimi Electoris Moguntini, ordinarij prohibitionem, cum aliquot puellis Nouitijs ac vnâ sæculari eductam, comitatus, in dictum Monasterium Woltigerodense diœcesis Hildesiensis Societati iam ante donatum atque ab eadem acceptatum, militarium quoque incursionū & libidinum periculis expositum, inscio priùs, pòst etiam inuito Serenissimo Electore Colon. Hildesiensium Ordinario introduxit atq; inuasit. Quæ postea cum suis Nouitijs ac vna sæculari puella, ex Monasterio, nescio quibus de causis, deserto, Goslariam in Parthenonem Franckenberg sese recepit. Ita deserti à Moniali & suis Nouitijs, Monasterij Woltigerodensis vacuam possessionem: admodū Reuerendus, Nobiles, ac Clarissimi DD. Hermannus Eilinck tunc temporis Officialis Hildesiensis nunc Coloniensis, atque Ernestus Mack I. V. D. Cancellarius Hildesiensis, Serenissimi Electoris Colon. atque Hildesiensium Antistitis, Commissarij subdelegati, Societati eiusque nomine Superiori Goslariensi anno 1631. die Sabbathi *Dominicam Lætare* antecedente dederunt, quam & ipsemet Superior, Societatis nomine, præsente Burchardo Lap monasterij procuratore apprehendit, pacificeque obtinuit, donec post aliquot dierum interuallum profuga Monialis cum suis Nouitijs sub diluculum mentito ancillarum rusticarum habitu, transcensis monasterij legitimè à Societate occupati, adeoq; non amplius vacui, septis, hortum & templum ingressa, ipsam Societatem in possessione sua turbauit. Quâ de causa cum monialis & benignè humaniterque à Societate rogaretur, & à DD. Commissarijs proposito decreto iuberetur à turbatione desistere, atque cum suis intra certos dies excesse; imò & ab Eminentissimo Moguntino Ordinario suo ad suum reuocaretur monasterium; ipsa nihilominus in turbatione pertinax, authore D. Abbate in Valtenried perstitit, donec præstitutis diebus elapsis absenteq; Superiore Goslariensi, Monialis vna cum suis Nouitijs ex commissione DD. Commissariorum, iussu Prænobilis D. Henrici Boriſtorff Satrapæ in Widelag, honestè decenterq; sedibus imposita, atque è monasterio, sabbatho Palmarū elata, Hildesium (nec enim ad suū ausa redire monasterium, censuram Ordinarij sui pertimescens) commigrauit, vbi suo malo periculū, quod Ordinarius Moguntinus illi prudenter timebat, incurrit, atque ab vrbe occupatâ, vna ex ijs, illicitis militum amoribus capta, prô pudor! virginitatis ac castitatis fecit iacturam.

Quæ omnia Admodū Reuerendus ac Nobiliss. Dn̄i Commissarij contestabuntur; cum etiā Eminentiss. Dn̄s Elector atq; Archiepiscopus Moguntinus palā faciet, quod ipso inuito dicta Monialis Monasterio Tostienburg

dioe-

& diœcesi suâ egressa, atque Serenissimus Elector Colon. Ordinarius Hildesiensis testabitur, quod eadem Monialis ipso prius inscio, pòst etiam inuito Monasterium Woltigerode suæ diœcesis Hildesiensis fuerit ingressa. Reliqua quoque testari poterunt iam laudati Domini Satrapa Henricus Boristorff & Burchardus Lap, qui actibus supra recensitis interfuere.

§. Vnde patet 1. Meram calumniam esse, quando ait F. Romanus à Patre Superiore Goslariensi monasterium Woltigerodense eiectis violenter per manus Iesuitarum Monialibus fuisse occupatum. Cum ex facto ipso & DD. citatorum testimonio constet, d. Monialem cum suis Nouitijs, antequam cum DD Commissarijs. R. Pater Superior Goslariensis Woltigerodã veniret, ex monasterio Goslariam in monasterium Franckenberg discessisse. Num fortè potuit d. Monialis cum suis Nouitijs, per manus Iesuitarum violenter eijci non præsens? Num actio Physica dabitur in passum non præsens, sed omnino absens & distans?

II. Patet quam mirabilis fuerit Patrum Cisterciensium processus, ac non canonica Monialis translatio. Processus quidem ex eo mirabilis, quod dictum monasterium Societati donatum atque ab eadem acceptatum, adeoque plene acquisitum quoad ius in re, licet necdum eius obtenta possessio per not. Garc. *p. 4. de benef. c. 2. n. 1. & c. si tibi absenti. de præb. in 6.* ipsa Monialis cum suis Nouitijs & D. Abbate in Valtenried inuaserit contra *c. cum qui. de præb. in 6.* & ibi Viuian. *in ratio-nal.* §. 1. Deinde nec Canonica fuit ea translatio. Nam sicut ad Canonicam alicuius monachi ad aliud monasterium translationem, vt illud administret, vel in eo officium aliquod gerat, requiritur (1) Authoritas illius sedis seu loci Episcopi *c. cum singula §. prohibemus de præb. in 6.* ita etiam vt monialis licet exempta, possit suo egredi monasterio, & ad aliud monasterium rectè transferri, quò ibidem religionem suam aut introducat aut reformet, aut resuscitet; requiritur præter licentiam sui Prælati Ordinis, etiam licentia Episcopi & quidẽ (2) ea in scriptis obtenta. Nauar. *con. 57. n. 6. de Regular. & cons. 5. num. 3. & 6. de stat. mon.* Pius V. *in extra. seu constit. Decori.* Atque ita declarauit in Concil. Trid. *sess. 25. de regular. c. 5.* Sacra Cardinalium congregatio; Monialibus, *inquiens*, post professionem exire non licet, etiam cum causa probabili, nisi adsit communis cõsensus Superioris Regularis ET Episcopi illius. Vide Eman. Rodriq. *qq. regul. tom. 1. q. 49. art. 6.* quamuis in Hispania ex vsu & consuetudine contrariâ Mirandula *tract. de monial. q. 3. n. 6.* existimet alterius sufficere consensum *arg. Concil. Trid. sess. 25. de regular. c. 5. ibid.* Nemini liceat ingredi septa monasterij, cuiuscunque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerint, sine Episcopi vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda. *Et paulò post*,

Requis. 1.

Requis. 2.

Obiect. mirand.

Dare

Dare autem tantum Episcopus vel Superior licentiam debet in casibus necessarijs. Verum ad hoc ipsius Mirandulæ argumentum RESPONDEO, aliud esse de *ingressu aliorum externorũ* in Monasterium virginum, aliud de *egressu monialium* ex suo monasterio; hic enim periculosior, ideoque in eo cautione opus fuit maiore. Nam vbi maius periculum, ibi cautius est agẽdum *l. 1. §. sed si quis ff. de Carbon. edict. c. vbi periculum de elect. in 6.* Atqui locus *Concilij Trid.* à Mirandula allegatus agit de ingressu aliorum externorum in monasterium, *vt patet.* Nos verò de egressu Monialium extra Monasterium & quidem ad locum remotum alterius diœcesis, militariũ quoq; incursionum & libidinum periculis expositum, Igitur. &c.

Aliorum distinctio Suarez *de rel. tom. 4. l. 1. c. 9. n. 13.* Bonac. *de legib. disp. 1. & de clausurâ & pœnis eam violantibus impositis q. 1. punct. 8. n. 1.* Sanch. *d. l. 6. c. 15. n. 28.* tradunt quidem in Hispania solam Superioris licentiam sufficere, tamen extra Hispaniam inter vtramque Dd. sententiam ita intercedunt, vt velint tunc Episcopalem requiri à causâ cognitâ approbationem, quando moniales exire volunt è monasterijs Episcopo subiectis, vel ita exemptis, vt soli Papæ subsint; non autem si alijs Regularibus immediatè subsint. Hoc enim vltimo casu sufficere existimant Superioris Ordinis licentiam & facultatem. Dd. *ap. Barbos. de off. Episc. alleg. 102. n. 28.* At Barbos.

Refellitur. *ibid. num. 2. & lib. 1. de iur. vniu. Eccles. c. 44. de Monialibus & sacris Virginibus n. 89.* ab ipsorum discedit opinione, propter expressa verba prædictæ constitutionis Pij V. de anno 1569. sic disponentis; quæ tamẽ (causa) præter alios Ordinum Superiores, quibus cura Monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum seu alium loci Ordinarium, etiamsi prædicta monasteria ab Episcoporum & Ordinariorum iurisdictione exemta esse reperiantur; cognita expreſsè & in scriptis approbata sit.

Quod si illæ, quæ potestati Regularium subiectæ sunt, sine Bullâ vt ait Barbos. *d. lib. 1. de iur. Vniu. Eccles. c. 44. n. 89.* & licentiâ Ordinarij egressæ fuerint; per censuras Ecclesiasticas & alia iuris remedia debent ipsæ & earũ Superiores (de quorum licentiâ è monasterio fuerint egressæ) ab eodẽ Ordinario puniri, non obstantibus quibuscunque priuilegijs, vt referunt decisum Campan. *in diuis. iuris Canon. rub. 12. c. 16. n. 22. prope fin.* Armend. *in add. ad recop. leg. Nauarræ lib. 2. tit. 18. l. 7. de relig. n. 103.* Barbos. *d. lib. 1. de iur. vniu. Eccles. c. 44. n. 89. & in Collectan. c. periculoso. de statu regular. n. 17.*

Zerola *in praxi Episc. p. 1. verb. moniales* §. 16. asserit, sacrã censuisse Cardinaliũ Cõgregationem, in his casibus etiam ad sedẽ Apostolicam recurrendũ esse, vt signanter in Nanatens. 16. *Ian.* 1615. & in Redonensi 31. *Ian.* 1612. decisũ est.

3. Ad Canonicum Monialis ex monasterio egressum, requiritur, vt Mo- *Requis. 3*

 nialis

nialis cum socia exeat, & vtraque sit quadraginta annorum, tum probatæ vitæ. L. Zecchius *de rep. Eccl. tit. de rel. ingred. c.3. n.15. vers. IX. E monasterijs moniales egredi non possunt.*

Req. 4. 4. Quin etiã, quando transferuntur Moniales Canonicè ex vno loco in alium, translatio illius debet fieri in aurora, vt à paucis conspici possint, atque à personis grauibus & honestis tum sanguine coniunctioribus rectâ viâ absque diuerticulo deducentur, ac nullibi pernoctabunt, nisi causâ hospitij, idq; non nisi apud honestas personas, ex Declarat. Card. *in Concil. Trid. sess.25. de regularibus. cap.5. in verb. Extra mœnia vrbis §. monasteria monialium. vers. quando verò.* Barbos. *d. l. 1. de iur. vniu. Eccles. c.* 44. *de Monialib. n.* 74. Hæc autem omnia in d. Monialis ex diœcesis MoguntinensisMonasterio Tostienburg, in aliud Woltigerodense diœcesis Hildesiensis translatione interuenisse ego nego, & contrarium F. Romanus nec probauit, nec vnquam probaturus est. Et quo modo probabit F. Romanus hic authoritatem & licentiã Eminentissimi Archiepiscopi Mog. interuenisse, cũ ipse dictã Monialem voluerit anathematis gladio ferire, nisi ad suũ reuerteretur monasterium? Idq; rectè. Nam si vigore Concilij Trid. *sess.25. de regularib. c.5.* & ex declarationibus Card. *d. §. monasteria monialium.* Ordinarijs demandatur, vt monasteria sanctimonialium extra mœnia vrbis vel oppidi „ sita, etiamsi essent exempta & imme„ diatè sedi Apost. subiecta, si sint malo„ rum hominum prędæ aut alijs facino„ ribus exposita, transferant intra vr„ bem vel oppidum; Quod si qui im„ pediant, vel sanctimoniales non obe„ diant, per censuras Ecclesiasticas ordinarij parere cõpellant. Quanto magis potuit Ordinarius Moguntinus d. Moniali ex Tostienburg prohibere, ne ipsa in monasterium Woltigerodense à tanto tempore desertũ, ac medijs in syluis extra vrbis Goslariensis mœnia situm, militum incursibus & libidini expositum ingrederetur idq; interpositis grauissimis censuris, quo maiora illius pudicitiæ (cui consultũ voluit Bonifacius VIII. Papa in *c. periculoso de statu regular.*) impendêrent pericula. Adhæc quomodo Nouitias F. Romanus asseret in religione probatas 40. fuisse annorum? Taceo reliqua de sociabus, tempore, loco hospitij, itineris.

Vnde concluditur, quod trãslatio illius Monialis non fuerit vllo modo Canonica, sed mera intrusio, Rebuff. *in prax. benef. tit. de subrog. collitig. glo.4. n.5. per* notata Gomezij *in reg.33. de triennal. q.10. §.2. casus. q.27. Cancell. de triennal. possessor. q.47. vers.4. per textum in c. quia diuersitatem. & ibi Panor. in 2. not. de concess. præb.* Adeoq; ipsa Monialis non canonicè instituta, monasteriũ illud sibi acquirere nequiuerit *c. beneficiũ & ibi Dd. de R. I. in 6.* nec eius possessionẽ. Oldrad. *Cons. 1. n.4. Panorm. in c. pastoralis n.27. de caus. possess.* Cosmas *in Pragm. Sanct. tit. de pacific. possessor. §. ordinarij verb. inquirunt, & verb. possideat.* Ratio huius Concl. 4. est,

est, quia vbi ius resistit, possessio dari nequit *l. qui vniuersas. 30. §. 1. vers. namq́, locum ff. de acquir. possess.* Atqui ius resistit & prohibet, ne beneficiū Ecclesiasticum sine canonicâ institutione obtineatur *ex d. c. beneficium in verb. non potest.* quod verbum denotat manifestam legis resistentiam, Igitur cum d. Monialis non detur canonica institutio, sed mera intrusio, hæc impedire non potuit, quo minus Societas in eodem monasterio emortuo & desolato ac penitus deserto à legitimo Superiore institueretur. Non enim præstat impedimentū, quod de iure non sortitur effectū *l. pactum C. de collat. specul. in tit. de testib. vers. quid si compertum.*

5. Hinc sequitur, minimè ferendū, quod Societate in monasteriū emortuū à Superioribus legitimis inuestitâ & introductâ, ipsa Monialis cū suis Nouitijs possessionem Monasterij nō vacuam, sed plenam, & quidem à viris occupatam, suâ propriâ authoritate, fuerit ingressa: quia ex solo hoc capite, si aliquod ius habuisset in illud monasterium, ipsum perdidisset. Rebuff. *in prax. de modis amitt. benef. n. 28.*

Obi. 6. Fortè inquiet F. Romanus *ex q. 7. n. 27.* hoc casu nostro nō translationē Canonicam, sed tantum localem (quę non est appellanda translatio, si loquamur vt solent iura, sed vt ibidem in margine notatur, mutatio localis) interuenisse; siquidem Canonica trãslatio in eo consistit, vt Monachus vel Monialis desinat esse membrum prioris monasterij, vel ordinis, & incipiat esse membrum posterioris, requiratque consensum Episcopi; At transitus nudus Monachi vel monialis ex vno loco in aliū, seu mutatio ipsius localis, non requirit consensum & licentiā Episcopi, nec inuoluit animū aut volūtatem prius monasterium penitus deserendi, etiamsi ab illo 20. annis abesset. Rebuff. *de translat. Monach. n. 17. 18.* Dd. *in c. cum singula §. prohibemus. de præb. in 6. verb. Canonice transferantur.*

Resp. F. Romanum hic suã in iure *Resp.* ostendere imperitiam & fallaciam. Imperitiā quidē in eo, quod existimet transitum nudum Monachi vel Monialis ex vno loco in aliū, de iure non appellandam translationem Canonicam, sed mutationē localem, adeoq; trãslationem & mutationē localem differre. Fallaciam verò in eo manifestare, quod modò allata duo mēbra tradat à Rebuff. *de translat. mon. n. 17. 18.* & Dd. *in d. c. cum singula. §. prohibemus de præb. in 6.* doceri ac proponi.

Verum quod attinet ad F. Romani in iure imperitiam, ostēditur 1. manifestè ex iure & Dd. falsū esse, quod transitus nudus ex vno loco in alium, in iure non appelletur translatio Canonica. Nam in iure cū ciuili, tum Canonico transferri dicitur, quãdo persona vel res locum suum mutat; & in vtroque iure, translatio & mutatio in hac materia æquivalent, vt patet ex iure ciuili & quidē ex *l. si cui. ff. de seruitutib. l. si mandato. §. 1. ff. mandat. &* notat Rebuff. *in l. mulieris appellatione 13. §. res abesse. ff. de V. S. in verb. mutare. & in l. vinaria vasa. 202. verb. transferre. ff. eod. per l. cum hi §. in causa ff. de transact. l. prætor.*

tor.in fin ff.de edend.l.fin. §. 1. *Ad L.Rhod. de iact.* Atq; ex iure Canonico translatio definitur esse ex vna Ecclesia in aliā legitima trāsmutatio. Rebuff.*in l. vinaria vasa.*206.*ff. de V.S.in verb.transferri possunt vers.*25.*ex rubric.de translat. Episcop.d.c. cum singula* §. *prohibemus. de præb. in* 6.*& c.si quis iam translatus* 22.*q.* 2.Barbos.*lib.*1.*de iure Vniuers.Eccles.cap.* 19.*de elect.prælat.in genere n.* 28. Vnde sequitur, quod hæc duo translatio & mutatio localis in hac materia cōuertantur, vt definitum & definitio & cōtrà. Euerard. *in loc. à definitione n.* 1. 2. *per l.*1.§.1.*& ibi Bart. not ff.de dolo.* Atque hinc fit, vt hæc duo idem significent apud Barbos. *d.l.*1. *de iur. Vniuers. Eccles.d.l.n.* 28 *ex d. c. mutationes* 7. *q.*1. Host.de *translat.n.*1.

7. NB. Translatio hæc duplex est, personarum scilicet & rerum. Personæ translatio rursus duplex, altera absoluta perpetua & κατ᾽ ἐξοχὴν, quando persona translata ab vna Ecclesia ad aliam, desinit esse primæ Ecclesiæ, à qua transfertur *c. in apibus.*§. *ecce* 7.*q.*1.Rebuff.*prax.benefic.de translat. Episcop.n.*16. Altera Secundum quid & temporari, quando non desinit esse primę Ecclesiæ membrum v.c.cum tempore hostilitatis Episcopus ad aliam Ecclesiam transfertur. Nam cessante hostilitate ad illam primam Ecclesiam redire cogitur *d. c. in apib.in fin.* 7. *q.*1. vel si quis metu belli vel alio periculo compulsus fuerit relinquere Ecclesiam primam; illo cessante ad primam redire poterit *c. pastoralis* 7.*q.*1.*Clem.* 1. *de for. Competente.* Rebuff.*d. l.num* 14. Translatio Rei est, quando res ipsa v. c. monasterium, Ecclesia, transfertur ab vno loco in alium *l.fin.* §. 1. *ad L. Rhod. de iact. l.si cui. ff. de seruitutib. &c.* Rebuff. *de translat.Episc.n.*4.5.6.

8. Vtraque personarum translatio est canonica, cum iuxta Canonū fiat præscripta. De priori non est dubiū, quin sit canonica; De posteriori, quod etiam sit canonica, probatur per *text.expressum in d.c.pastoralis* 7.*q.*1. *F. Romani distinctio Refellitur.*

Vnde imperitè dixit F. Romanus *q.*7.*n.*27. quod translatio canonica consistat in eo, vt quis animū habeat ad primū v.c.monasteriū non redeūdi. Cū hoc trāslationi personali absolutæ & perpetuæ quidē conueniat, nō verò trāslationi personali secundum quid & temporariæ. Deinde nec vt iurisperitus loquitur F.Romanus, quādo trāsitum Monachi vel monialis ex vno loco in alium cū animo ad priorem locum redeundi, negat in iure appellari translationem, cum eius contrarium ex iure sit demonstratum.

9. Fallacia quoq; F.Romani deprehenditur ex eo, quod velit Rebuffū *de translat.Monach. n.* 17. *&* 18. asserere, mutatione locali non deseri priorem locū; secus translatione Canonicâ. At nihil de his Rebuffus. Nam hic *n.* 17. dicit tantū, quod translatus Papæ authoritate ex vno monasterio ad aliud eiusdem Ordinis, sit recipiendus in fratrem, & *num.*18. quod translatus ex vno monasterio ad aliud diuersi Ordinis, debeat recipi in fratrem. Igitur &c.

Nec

Nec vera est distinctio F. Romani, quod in translatione absolutâ & perpetuâ tantum sit opus Episcopi licentiâ, non verò in translatione secundum quid & temporariâ, quam vocat ipse mutationem localem.

Quod vt melius ostendatur, prius proponam, quæ ad absolutam translationem & perpetuam requirantur, deinde quæ ad temporariam.

Translationis absoluta requisita 1. 10. Certum est ad ablolutam requiri 1. authoritatem & licentiam Superioris *c. cum singula.* §. *prohibemus. de preb. in 6.* qui superior est Prælatus religiosus, quando fit translatio ad monasterium ab ipsius Prælati monasterio dependens vel cum priori connexum *d.* §. *prohibemus.* vel etiam Episcopus, quando Monachus ex Monasterio vno non exempto in aliud simile à priori non dependens transfertur *d.* §. *prohibemus.* Anton. de Butr. in *c. fin. n.* 13. *de renunc.* licet *in c. significatum num.* 10. *de regular.* videatur contra sentire. *Ratio.* Ratio est, quia Abbas non potest dispensare in ijs, quæ sunt quasi de substantiâ Regulæ *c. Deus. de vit. & honest. Cler.* Zecchus *de rep. Eccles. tit. de Abbatibus c.* 35. *n.* 5. *vers.* 26. Atqui solui obedientiâ Prælati & stabilitate loci in perpetuum, est dispensare de ijs, quæ spectant ad substantiam Regulæ &c. *Vide nos suprà.* Igitur &c.

Sin verò Monachus sit transferendus ex vno Monasterio non exempto ad aliud non exemptum alterius Diœcesis reformandum, vel nouam congregationem introducendam, præter licentiam Ordinarij sui loci, vnde exit. Anton. de Butr. *in c. significatum. n.* 10. *regularib.* etiam opus habet authoritate & licentiâ Episcopi alterius Diœcesis, in qua situm monasterium, ad quod transferetur reformandum, &c. *c. cellulas.* 18. *q.* 2. *c. relatum & ibi Dd. ne Cler. vel. Mon.*

2. Ad absolutam translationem Monachi alicuius ex vno loco in alium requiritur, vt transferendus prius habeat aliud monasterium vel aliam Ecclesiam, quo vadat, quàm ab Abbate obtineat literas absolutionis. Innoc. *in c. sicut ex literis. de iureiur.* Et quidem si Monialis sit transferenda, antequam è primo monasterio egrediatur, aliud habebit paratum, in quo beneuolas habeat receptrices, atque in eo capitulariter per secreta suffragia recipiatur. Adhæc dotem à cæteris Monialibus præstari solitam persoluet, priorem tamen priori relinquit monasterio, vt refert decisum Armend. apud Barbos. *lib.* 1. *de iur. vniu. Eccles. c.* 44. *de Mon. n.* 74. 2. *Requis.*

3. Atq; hinc 3. sequitur, opus esse, vt in translatione absolutâ spes illi auferatur ad primum monasterium redeundi; cum desinat esse membrum primi monasterij. Ancharan. *in c. sicut ex literis. n.* 3. *de iureiur.* ex Ioan. Andr. *per. c. statuimus* 19. *q.* 3. *c.* 2. & 3. 48. *distinct. c. si quis translatus* 21. *q.* 2. Innoc. *in d. c. sicut ex literis. de iureiur. per. c. si quos* 16. *q.* 1. Ratio est, quia ex quo quis ritè translatus est absolutè ad secundum monasterium, renunciauit omni iuri sibi competenti in primo *c. ne pro* 3. *Requis.* *Ratio.*

cuiuslibet 16. *q.* 1. *c.* 1. 18. *q.* 1. *d. c. si quis iam translatus* 21. *q.* 2. *c. constitutus. de elect. c fin. de relig. dom.* Vnde illud repetere nequit *c. quam periculosum* 7. *q.* 1.

Conf. Confirmatur, quia nemo professus Religiosus potest in duobus esse monasterijs *d. c. cum singula* §. *prohibemus. de præb. in* 6. Ergò si est religiosus professus in secundo, iam non erit amplius in primo &c. *Consequenter* primo renunciare debuit.

4. Requis. 4. Denique in Monialis translatione quacunque opus est comitatu honesto fœminarum &c. vt iam *supr. ex l.* Zecch. ostendi.

Translat. tēporariæ requisita. 11. Nunc videamus, quæ in translatione secundùm quid requirantur.

Requis. 1. 1. Necesse est, vt si Monachus non exemptus ad aliud Monasterium non exemptum ex causâ iusta sit pro tempore transferendus, interueniat authoritas Episcopi, nec enim sola sufficit authoritas Prælati ipsius Religiosi, si ipse Religiosus sit inuitus, etiamsi iubeatur ire ad seminandum inter hæreticos Euangelium. Ratio est, quia superior Religiosus non habet ius imperandi suo subdito Religioso, nisi ea, ad quæ ipse Religiosus per suam professionē se obligauit. Vnde D. Bernardus *in lib. de dispensat.* " Nihil præcipiat mihi Prælatus eorum, " quæ non noui, nihil prohibeat eo" rum, quæ non promisi; non augeat, " nec minuat votum meum. Et Ri" chardus de S. Victore ait, debi" tum esse id quod præcipitur secundum ordinem & secundum regulam; " indebitum autem, quod supra profes" sionem &c. Ita Bartholomæus à S. Fausto *lib. 6. thesauri Religiosorum q.* 85. *per tot.* qui & *q.* 108. negat, Religiosum à Superiore cogi posse, vt adeat hęreticos prædicandi illis Euangelij causâ. Atqui Religiosus Professus Ordinis solitarij non mendicantis, obligauit se per professionem ad stabilitatem & permansionem, eamque non nisi in monasterio sub tali vel tali Prælato, vt constat ex forma profitendi, supra *q.* 2. *sect.* 3. *cap.* 3. allata, quam omnes ferè Religiones obseruant. Ita Nauarr. *com.* 4. *de regular. super. c. statuimus* 19. *q.* 3. *n.* 30. Bartholomæus à S. Fausto *lib.* 6. *thesauri Religiosorum q.* 158. *n.* 1. non verò sub alio alterius Monasterij Prælato. Ergò Prælatus Religiosus non habet ius suo subdito Religioso imperandi, nisi pro hoc Monasterio; Ac *consequenter* quando imperat illi, vt ad aliud Monasterium independens, etiam ad tempus eat; tunc supra id, quod Religiosus vouit, imperat; cum plus loco imperet. §. *si quis agens in intentione suâ plus complexus fuerit.* 23. *vers. loco plus petitur. Instit. de actionib.* Igitur ad hoc non tenetur. Dd. *in d. vers. loco plus.* Bartholom. à S. Fausto *lib.* 6. *thesauri Religiosorum. q.* 158.

Huc faciunt tradita Bartholomæi à S. Fausto, qui fuit Ordinis Cistertiensium *in lib.* 6. *thesauri Religiosorum quæst.* 98. vbi ita quærit: An Superior possit cogere sibi subditos ad suscipiendum benefi-

cium

cium Regulare alterius Monasterij seu Ordinis? ET AIT, RESPONDEO, NON POSSE. Ratio est, quia id est prohibitum. *c. cum singula §. prohibemus. de præb. in 6.* tum quia tantum potest cogere ad pertinentia NB. ad suum Monasterium, quale non est hoc. Ita Nauarr. *comm.* 4. *de reg. n. 23.*

Coroll. 1. Ex dictis sequitur contra F. Romanum, Superiorem Religiosum Ordinis solitarij, nec mendicantis, non posse imperare suis subditis, vt inuiti ad monasterium aliud alterius diœcesis transeant, etiam pro tempore; cum ille imperij actus sit supra Religiosi professionem, eò quod plus illi imperetur, quàm ipse vouerit per *d. §. si quis agens vers. loco plus petitur. instit. de action.* Vide nos supra.

Vt verò ad lineam redeamus, ex *hactenus dictis.*

Conclus. 12. Relinquitur, Monialis illius translationem ex defectu licentiæ & facultatis Episcopi minimè fuisse Canonicam, sed meram intrusionem, quæ nullum ei Ius, nullo aliunde accedente subsidio, tribuere potuit. Ac Societatem legitimè ac Canonicè per DD. Commissarios in d. Monasterium esse institutam.

Obiect. 13. Inquies, Moniales sedibus impositæ sunt ac ex d. Monasterio elatæ per manus Iesuitarum. Igitur violenter Societas d. Monasterium occupauit.

Resp. RESP. ANTECEDENS esse falsissimum & calumniosè ab indicis authore Scioppio confictum, nec vllo vnquam tempore ab illo vel vllo alio probandum, vt suprà ostensum est. Ideoque videat calumniarum structor, quomodo calumniatoris pœnâ sese exsoluat. Nam vt supra commemoraui, quando Societas d. Monasterij possessionem à DD. Commissarijs accepit, Monialis cum suis Nouitijs Goslariam profecta, d. Monasterium deseruerat, proinde non potuerunt illæ, quæ non erant illic præsentes, sedibus imponi, & per manus Iesuitarum efferri.

Quod si Scioppius loquatur de eo actu, quo Monialis Societatem in sua turbauit possessione, adeoq; aliquâ vi oppugnauit, per tradita à *Menoch. l. remed. 3. retinend. poss. n. 370. per l. extat ff. quod met. caus. l. creditores ff. ad L. Iul. de vi.* quam propulsare potuit Societas, non video, quid culpet Scioppius. An enim vim propulsare, (quod omni Iure, etiam pro reseruatione bonorum Abb. *in c. olim n. 5. de rest. spol. l. vt vim. 3. & ib. Dd. omnes not. ff. de iust. & iur.* ac contra Clericos & Religiosos *Innoc. in c. olim de rest. spol. n. 7. ibid.* Pan. *d. c. olim n. 19.* concessum est,) Societati non licuisset? Volunt nonnulli, quod alterius rem ac possessionem inuadens, etiamsi Clericus vel religiosus esset, siquidem nec verbis suauibus nec comminatorijs repelli queat aut domo exire nolit, possit etiam sine vllo metu excommunicationis, fustibus vel baculo, non tamen grauiter percuti,

cuti, ac eijci, idque etiam à Clericis vel religiosis vim passis? Abb. *in c. si ſuſ. epi-mus n.3. in fin. de homicid.* Innoc. *in d. c. olim n. 8. de rest. ſpol. & in c. non dubium fallent. 4. de ſent. excomm. per c. ſi verò de ſent. excomm.*

Attamen (licet Monialis nec verbis ſuauibus nec comminatorijs repelli ſe paſſa fuerit, ideoque potuerit fuſtibus & baculo eijci.) Societas Chriſtianæ memor manſuetudinis & charitatis, maluit legitimi magiſtratus authoritate, d. Monialem à turbatione poſſeſſionis Monaſterij cohiberi & domo, vnde diſcedere nolebat, honeſtè amoueri. Vti etiam magiſtratus legitimè à P. Superiore Goslarienſi Hildeſij imploratus decreuit, vt à Prænobili D. Satrapa Henrico Boriſtorff d. Monialis cum ſuis Nouitijs, ſi Monaſterio, in cuius poſſeſſione Societatem turbabat, diſcedere monita nollet, omni meliori modo amoueretur. Quis autem à D. Satrapa commodior ac honeſtior modus excogitari potuit, quàm vt monialis cum ſuis reluctans, ſedi honeſtè impoſita, monaſterio, quod turbabat, efferretur. Elationis actui R. P. Superior Goslarienſis nequaquam, vt calumniatur Scioppius indicis author, interfuit, cum ipſe tunc mihi Hildeſij adfuerit, ſed nouitius frater. Hic autem, quod Monialem ex Monaſterio in cuius poſſeſſione Societatem ipſa turbauerat, præſens efferri viderit; non video, in quo culpetur. Quod ſi ipſe fortè manum admouit, id iure & licitè interueniente magiſtratus authoritate, vt ſupra oſtenſum, potuit, vtpote qui ſuorum iniuriam propulſaret, Innoc. & Abbas *cit. loc.* quin & Legiſtæ. *in l. vt vim 3. ff. de iuſt. & iur.* approbant. Quare non ipſe & multominus Societas propter ipſum in inuidiam, niſi malitioſè, rapi poſſunt. Quin etiamſi nouitius peccaſſet, id vlli religioſo, vtpote cuius appellatione ipſe nouitius in odioſis non veniat Barboſ. *de appell. verbi vtr. Iur. verb. Religioſus 233. n. 21. & ſeqq.* Dec. *in c. in præſ. n. 20. de præb.* Ægid. *in rep. l. 1. C. de SS. Eccl. p. 4. §. 2. n. 19. in princ. p. c. porrectum d. c. regularib.* non eſt imputandum.

* * *

Multas alias proponit F. Romanus QVAESTIONES, quæ cum non ſint huius loci, vno quaſi digito intendam in authores, vnde earum peti poſſit ſolutio.

PARERG.

PARERG. QVAESTIVN.

QVÆSTIVNCVLA I.

1\. *De concursu Episcopi & Generalis Ordinis quoad Iurisdictionem.*
Controuersia inter Humiliatos & Archiepiscopum Mediolanensem refertur.
Vnius corporis bene ordinati non possunt esse duo capita.

DE CONCVRSV EPISCOPI ET GENERALIS ORDINIS QVO AD Iurisdictionem?

AN religiosi, qui Generalem Ordinis sui habent, sint exempti? Negat F. Romanus *qu.* 7. *num.* 28. ex Erasmo Chokier *de Iurisd.ord.part.*1.*q* 17.*num.*22.*& seqq.&c.* Iason. *in l.quod in rerum.*§.*si quis post.n.*6.*& seqq.de leg.*1.*& ibi Francisc. Aretin.*

At affirmat Bald. *in l.quod in rerum* § *si quis post.ff.de legat.*1. per illum text. & ibi Raphael Cuman. & Paul. Castr. Bald. *in l.*1 *ff.de off.Consul. & in Auth. habita in* 5. *colum. C.ne fil.pro patre.* Angel. *in l.Testamenta omnia C.de testam.* Menoch. 2.*præs.*18.*n.*17.*& seqq.* Iacob. de Aret. Oldrad. *cons.* 204. Lauden. Albericus de Rosate *in d.l.quod in rerum &c.* vbi Iason. *num.* 6. *& seqq.* vocat hanc quæstionem arduam, quæ viguit inter fratres Ordinis HVMILIATORVM & ARCHIEPISCOPVM Mediolanensem, vtrum dictos fratres (qui impetrarant à Summo Pontifice vnum ex Ordine suo Generalem, qui haberet visitare & corrigere totum Ordinem) posset adhuc solito more Archiepiscopus visitare & corrigere. Et concludunt Dd. allati, quod non. *ex d. l. quod in rerum.* §. *si quis post. d. legat.* 1. vbi quod vni concessum est ex legato alterius, videtur alteri

« legatario ademptum seu diminutum. *Ergo à pari*, quando vni Generali concessa est Iurisdictio ex dispositione Superioris, videtur alteri Episcopo adempta, Euerard. *ab vltima volunt. ad legem, statutum, consuetudinem.* 2. *Ex c. studuisti. de off. legat.* vbi vnus speciatim Iudex datus in vna causa, derogat Iudici dato causarum vniuersitati. *Proinde à pari*, quando datus à sua Sanctitate Generalis Ordinis in vna quasi causa Ordinis, derogat Episcopo dato Iudici quoad causarum totius diœcesis vniuersitatem. *Cuius antecedentis* textui nequaquam satisfacit Iason. *d. l.* vt ipsemet agnoscit, vnde articulum ait disputabilem & valde diffusum. Nostram autem sententiam probant Dd. hac ratione, quod vnius corporis bene ordinati non posint esse duo capita non subordinata, vt argumentatur Oldrad. *d. cons. 204. incip. prima quæstio est.* Igitur nec vnius Ordinis, vt est corpus aliquod politicum, possunt esse duo capita non subordinata; nisi quis velit corpus esse monstrosum.

Ex dictis apparet, quam vehementer erret F. Romanus *q. 7. n. 28.* dum asserit, P. Laymannum *c. 9. refutat. fol. 363.* nullius Doctoris authoritate fultum, nostram sententiam proposuisse.

QVÆSTIVNCVLA II.

Varia Responsa Dd. circa Abbatis Iurisdictionem in suos Monachos.

QValem & quantam Abbas in suos Monachos habeat Iurisdictionem? an etiam criminalem?

Alij negant apud Chokier. *de Iurisd. ord. part. 4. q. 67. num. 4.* Innoc. *in c. vt fame. num. 3. verb. Prælatorum. de sent. excomm.* Alij affirmant, quos inter L. Zecchius *de rep. Eccles. tit de Abbatib.*

*batib. c.*25.*n.*4.§. *Quo verò ad authoritatem.* Alii distinguunt inter grauia & leuia Monachorum delicta; Alii inter delicta iudicialiter punienda & ea quæ extraiudicialiter proponuntur, Alii inter ea, quæ non contra regulam, & quæ contra regulã sunt admissa, ita vt ex Innoc. *in c. quanto. de off. ord. n.*2. in prioribus Episcopus, *in posterioribus* Abbas sit superior competens. Vide Chokier *d. tr. p* 4.*c.*88.*per tot.* Innoc. *in d. c. quanto, de off. ord. num.*2. Barbos. *de off. Episc. allegat.*105 vbi distinguit inter Ius antiquum & nouum, quod secundùm antiquum, & ciuilis & criminalis Iurisdictio spectauerit ad Episcopum, Iure verò nouo, ad Abbatem, nisi in quibusdam casibus exceptis. Sed hæc nos missa faciemus, cum nihil ad rem nostram faciant. Nos enim versamur in casu, quo & Prælatus & Monachi alicuius loci sunt mortui omnes nullo superstite. Proinde inanis est illa F. Romani *q.*7.*n.*20.28.*& seqq.* disputatio.

Quæstiuncula III.

De esu carnium.

VTrum Monachi in Monasterio, vbi non seruatur regulâ de abstinentia esus carnium, professi, postea ad illarum abstinentiam cogi possint.

Videndi sunt Dd. & inter alios Rebüff. *in rubr. de regia ad Prælat. nominat.* §.1. *in verb. reformatis.* vbi tradit, quod si in monasterio à tanto tempore, cuius initij memoria non extet, comederint carnes, postea ad earum abstinentiam non teneantur.

Vide & de carnium abstinentiâ Barthol. à S. Fausto. *l.*6. *thesauri religiosorum.q.*80.81.118.*q.*147.148.149. Augustin. de Ancon. de potest. Ecclesiast. *q.*97.*qu.*6.*per. tot.* Ee 2 QVAE-

QVÆSTIO IX.

De promiſsione ab Abbatibus Societati facta.

An RR. DD. Fridericus Archi-Abbas Haſsefeldenſis & Iacobus Abbas Cæſarienſis Commiſsarij Congregationis Bursfeldenſis cum poteſtate pleniſſimâ miſſi, in præſentiâ Reuerendiſs. D. Antonij Cremifanenſis Abbatis, Epiſcopi Viennenſis promiſerint aliquid Societati circa quorundam parthenonum translationem?

NEGAT F. Romanus *q. 7. n. 12. & multis seqq.* ex confeſſione illorum publico conceptâ inſtrumento. At contrà atteſtatus id fuit ipſemet ſemper Auguſtus & Inuictiſſimus Imperator FERDINANDVS II. f. r. in ſuis ad R. P. N. Ioannem Copperum *p. m.* id temporis Prouincialem. Et probatur contrarium ex propria ipſorum Dominorum confeſſione publica. Nam licèt id verbis negent, tamen Archi-Abbatis Herſefeldenſis confeſſio longe aliud indicat. Nam *primò* ex illa certum eſt, Patrem Lamormaini egiſſe cum DD. Abbatibus in præſentiâ Reuerendiſs. Domni Abbatis Cremifanenſis, Epiſcopi Viennenſis, vt ad Societatem Collegia aliquot Virginum & Virorum approbantibus DD. Abbatibus transferrentur, Nam ita inter reliqua,
„ Sondern hette (P. Lamormaini) das
„ begeret / Es wolten ſie (die HH. Com-
„ miſſarij) vnd jhre Superiores ſeiner
Societet mit möglichſten dienſten vnd „
rathſchlägen ſuccurriren / vnd dieſelbe „
jhnen ſubminiſtriren / damit Collegia „
ſæcularia Virginum & Canonicorum „
vulgò Weltliche Stiffter / Societati in „
vſum Collegiorum & Seminariorum „
aſſignirt / vnnd zugeeignet werden „
möchten / dann das wehre der Röm. „
Käyſ. Mayeſt. meinung ꝛc. id eſt, „
Verum (P. Lamormaini) petiuiſſe, vt „
ipſi (DD. Commiſſarij) ipſorumque „
Superiores omni ope & conſilio So- „
cietati ſuccurrerent, & ipſi huic ſub- „
miniſtrarent, quò Collegia Virginum „
ſæcularia & Canonicorum, vulgo ſæ- „
cularia Collegia Societati in vſum „
Collegiorum & Seminariorum aſſi- „
gnarentur atque applicarentur; hanc „
enim eſſe S. C. Maieſtatis volunta- „
tem &c. Vnde licet in inſtrumento „
dicatur, habitam fuiſſe tractationem „
de Collegijs Virginum non religio- „
ſis, ſed ſæcularibus; attamen re peni- „
tius inſpectâ, non eſt veroſimile, Pa- „
trem Lamormaini cum DD. Abba- „
tibus

» tibus acturũ de Collegijs sæcularibus
» Virginum & Canonicorum, Cum ad
» Abbates Ordinis S. Benedicti illa non
» spectarent, nec in illis ipsi quicquam
» possent, nec ipsorum operâ aut inter-
» cessione indigeret P. Lamormaini. I-
» deoque haud dubie cum ipsis egerit
» de alijs Virginum Collegijs, in quę ipsi
» aliquod ius obtendebant. Hæc autem
» erant Monasteria Virginum.

Deinde idem ostenditur manifeste
» ex ipsius Domni Archi-Abbatis re-
» sponsione in d. instrumento insertâ
» his verbis. Hierauff sagten jhre Woll-
» Ehrwerden/ daß sie geantwortet hetten/
» dafern sie oder jhre Oberen in diesen
» oder andern/ welches die Religion pro-
» mouiren könte/ vnd der Röm. Käys.
» Mayest. nicht zuwieder wehre/ einige
» Officia siue seruitia der Societet Jesu
» præstiren vñ beweisen konten/ das sie in
» solchen Gott angenehmen sachen nicht
» zuwieder/ sondern vielmehr befürdelich
» zu sein erzeigen/ vnd denselbigen nicht
» abgeneigt sein worden/ id est, ad propo-
» sitam quæstionem aiebat admodum
R. D. Archi-Abbas, se respondisse, si
vel ipse vel ipsius Superiores Societati
Iesv in hac vel simili causâ, quæ reli-
gionem promouere posset Catholi-
cam, nec Cæsaris repugnaret volunta-
ti, vllo modo prodesse, vel vt sonant
verba, vlla officia vel seruitia præstare
& exhibere possent, non obfuturos,
sed potius declarare se profuturos nec
ab ea vnquam futuros alienos. Hinc
arguitur inter DD. Abbates & Pa-
trem Lamormaini intercessisse tracta-
tionem de monasterijs Virginum.
Quare enim alias ipse Archi-Abbas
suam suorumq; Superiorum operam
ac studium Patri Lamormaini addi-
xisset, si non de ipsorum Ordinis, sed
aliorum sæcularium Collegijs fuisset
inter ipsos tractatum? Ecquid Colle-
gia sæcularia ad Monachos? Ecquid
in Collegijs sæcularibus obtinendis
Monachorum, ad quos nihil ea perti-
nebant, operâ vsus fuisset Pater La-
mormaini. Quid quęso F. Romane tui
Abbates, eorumque superiores in ijs
poterant? Chimæræ sunt F. Romane,
& Entia phantastica, quæ rudibus
vendites, non sapientibus, non pru-
dentibus. In ijs Pater Lamormaini
tuorum Abbatum efflagitabat ope-
ram & charitatem, in quibus il-
li fauere poterant. Poterant au-
tem in monasterijs S. Benedicti e-
mortuis, Nam in ea ius ipsi ob-
tendebant. Quare de his tractatio-
nem inter ipsos susceptam fuisse ne-
mo est, qui prudenter negare possit,
ac consequenter de ijs interpositam
DD. Abbatum promissionem, quæ
vtrum valida fuerit, necne, non est
meum hîc exquirere. Sufficit mihi
ostendisse, quod promissio à DD.
Abbatibus R. P. Guilielmo Lamor-
maini de quibusdam Monasterijs mo-
nialium fuerit interposita, in
qua ego conquiesco.

QVÆ-

QVÆSTIO X. ET VLTIMA.

DE

R.P.Ioanne Deckerio S.I.

Vtrum R. P. Ioannes Deckerius corruperit Scripturas ſacras.

1. *Veritatis quæ vis?*
2. *Varia loca ſcripturæ conciliantur.*
3. *Libellatici qui ſint.*
4. *Chriſti natiuitas quo anno acciderit.*
5. *Deſcriptio Auguſti Cæſaris apud S. Lucam c.2.v.2. quoto acciderit anno.*
6. *Quomodo dicatur* πρώτη *vel prima.*
7. *Luc. cap. 3. v. 1. explicatur* ὡσεὶ *vocis quæ vis?*
8. *Vox* ἀρχόμενος *apud S. Lucam quò referatur?*
9. *Quid de cenſura Eminentiſsimi Cardinalis Baronij ſentiendum.*

AFfirmat illud F. Roman. *q.*1.*n.*23.*fol.*109. vt Societati inuidiam tantùm conflet.

Contra Reſpondeo, F. Romanum vel ex ſimplicitate vehementer falli, vel quod abſit, malitiâ grauiſſimè perturbatum eſſe, quando tradit 1. à P.Ioan. Deckerio theſes de anno Chriſti primum in hanc lucem editi conſcriptas, quæ à Syſloga Polono, Præſide tantum P. Ioanne Deckerio ſcriptæ & defenſæ ſunt. *Deinde* ijſdem corrumpi ſacras ſcripturas, idq; Cardin. Baronij teſtimonio. Quod ſi ex malitiâ hic peccauit F. Romanus, non video quomodo ſe à crimine falſi expurget per *l. pen. C. de probat.*

Verum ipſemet Cardinalis ad annum 109.*n.*51. Cardinali à F.Romano « citato reſpondet, iura, inquiens, veritatis ſunt ampliora omni antiquitate, « quippe quæ nullâ plurimorum ſæculorum valeant præſcriptione lædi, nec « innumerâ teſtium multitudine obrui « atque labefactari: ſic de his agendum « nobis proponimus, vt rei dignitati ac « veritati ſit omni pariter ex parte conſultum; cũ alioqui nullus ſit reliquus « fidei locus, niſi ipſi in omnibus veritas ſuffragetur. Quamobrem noſtræ « narrationis argumentum illud erit, accuratius perueſtigare, num quæ ab ijs « objiciuntur, qui contrarium nitũtur « adſtruere, eiuſmodi ſint, quæ à maiorum ſententiâ diſcedere prorſus cogant: quandoquidem haud æquanimiter pati poſſumus, quę ſunt tot tantiſque teſtibus obſignata, leuibus quibuſdam conjecturis conuelli, & non niſi certis firmiſq; atque adeo veriſſimis in rationibus irrita reddi. «

2. Et ad annum 34.*num.* 171.172.illa verba *Matth.*28.*v.*1.ὀψὲ vespere autē Sabbathi, quæ lucescit in prima Sabbathi, venit Maria Magdalene, videre sepulchrum &c. conciliaturus Cardinalis cum contrarijs illis *Marc.* 16. *v.* 2. Valde mane vna Sabbathorum veniunt ad monumentum, & *Luc.* 24. *v.*1. per vocem vespere intelligit vesperuginem stellam seu ἕσπερον, qui quod etiam manè luceat, Lucifer nuncupatur. Et subdit ibidem Cardinalis. » Cæterum hæc nostra sic afferimus » non vt ita esse pertinaciter affirmemus, sed quod nihil modo, quod pertinet ad historicam conciliationem, verius posse dici videatur. In huiusmodi autem difficultatibus & coniecturis interdum, præsertim ijs, quæ ita verisimiles sunt, vt veritatem ipsam quodammodo necessariò præ se ferant, » magna solet ad indagandam veritatem assertio fieri. Et licet in Græco textu habeatur vox ὀψὲ, quæ nunquā significat stellam vespertinam, attamen non Græcè, sed Hebraice suum Euangelium scripsit S.Matthæus, teste S.Hieronymo.

Matth. 28. *v.* 1.

Marc. 16. *v.* 2.

Luc. 24. *v.* 1.

Quod si institeris, S. Hieronymū » Hebraicæ linguę peritum, haud dubiè » vocem illam Hebraicam fideliter » transtulisse, Resp. Ita etiam fideliter » transtulisse, vt significet idem, quod » serò vel vespere. Videndum tamen, » vtrum S.Hieronymus verum, germanumque habuerit S.Matthæi exemplum, an viciosè descriptum.

3. Atq; ex his ipsius F.Romani principijs Episcop.Cardinalis, an.253.*n.*24. cōtra omnes authores asserit ac defendit, Libellaticos esse, non qui pecunia redimeant abnegationem Christi, sed qui olim Christū in literis negarant, publicâ abnegatione pecunijs redempta. Ita ipse Cardinalis ad *an.*106.*n.*23. Maxentium ab omnibus antiquioribus & recentioribus creditum Maximiani filium, ex vnico nuper reperto nummo, asserit Maximiani generum.

4. Atque ex his & similibus, subsumere potest D. Sysloga Polonus, Præside P.Deckerio defendens, constare certissimâ ratione, Christum nec Lentulo & Messalino Coss. nec vllis posterioribus, sed anterioribus aliquibus 25.Dec. natum esse. Cum certum sit ex Euangelio, Christum natum esse viuo Herode, non verò mortuo. Anno verò, quo Cornelius Lentulus & Valerius Messalinus. Coss. præfuêre, iam in paschate defunctus erat Herodes, & filij eius Archelaus, Herodes & Philippus de regno Romæ coram Augusto & optimatibus Romanorum & pluribus quam 6000. Iudæorum in templo Apollinis disceptabant. Igitur nec illo nec sequentium vllo sed anteriori aliquo anno Christus fuit natus. Antecedens probatur. Nam Herodes obijt in paschate anno 40. Augusti, Ioseph.17. *antiq.* 10. & anno 37. postquam ipse à Romanis declaratus fuit Rex, Ioseph. 17. *antiq.* 10. & *lib.* 1. *de bell.iudaic.c.*21. Ipse verò fuit declaratus Rex olympiade 184. C. Domitio Caluino II.&C. Asinio Pollione Coss.

Ioseph.

Ioseph. 14. *antiq.* 25. qui est vltimus annus Olympiadis 184. Vnde descendendo ad annum 37. Herodis, efficitur is, quo Cornelius Lentulus & Valerius Messala fuere Coss. Neq; hîc Iosepho errandi locus esse potuit, quippe qui illa tunc scripserit, quando plurimi adhuc viuebant, per quos hæc certissima & apertissima esse ostēderentur, si in litem fortè veritas vocaretur, vt in simili scribit S. Augustinus *epist. 84. ad Vincentium.* 2. quod Iosephus in testimonium seruatæ veritatis historicæ, publicâ in Romano foro statuâ sit honoratus à Vespasiano & Tito Impp. 3. quod tabulæ authenticæ tum vbique extarent, præcipuè verò Romæ, vbi suam Iosephus historiam conscripsit, vt nullo negocio coargui posset falsitatis, si non vera Iosephus scripsisset. 4. quod qui mendacia componunt, non aliorum scriptis consona scribant, sed quæ ipsis lubent, confingant. Atqui supracitata Iosephi assertio consentanea reperitur clarissimis veterum monumentis & vsque adeo non repugnat historiæ Euangelicæ, vt illam etiam mirè illustret.

5. Nā inde 1. ostenditur, descriptionem Augusti Imp. vniuersalem, cuius meminit S. Lucas *c.2. v.2.* pertinere ad mediam, quam ipse Augustus solus sine Collega, cum nulla fiat Collegæ in Euangelio mentio, C. Marcio Censorino & C. Asinio Gallio Coss. intercedentem inter primam, quam in Consulatu suo sexto cum Collega genero suo M. Agrippâ, & vltimam, quam cum Collega Tiberio, itidem genero suo, duobus Sextis Coss. vicenis semper interpositis annis, adornauerat. Ter enim tantum Augustus in omni suo Imperio indixisse lustrum generale, tum Lapis Ancyranus apud Gruterum in *antiquitatibus pag.* 250 *& seqq.* tum Sueton. in Augusto *c.27.* testantur. Hæc autem descriptio vniuersalis non vno absoluta anno, quia sicuti priuati bellici motus impedimento fuêre, ne tertia Iani Clausura eo fieret, quo decreta erat, anno; ita descriptionem pariter impedierunt, ne primo statim anno in vniuerso potuerit agi, nedum peragi in Romano imperio, tum vel maximè, quia descriptio illa plures actus supponit successiuos, nimirum edicti Cæsarei ad loca remotiora transportationem, promulgationem, insinuationem, subditorum ex varijs & remotis locis proficiscentium comparitionem, ac demum ipsam omnium & singulorum nominum, notationem, qui actus in vniuerso Imperio non vno videntur commodè potuisse expediri anno, prout etiamnum hoc tempore in Imperio nostro Romano videmus pluscculū temporis requiri, & ferè medium annum, si soli status sint conuenturi, vt de contributionibus agant. Quātum igitur temporis requiretur, si non soli status, sed singulorū subditi prius euocandi, eorum nomina signanda? Certè non vno videtur anno concludi posse. Quare ad vnum alterumue annum aut etiam vltra

hæc

hæc media deſcriptio Auguſti vniuerſalis & ſingulorum capitum durauerit, Atque initio indicta M. Cenſorino & C. Aſinio Gallo Coſſ. fuerit, inde continuata Cla. Tiberio Nerone & Cn. Calpurnio Piſone, L. Balbo & C. Antiſtio Vetere, ſub quibus Chriſtũ natum aſſerit Keplerus, etiam vſque dum ipſe Auguſtus XII. cum L. Cornelio Sylla conſulatu fungeretur, ſub quo Chriſtum in hanc lucem editum Sysloga Prꝺſide P. Deckerio defendebat.

Cæſaris deſcriptio quomodo appelletur prima.

6. Quod illa deſcriptio dicatur *Luc. 2. v. 2.* πρώτη, non intelligenda eſt abſolutè, ſed more Hebræorum comparatiuè, videlicet quod ſit prior, ſeu quod præceſſerit deſcriptionem ſub Quirino Præſide factam. Nam aliàs hanc Lucæ deſcriptionem pluribus annis præceſſerat alia vniuerſalis Auguſto VI. & M. Agrippa Coſs. Vnde hæc Lucæ deſcriptio non poteſt accipi pro abſolutè prima. Adhæc vox πρῶτος vel πρώτη in Scripturis Sacris ſignificat ſæpe idem, quod prior, vt oſtendunt ſequentia loca. Matt. 12. v. 45. ibiq; S. Hieron. Et fiunt nouiſſima hominis illius peiora τῶν πρώτων prioribus. Matth. 21. v. 34. iterum miſit alios ſeruos plures prioribus τῶν πρώτων. Matth. 27. error peior priore τῆς πρώτης. 1. Ioan. 4. v. 19. Deus prior πρῶτος dilexit nos. Ioan. 1. v. 15. & 30. πρῶτος prior me erat. Ioan. 20. v. 4. & 8. Luc. 6. v. 42. eijce prius πρῶτον trabem ex oculo tuo. Luc. 9. v. 59. permitte mihi primum vel prius πρῶτον ire & ſepelire patrem meum. Vide plura loca apud Hervvartum in Chronolog. c. 241. Atque ita apud S. Lucam. c. 2. v. 2. vocem πρώτη accipiendam oſtendit ac notat interpretatio Eccleſiæ Syriaca; cum eam per vocem קדמיתא reddat, ac exprimat, quæ vi originis ſuæ prioritatem temporis denotat. Deſcendit enim à radice קדם quæ in piel קדם & Syr. קדם Arabicè קדם ſignificat idem, quod prior fuit tempore, præceſsit, anteceſsit, anteiuit, Vnde קדם Chaldaice קדם קדים prioritas temporis, קדמה & Chaldaice קדמות ante, priuſquam, קדמוני anteriores deriuantur. Vide Schindleri Lexicon. Retẽta hac ſignificatione nihil omnino video, quod in textu S. Lucæ mutetur, quin potius ſenſus ipſius colluſtretur, nim. duob. genitiuis textus Græci ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου ad vocem πρώτη relatis. Vt ſignificetur deſcriptio Auguſti prior illâ, quæ facta eſt Præſide Cyrenio. Ita & in Latina verſione ablatiuis, præſide Syriæ Cyrenio, interueniente præpoſitione a vel ab, relatis ad vocem, primæ, non ad verbum, facta eſt, more & phraſi Hebrꝺorum deſignabitur prior deſcriptio deſcriptione *Præſidis* Cyrenij factâ. ſeu deſcriptio, quꝺ præceſſerit deſcriptionem Præſide Syriæ Cyrenio factam. Nam apud Hebræos præpoſitio מן à vel ab inter adiectiuum & nomen ſubſtantiuum, poſita conſtituit adiectiuum in gradu comparatiuo; ita Eſai. 12. 1. רבים מבני multi quàm filij, id eſt, plures quàm filij,

Eccl.7.1.טוב משמן ab oleo, id est melius oleo bonum. Ita & hic Luc.2. vox prima, interueniente præpositione à accipietur pro comparatiuo: Cum etiam apud latinos Authores præpositio à notet comparationem. Nam ita apud Gellium dicitur, *Friget ab illo*, id est, comparatus ad illum, friget vt aduertit Drusius *libro 2. de Mosche vechaleb.*

7. Neque est, quod quis huic sententiæ contrariari existimet S. Lucam *c. 3. vers. 1. iunct. 23.* Anno, inquiens, 15.
„ Tiberij Cæsaris, procurante Pontio
„ Pilato Iudæam, Tetrarcha autem Ga-
„ lilææ Herode, &c. Ipse Iesus erat in-
„ cipiens quasi annorum triginta; Tum quia annus 15. Imperij Tiberij computatur non ab obitu Augusti, sed biennio ante ipsum obitum, quo Tiberius ab Augusto in Imperij consortem, Germanico & Fontejo Capitone Coss. adscitus fuit *Suet. in Tiber. c. 20. 21.* tum quia vox ὡσεὶ, vt notat Henricus Stephani in Lexico suo, frequentius significat illic ferè, circiter, id est, plus minus, Ita *Luc. 1. 56* Mansit autem Maria cum illa ὡσεὶ circiter, vel quasi mensibus tribus. *& c. 22. v. 41.* auulsus est ὡσεὶ circiter iactum lapidis.

Vnde & in hoc & in alijs intelligitur, quod anno 15. Imperij Tiberij Cæsaris Christus fuerit circiter 30. annorum, qui verus manet sensus, etiamsi dicatur Christus fuisse vnius & triginta annorum.

8. Neq; huic officit vox ἀρχόμενος, incipiens, quia ipsa non refertur ad ætatem Christi, sed ad ipsius doctrinam & prædicationem. ita vt quando Christus cœpit docere populum, fuerit circiter 30. annorum, vt patet ex Lu.23.v.5. vbi Iesus accusabatur, quod commoueret populum, docens per vniuersam Iudæam, incipiens, à Galilæa vsque huc.

Ex quibus palam est, locum Euangelistæ S. Lucæ, doctrinę superius traditæ, nihil officere, quin potius ex eo mire collustrari, vt pluribus Heruartus & Keplerus comprobarunt.

Relinquitur ergo, retento S. Lucæ supra citato epiphonemate non illum cum S. Luca pugnare, sed summe hunc cum ipso conspirare. Et quis dicet, contra fidem Ecclesię esse, quod ab Ecclesia vniuersa non est vsu receptum. Annon olim Calendariũ Gregorium nõ erat vsu Ecclesiæ receptũ, nec tamen ideo quis ipsum asseret, contra fidem esse. Annon Libellaticos asserit ipse Cardinalis esse, qui clam, scripto, non palam in omnium conspectu Christum negassent; Hæc tamen assertio ante ipsum in Ecclesia non fuit vsu comprobata, vt ipsemet cit. loc. attestatur. Et tamen nihil ideo contra fidem Ecclesiæ sensisse est dicendus.

9. Quod ad censuram attinet, notandũ est, quod Syslogæ assertio contraria esset principio ipsius Chronologiæ, ipsũq; euerteret, Quare eam Cardinalis oppugnat. At Cardinali oppugnanti. Resp. eminentissimus Cardinalis ad ann. 48. n. 12. Condonandũ illi, (si quod & alijs sanctissimis atq; eruditissimis viris sæpe accidisse re- *Resp.*

peri-

peritur) dũ ardẽtiori studio in (aduersarios) inuehitur, vehementiori impetu in contrariam partem actus, lineã videatur aliquantulũ esse trãsgressus.

Hæc & similia F. Romanus religiosus Sacerdos, velut apis argumentosa tum ex Eminentissimi Domini Cardinalis, cum aliorum Dd. scriptis tanquã optimis floribus delibasset, vtiq; haud vllũ venenũ ceu araneus animo hausisset, nec haustũ vlli mortaliũ propinasset. EPILOGUS. Verũ vt cõcludã; considerauimus hactenus astri illius portentosi à Scioppio, & F. Romano in orbem hunc sublunarem inuecti errores, fœdasque eius defectiones, quas in omni cursu suo patitur, digito quasi monstrauimus. Reliquum nunc est, quale dicendum tandem sit, ex ijs quæ dicta sunt, conficiamus. Lunaticum profectò qui compellarit, nescio an propinquiore naturam eius magisque cognatâ voce possit explicare; Eccentrico quippe Lunare Corpus voluitur circulo, & alieno prorsus lumine illustratur, atque vt Poeta,

Cum medios Phœbi radios intercipit orbis,
Nec trahit in se, tum quo fulget Delia lumen,
ANNON signa suo pariter cum sidere languent, &c.
Et veluti elatam Phœben in funere lugent,
AN NON Luna suo tunc tantum deficit orbe,
Cum phœbum aduersis currentem non videt astris, &c.

Et quis Scioppianum perinde ac Hayanum astrũ, alienis quæstionibus inuolutum, ac rationibus firmatũ peregrè sumptis, eccentrico negat circulo lunatice oberrare? Negabit sanè ille, qui aut R. P. Laymãni censuras nõ examinarit, aut R. P. Valentini Mangioni Theoricas non fuerit speculatus. Iam & alieno astrum hoc lumine esse illustratum, eodemq;, terrarum interpositu, emortuorum, inquam, Monasteriorum spoliari; deliquium etiam, dum aduersũ soli, id est, veritati, iter tenet, triste pati; adeoq; luminis nihil, sed falsitatis tenebras in orbem refundere, ex hactenus disputatis ad liquidum, ostenditur. Et qua tandẽ ratione tenebrio iste Scioppius, à quo F. Romanum deceptum mihi persuadeo, animi perperam sentientis caligine occœcatus, qua ratione intueri, aut iustam R. P. Laymanni defensionem, aut censuram eius, quâ examinare mentis lubricæ statera poterit? At non sustinet supercilium illud proponi quenquam, à quo discendum sit aliquid; eandem præoptaret in cœcitatem omnes inuolui: Ideoq; ne iustam videatur P. Laymannus suæ sanctitatis ac S. C. Maiestatis in transferendis alios ad Religiosorum Ordines, aut Clericorum Seminaria, Monasteriorum emortuorum bonis, suscepisse defensionem, obtrudere palpum oculis eorum, ac mentito quodam falsitatis fascino illudere, vt in rem suam aduersus veritatem cæcè iudicent, adnititur. Sed inuoluitur ipse nebulis suis cœc⁹, è quib⁹ siquidẽ

emergere est animus, Ariadnæ filo nequaquam est opus, manum propius porrigo; viam præit, si modo sequi non detrectet, P. Laymannus. Verum quis iste, *inquit*, Laymannus tuus, aut quid tandem adferre lucis, ignorans ipse huic controuersiæ potest? PARVM sanè aut legisse eum, aut considerasse videris, quisquis ignorantem ausus es Virum iuris scientissimum nominare. Quod si verò perspicacitatem eius, hebes tuum ingenium non assequitur, tuum istuc vitium, non alienum securius putabis. Legum ille studiosus, multis ante annis, quàm in Societatem IESV adlegeretur, Ingolstadianâ in Academiâ nauus assiduusque extitit. In ea deinde, vbi & per ætatem idoneus, & iisdem fuit disciplinis satis eruditus, ipsos sedecim annos, practicam quam appellant Theologiam, eâ cum laude non vulgi modo literarij, sed hominum eruditorum tradidit, vt vulgari typis digna fuerit æstimata, & recudi sæpius (adeo multos inuenerat æstimatores) fuerit necessarium. Inde ad sacros canones Dilinganâ in Academia explanãdos adhibit' fuit: quâ in prouinciâ, eâ breui nominis ac famæ cõsecutus est celebritatem, vt viris eàdẽ in facultate principibus ac primario etiam eadem in Academia Iurium Doctori prælectiones eius dignæ sint habitæ, quas sibi suis impensis quotidie curarent describendas. Quin & si quid incideret multis perplexum difficultatibus, quæstionis, ad ipsum potissimum allatum est, eius iudicio arbitrandum, à quo velut oraculo aliquo religioni sibi ducebant deinceps alterius ad arbitrium appellare.

Quo iterum professionis in genere adeo processit longè, alijs iam in arenis præclarè exercitatus, vt illustrare commentationibus suis Canones suos sit aggressus, quas iam copiosissimas versaremus, nisi manum de tabulâ, fata peste præcipitata iussissent. Vestigia certè etiam considerаremus, nisi ea bellici tumultus, bonis artibus infesti, disturbassent. Et hunc virum tam præclarè de omni retro posteritate, eruditione suâ promeritum, Doctorem adeo perspicacem, malè oculatus iste Astrologus non erubescit è Cathedra ad subsellia deuocare, & Magistrum etiam offerre se, ducemque eidem, eo in genere, in quo vix esse discipulus cœpit, audebit? Darem id eius cœcitati, paterer habere veniam istam ignorantiæ, nisi omnium rectè sentientium relamaret consensus, bene docentium retraheret authoritas. Quatuor illi quidem necessaria iudicant ei, qui ius sibi sumit explicãdum, vt vera, vt re non aliena, vt Ordine, vt stylo ad docendum apposito doceat. Age verò Palęphate homo noue, Astrologe, inquam, Vide quam tu temere in istam tuam docendi prouinciam, vide quàm inconsultò inuoles, vide quam parum vera, imo etiam quàm manifestè falsa, quàm ab instituto aliena, quàm nullo Ordine, quam stylo ad criminandum quàm docendum aptiore doceas. Oppone verò tibi Laymannum istum meum, *Muret. in Orat.*

meum, Nihil in eo offendes non verum, nihil iurium & Legum præsidijs contra calumnias & imposturas tuas, non firmum; nihil cum instituto eius non coniunctum; nihil optimo ordine non digestum atque ad docendum accommodato. Quæ tu si negaris, ex ingenio tuo ages, veritatisque ad lucem, falsitatis tuæ nebulâ inuolutus perges obscurari. E qua te (de fratre. n. Romano mihi meliora promitto) quando desperata sunt humana, eripiat ille, qui in tenebris & vmbra mortis sedentes illuminare solus potest. Quem ego tibi (ne serò frustra:) tempori propitium voueo precorque.

Omnia ad Maiorem Dei Gloriam.



ERRA-

ERRATA.

Pag.	Col.	Linea	Grauiora	sic Corrige
1		5	*paritio*	*partitio*
5	1	17	*post religiosa; adde*	*His positis 2. Respond.*
	2	27	*illic.*	*dele.*
16	2	7	*Atqui*	*Atque*
17	2	20. 26.	*habiles*	*stabiles*
25	2	23	*delinquentium, ad*	*delinquentium amissa, ad*
		24.	*Religios*	*Religiosos*
32	1	24	*vel tradit*	*vt tradit*
46	1	*vlt.*	*posteriorum*	*posteriorem*
54	1	9	*bona emortuorum monasteriorum non sunt Ordinis in communi, seu vt vniuersalis, sed singulorum*	*Bona singulorum monasteriorum non sunt Ordinis in communi, seu vt vniuersalis.*
70	2	34. 35.	*nostra 24.9.c.2.*	*nostra 1.c.2.*
86	2	23	*vt Coadiutores*	*vt & Coadiutores*
		28	*plectitur*	*complectitur*
87	1	20	*debet de nouo*	*debet illic de nouo*
89	2	19. 20.	*personalis*	*personis*
92	1	2	*possessorem*	*& possessorem*
97	2	15	*affulgēt*	*affulgeat*
113	2	4	*c. perunit*	*c. peruenit.*
114	1	3	*assmptum*	*assumptum*
117	2	11	*à fin. antectssor*	*antecessor*
118	2	24	*moasterijs*	*monasterijs*
120	2	22	*verà*	*verò*
121	1	13	*RESPONDES*	*RESPONDET*
128	1	9	*agretur*	*ageretur*
	2.	*vlt.*	*præ*	*quæ*
133	1.	*lin. 2.*	*cum 5. seqq. vsq; Resp.*	*dele*
141	2	24	*asserere*	*asserit*
150	2	5	*à fin. CONFIRMAVVR*	*CONFIRMATVR*
157	2	23	*interpretari*	*interpretatio*
163	2	15	*Monastertorum*	*Monasteriorum*
170	1	4	*à fin. ex*	*dele*
172	1	11	*viiui*	*viui*
	2	12	*notat, actum*	*notat actum,*
173	2	6	*à fine. testarorum*	*testatorum.*
184.	2.	10.	*à fin. quin*	*quia*

Reliqua leuiora, vt & quæ in numeris occurrunt, studiosa beneuoli lectoris emendabit charitas & industria.

INDEX PRIOR GENERALIS
inſtar locorum communium deſeruiens.

Iu-



INDEX POSTERIOR
RERVM ET VERBORVM

Vbi Nota, q. *denotare* quæstionem, *ſ.* ſectionem, *c.* caput *n. numerum, margini, non paginis aſcriptum.*

 dicti

In

Eccle-

D.Fran-

untur

Magde-

M.

N.

O.

Om-

vero poteſt ex ordinaria poteſtate *ibid.n.6.*

Pontifex in translatione monaſteriorum emortuorum ad alios alterius Ordinis Religioſos ex Eccleſiæ Catholicæ vtilitate,non alterat vltimas teſtatorum voluntates,*q. 6.c. 2.n.16.*

Pontifex poteſt deficientibus huius loci religioſis,ex cauſa neceſsitatis vel vtilitatis publicæ Chriſtianæ, monaſteria certæ familiæ fundata,alteri religioſæ familiæ conferre *q.5.c.vn.n.4.*

Vel eorum bona etiam ſeminarijs conferre,*q.5.c.vn.n.8.*

Probatur illud ex varijs præiudicijs,*ibid.*

Pontifex poteſt illud ex poteſtate ſua Ordinaria, *q.5. c.vn. num.5. & numer.8.*

Pontifex poteſt non obſtãtibus Germaniæ concordatis,alicui loco de dignioribus & vtilioribus prouidere,*q.6.c.2.n. 22.*

Ideoque derogare concordatis, *ibid.*

Pontifex ob plenitudinem poteſtatis, poteſt concurrere cum Ordinarijs citra iniuſtitiam,*q.4.c.2.n.13.*

Etiam in menſibus Ordinariorum *ibid.*

Nec aufert illis ideo ius prouidendi,*ibid.n.12.*

Pontifex an reſcripſerit pro Ordinibus antiquis,*q.7.c.1.n.9. & c. 2. numero 17.*

Pontificis mens ac voluntas circa Collegia & ſeminaria ex bonis monaſteriorum emortuorum erigenda,*q.7.c.2 n.17.*

Pontifex an ad P.Becanũ reſcripſerit pro Congregatione vnita,*q.2.ſ.1.c.1.n.6.& ſ 3.c.1.n.17.*

Pontifex illo reſcripto iubet bona reſtitui Monachis antiqui Ordinis ſeu Vnionis, ſi ex ijs ſint legitimè reſuſcitata Collegia; alias decernit poſſe in vſus Collegiorum iuuentutem inſtruentium, &c. & ſeminaria conferri,*ib.*

Poſſeſsio quotupliciter accipiatur, *q.1.c.4.nu.1.*

Poſſeſsio ciuilis,naturalis, vel mixta *q.2 ſ.2 nu.11.*

Poſſeſsio bonorum quomodo acquiratur,*q.2.ſ.2.c.1.n.6.*

Ad Poſſeſsionis apprehenſionem quæ & quot neceſſaria, *q.2. ſ. 2. numero 18.*

Poſſeſsio ciuilis quomodo acquiratur *q.2.ſ 2.n.11.* retineatur,*ibid.* quando & quomodo perdatur,*qu.2.ſ.3.c.3.n.7.* quando extinguatur, *q. 2.ſ. 2. num.11.*

Poſſeſsio an continuetur in ſucceſſorem,*q.2.ſ.1.c.3.n.6.& ſ.3.c.3. numero 18.*

Cum defuncto poſſeſſore extinguitur,*ibid.n.18.*

Poſſeſsio plurimum facti habet.*ibid.*

Poſſeſſor,ad ſua ſi non admittatur,dicitur ſpoliari,*q.2 ſ.1.c.3.nu. 4.*

Etiamſi ſit poſſeſſor pro parte, *q. 2. ſ.2.n.17.*

Poteſtq; ſuo nomine agere de ſpolio, *ibid.n.16.*

Poſſeſsionis recuperandæ remedium

T

Trans-

qu. 6.

FINIS.